UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum, Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute, Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

Visual Library

Th. 1566a.

H 4967

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

N III
34

ELOGIA SOCIETATIS IESV.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



ELOGIA
SOCIETATIS IESV
SIVE
PROPVGNACVLVM
Pontificum, Conciliorum,
Cardinalium, Antistitum,
nec non
Imperatorum, Regum, Principum
& aliorum Virtute, Religione,
omnig, Literatura illustrium
(etiam Hæreticorum)
TESTIMONIIS
Quà expressis verbo,
quà scripto consignatis
Constructum:
ET
In Tres Partes divisum.
A P. CHRISTOPHORO GOMEZ
Eiusdem Societatis.

ANTVERPIÆ, APVD IACOBVM MEVRSIVM ANNO M.DC.LXXXI.

Collegii Soctij Jesv Paderbornæ 1694.

Dono p. Kloppenburg

SANCTÆ MATRI ECCLESIÆ CATHOLICÆ ROMANÆ: DEI FILIÆ: CHRISTI SPONSÆ: MAGISTRÆ CHRISTIANÆ SAPIENTIÆ.

AD Romani Arcem Imperij se recipit: ad supremum Vrbis & Orbis Apicem, Americanum hoc Opus euolat: melius dixerim, Tuis pedibus prouoluitur Alma Parens, Sacrosancta Ecclesia. Te spectat, & ad Te vergit auidius, rectiusque, quàm calybs ad boream suum contactus magnetici effascinatus illicio. Tuum enim est totum quod è Minima Societate Iesv prodit: quippe

Illa multis nominibus tota Tuã est: & Tecum BRACHIVM DEXTRVM vel à Supremo Orbis Oraculo meruit appellari. Tuum etiam hoc Opus est, quia non pauca, & ea nobilissima Elogia ex Apostolicæ Tuæ Sedis deprompsit ærario, & quia Societatis Tuo Capiti singulari voto deuinctissimæ. Tuum denique quia Tuorum Pontificum, Cardinalium, Antistitum, & ceterorum Ecclesiastici Ordinis Luminum benignissimis in Societatem sententijs velut radijs illustratur. Rationi igitur consonum est, vt Radij ad Solem suum, & ad Mare Flumina reuertantur. Patere precor, Parens benignissima huic Operi non satis exsculpto, Tuum insculpi præclarissimum Nomen, siue Numinis Tui tutelam huic obscuro Volumini velut facem prælucere, in perpetuum obseruantiæ erga Te meæ, & Societatis

Clem. VIII apud Suar. Tom. 4. de de Rel. c. 7. num. 5.

tis affectus monumentum: Patere Auguſtiſsimi Nominis, Tui, quod mali verentur, reuerentur boni, nobiliſsima inſcriptione gloriari Opellam iſtam. Ad aram ergo tanti Nominis, & Numinis hanc Elogiorum tabellam reuerenter appendo, munus equidem impar Tuæ Maieſtati: verum, vt à Socrate obſeruatum eſt, Dijs ipſis minimo impendio litandum, quod Dij, vt hominum non egent rebus, ita magis expectant immolantium affectum, quàm diuitias, & apparatum.

Accedit ad hanc alia dedicandi Tibi huius Libelli ratio Cæli, ſolique Domina, maternus ſcilicet amor, quo totam Societatem amplecteris, non verbis tantum, ſed continuis prope beneficijs comprobatus: *Accurrite, tanquam filij ad Patrem*, dicebat aliquando ſummus Paſtor: & iterum, *Nos erimus veſter* Pius IV.

ster Protector. Optat ergo impenetrabili Tui Nominis clypeo hic Liber se tegi ac protegi: Tu enim Regina illa es ad cælestis Regis adstans dexteram in vestitu deaurato, in cuius brachijs inest Scutum nostrum IESVS, Dei Filius, qui datus est nobis inimicorum terrori, & in protectionis asylum. Audax equidem est huius Libri argumentum, & liuentis inuidiæ morsibus imprimis obnoxium: ideo illum tam multis Tibi nominibus debitum, Tuo Tibi iure, non dico, sed soluo; non dono, sed reddo, vt Tuo tectus patrocinio, aculeatos liuidorum dentes facile contundat. In quo æmulari mihi videor celeberrimum illud Regis facinus, qui Thebano illi immensæ molis Obelisco suum appendit filium, alligauit cacumini, quo tutius eum erigeret, & sartum tectumque à ruinæ periculo præseruaret, nisi

Plin. Nat. Hist. lib. 36. cap. 4.

quod

quod Ego hunc meum fœtum præstantiori alligo Pyramidi, non vt Pyramidem tueatur, sed vt ab ea defendatur potius, & vt tantæ reuerentia Maiestatis sit ab omni periculo tutus, & à zoilorum dente securus. Erit sane Liber iste, Augustissima Mater, sub Tuo patrocinio ab hostibus Liber: sub Tuo splendore splendidus: sub Tuæ lucis vmbra prodire audet in lucem: sub hoc tecto imbrem non horret: sub hoc clypeo tela non timet.

Quamobrem alij opima spolia, fructus purpureos ferent, Ego vero ad Tuorum pedum marginem hos Elogiorum flores appendo, tributario potius affectu, quàm censu. Sequor in India degens Indorum veterum vrbana vestigia, qui odoriferis calathos onerabant spolijs, vt suorum Dynastarum pedes, si non ambitiosis, floridis tamen

coronarent tributis. In Orbis theatro tanquam sertis redimita exultat IESV Societas hisce Elogiorum floribus : quos ex Hibleis eruditionis campis, & Thessaliæ redolentibus hortis, ex lætissimo, inquam, latissimoque sapientum Viridario vigilans decerpsit studium : cui illos in amoris, & reuerentiæ tesseram, nisi Tibi persoluerem, quæ habes in pace lilia, in bello rosas ? Cui nisi Tuo firmati consecrarem ? vt & fimbria aureis circumamicta scutulis florum amœnitate præstaret, qui velut in Aaronico surculo in eius vimine germinarunt, & lætis calicibus imbres roscidos hauriunt.

Lira s. Ps.44.10. Tibi ergo mortalium æquè, ac immortalium REGINÆ, & his verborum flosculis velut in stemmate dico Lauros, Palmas, Triumphos. *S. Max. hc.2. de Cruce.* REGIÆ NAVI aurea prora decumanum salum scindenti, Acies, ac Validos Remiges defero, vt spu-

ſpumantis dorſi rabie compreſſa velis toto hauſto zephiro tumentibus, portum teneat coronata trophæis: Munitiſsimæ ARCI ex ſolido ſubſtructæ auro Aureos Clypeos innecto, qui & vmbone pennata ſpicula retundent in pectora, & radianti gemma celſum Capitolium coronent. IRIDI poſt Noëticum chaos in bellum antidoto, Colorum promo varietatem omnigenam, vt arcuatus inter nebulas gloriæ, tempeſtates ſedet, cedat caliginoſam nubium audaciam. PARADISO reddo florida dona vt luxuriet, & Cherubicos Gladios, vt terreat, venenatoſque auſus flammeis linguis abſtergat, deturbet, diſsipet. Alto Libano Altos Cedros inſero comis vernantes, & lætis Capitibus ſeſe armatas inferentes in cælum. AQVILÆ Solis rota ſuſpenſæ Plumas defero, quibus tranato aëre æthera radit,

S. Amb. ſer. 5. in Pſal. 18.

Alcaz. in Apoc. 4. 3.

S. Aug. de gen. ad lit. l. 12. c. 34.

Orig. ſ. Ezech. ho. 11.

Laurer. Syl. alleg. v. Aquila.

ardentioriſque Planetæ illicio ſuſpenſa totis oculis in radiorum campo depaſcitur. CÆLVM cingo Zodiaco, quot Apoſtolicis Ducibus, tot Planetis intextum, qui facibus per Orbis ambitum iaculatis fouent meſsium campos lætiſſimis. SOLIMÆO MIRACVLO fero Lembos aurigeros ex vtriuſque Indiæ fodinis fulgido onuſtos metallo, gemmis graues, & vt in laquearibus luceant Sydera, & in parietibus Solis radios ſe exonerent. Quid plura? Tibi TVRRI Fortiſsimæ diuiniori Nomine coronata Mœnia onuſta Victorijs. VITI fœcundiſsimæ Frugiferos Palmites per totum terrarum Orbem expanſos: FONTI Aquæ viuę Riuos cryſtalla luce puriora laxantes per prata: OCEANO quàm plena Fluenta gemmis gratiarum: CVRRVI Diuinæ Gloriæ ocellatas, ac volubiles Rotas: Salomonico THRONO auro, &

S. Greg. lib. 32. mor. c. 14.

Lucher. Vidalp. in Ezech. to. 2. p. 2. l. 1. c. 10.

Cornel. in Cant. 4. 4.

S. Aug. in Ioan. tr. 30
Ghriſler. in Cant. 4. 11. n. 3.

S. Amb. ſer. 2. in Pſ. 118. v. 6.
Gloſſ. Ord. 3. Reg. 10.

& argento charitatis inerrantes Columnas: Immobili Veritatis CENTRO mobiles Lineas toto pondere ad omnem Orbis partem ſeſe librantes: MVRO Fortiſſimo Argentea Propugnacula: IACOBEÆ SCALÆ aſcendentes, & deſcendentes Angelos: Fœderis ARCÆ: Spiritus Cherubicos: NOETICÆ inter cœnoſam Hæreticorum alluuionem OLIVÆ Surculum pacis trophæum deferentes Columbas: Propoſitionis MENSÆ immenſos cæleſtis ſynaxeos Diſpenſatores propono fideliſsimos: CANDELABRO ex auro elaborato puriſsimo ſcintillantes Lucernas: ÆNEO MARI flammeos Leones, quorum humeris nitidiſsima virtutum omnium ſpecula (non ſpicula) enitantur: CIVITATI SOLIS Pennatos Radios vitæ medicamenta ſtillantes: NVBI cœleſti, & Fulgura errantia, & lituorum more exploſa Tonitrua, quibus Hæreſeos

Cornel. Cant. 7. 2.

S. Amb. l. 6 exam. c. 8.

Perer. Gen. 28. diſp. 4.

Dam. ſer. de inu. Cruc.

Orig. ſ. gen. hom. 2. ap. Lauret.

Idem ſ. leuit. ho. 13 Ibid.

Cyr. Alex. in Zacij. 44.

Villalp. in Ezech. to. 2 l. 5. c. 33.

Lauret. ſup. v. ciuitas.

Idem. v. Nubes.

Arces funditus euersæ cinereſcant. Vi-
Chriſt. Cant. 5. 1. n. 3. TÆ LIGNO Viridantia Folia offero ad ſa-
nitatem Gentium: Triumphali PALMÆ
Vieg. Apoc. 2. tom. 1. ſect. 5. Victrices Ramos: Bellatrici DEBBORÆ
Strenuos Barachos, Malleos, ac Cla-
uos contra Stygium Siſaram, & aſſeclas:
1. ad Tim. 3. 15. Veritatis FIRMAMENTO fixas, non errantes Stellas: Sacræ PALLADI Martis, ac
Mortis horrores, Arma contra perfi-
Magall. Iudit. 4. n. 127. dos cuneos ſemper inuicta. Caſtæ DIANÆ Volantes Sagittas: Doctæ MINERVÆ
S. Dam. ſer. 1, de S. Ioan. Euang. ſcientiarum Scrinia. Demum Tibi MÂTRI benigniſsimæ obſeruantiſsimam Filiam reddo Societatem non quidem meo Calamo depictam, ſed totius Orbis communi plauſu miris laudum Ornamentis decoratam, & in ſuperbiam ſæculorum præfulgidam; vt eius trophæis (toto hoc Opere conglobatis) glorioſa triumphes, & ſi quid in eo obſcurum latet, ſereno clareſcens vultu,

tu, id omne prorsus elimines, foueas, ac faueas.

Cætera quæ Tua Tibi facta, non fata dedere Magna Mater, quæ Te feliciſsimam prædicant alter penicillus depingat, non Ego ſum ſatis ad tantç præconia laudis. Quare iam vela contraho Bellatrix egregia, Regina Cæli, Domina Gentium, Vrbis, & Orbis Lumen, Veritatis Columen, Hæreticorum Fulmen, Chriſtianorum Flamen; quis Tuarum laudum Oceanum breui orationis huius concha concludat? Quis Tuam pulchritudinem in Sacro ſuo Epithalamio à Salomone tot ſymbolis decantatam in compendium redigat? & candidas in Oculis Columbas, in Genis purpuram, in Labijs Coccinum, in Collo Turrim, in Pedibus elegantiam, in Capite demum Carmeli gloriam, qua decet maieſtate deſcribat?

ſcribat ? Quis Antiquitatem, Nobilitatem Tuam vel Regis Regum ſanguine purpuratam calamus perſtringat ? Plura quid aggerem ? Niſi forte ad Maris fluctus vndas, ad ſyluam ligna deferam, ad Solem radios conglobem. Ideo hic ſiſto pedem ad ſacros Tuos Pedes prouolutus.

EGO

SERVVS TVVS,

ET

Filius Ancillæ Tuæ
Minimæ Societatis.

AD

AD LECTOREM.

SI ex Nostris es, ô Lector, & amicis, PROPVGNACVLVM habes, quo te contra hostium furorem tuearis: si vero hostis es, non impunè lacesses: ex hoc enim PROPVGNACVLO, siue TVRRI mille clypei pendent,& omnis armatura Virorum plane fortium, qui in nostræ SOCIETATIS tutelam se offerentes, victoriam nobis spondent, & tibi infamiam. PROPVGNACVLI autem huius construendi occasionem præbuit multiplex hostis in hac ipsa PARAQVARIA in nostram ruinam nuper coniuratus, quo debellato, profligatoque non ægre tuli machinam istam portatilem, quaqua terrarum circumferri, vt nostra SOCIETAS contra hostes suos, qui nullibi desunt, vbique se defendat. In lucem prodit armata non proprijs, sed alienis Laudibus hæc sacra Pallas, propria quippe Laus deuenustat gloriam, quæ suspecta redditur à proprio testimonio: *Laudet te alienus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua*, me docuit Salomon: & hæc erit non inconcinna huius Opellæ excusatio. Quare hic dicere valebit SOCIETAS, quod de se Plinius secundus tam breuiter quàm acute scripsit: *Neque enim vereor, ne iactantior videar, cum de me aliorum iudicia, non meum profero.* Igitur Pontifices, Cardinales, Antistites, Cæsares, Reges, Regna integra, Senatus amplissimi, Prouinciæ, Religiosi, Ciues, Magistratus, Vniuersus denique Orbis Christianus ad hoc extruendum PROPVGNACVLVM materiam præbuere, vt communibus viribus defenderetur Ea, quæ omnium

Prou.27.2

Plin.2. Epist.23. lib.9.

bono nata Ecclesiæ Brachivm Dextrvm appellari meruit. Dum vbique terrarum Iesv Societas præliatur bella Domini, & dum pro incolumitate Ecclesiæ naufragia, carceres, vincula, mortes, calumnias contemnens infinitis se obijcit periculis, vicissim à Sacro, Prophanoque ordine quasi Dvobvs Brachiis potentius quàm arcu æreo defensa hactenus, vegeta & inconcussa permansit, adeo vt exclamare possit cum Regio fidicine: *Deus qui doces manus meas ad prælium, & posuisti vt arcum æreum* Brachia *mea.* Et vt sperandum est ijsdem ausspicijs frendente licet Dæmone, liuente inuidia, fremente Hæresi, plaudente Cælo, triumphante veritate, & totius Orbis bono glorioſum exerens caput in integritate perdurabit.

Psal. 17. 35.

Societas Hæc (mi Lector) totum est huius Opusculi argumentum, & sane magnum. Illa enim militare Trophæum est erectum animo maiori, quàm viribus: virtutis antiquæ monumentum, & incitamentum posteræ: Dæmonum Victrix, Hæresum Domitrix, Virtutis Propagatrix: Sacra Pallas est, docta & armata: Oliuam Pacis, & Belli Ægidem gestans. Non ex cerebro Iouis, sed Deo vero, & Virgine nata; nec mireris (Lector) si de Nomine Iesv vocitetur. Ideo maxima, quia semper se dixit esse Minimam: eò integrior, quia plura membra sibi resscidit: vulnerata sæpe, sed nunquam læsa: ideo semper sana, quia se putauit infirmam: ideo vegeta, quia sæpius renouata, Honorum titulis plena, cum omnes, ex voto respuerit: omnes Dignitatum titulos

titulos mereri malens, quam vnum admittere: nobilius æstimans purpuram dare, quàm accipere: tot enim ferme Martyres habet, quot Annus dies. Iesv Societas verè lincea, quia obediendo cæca est: ideo Humilis, quia gloriæ maioris appetens: eò doctior quò doctrinam liberalius prodigit. Plures Libros scripsit, quam in Mensium decade horæ sint: Hæreticorum terror, quia amica veritatis: Barbarorum amor, quia Magistra humanitatis: Dæmonum odium, quia Prædatrix animarum. Hæc est Sacra Pallas cuius ope, non vt post decennium Troia, sed post decies decennium victus Orbis conflagrauit. Alexandro felicior, quod alterum inuenerit, & vicerit Orbem. Sub vexillis Christi frende, fure, disrumpe zoile (si quis es) Parisiacam Columnam extruere potuisti, hanc nequibis destruere: nulla enim manus euertit quod Digito Dei firmatum est. En breui penicillo descripta Iesv Societas, vnicum, vt dixi, Opellæ huius argumentum; quam grande, quàm excelsum glorioſumque, has paginas euoluenti patebit. *Paul. 3.*

Porro, quemadmodum, non tantum ad defensionem, sed etiam ad Vrbium ornamentum Propugnacula constructuntur, iuxta illud Canticorum de Ecclesia, *Si Murus est, ædificemus super eam Propugnacula argentea*, sic dubium est, vtrum Propvgnacvlvm nostrum plus firmitatis, quàm ornamenti à suis constructoribus acceperit: atque ea causa est, hoc Opus Propvgnacvli nomine vocitari; vtpote tot præstantissimorum virorum Elogiis, non magis *Cant. 8. 9. Cornel. ibi.*

defensam, quam Ornatam se Societas nostra cognoscat; & ex tantis Ornamentis discat non degenerare ab antiquis virtutibus. Sed Deo bene iuuante id neutiquam fiet, nam in nobis adhuc spes durat Auorum. Maiorum nostrorum gloria erit virtutis incitamentum nostræ, & tot Religionis Elogia ingens calcar addent ad nouam gloriam: præteritorum facinorum contemplatione feruebit in Ignatij posteris sanguis, nec deerunt qui glorioſa pericula ambient, & qui adhuc volent grandia signare vestigia, atque ijsdem, quibus antecessores sui, heroicarum virtutum gradibus totum Orbem peragrare: & cum statim in huius Operis limine Brachivm Ecclesiæ Societas dici viderit, exeret iterum *Brachium suum cum potentia* in Ecclesiæ defensionem, Hæresis perniciem, ignorantiæ fugam, & vitiorum extirpationem.

Psal. 88. 14.

Sed quænam ista (inquies, & bene Lector) in commendanda Societatis gloria tam insolens ostentatio, atque exaggerata laus? An sola illa sancta, fortis, admiranda, virtutibus prædita, exculta doctrinis, plena trophæis, constans in vita, & in morte secura est? Non equidem: agnosco, & veneror Religiosissimorum Ordinum Maiorum Nostrorum (quorum nos vestigijs gaudemus insistere) consumatam in omni genere laudis existimationem, atque præstantiam, siquidem omnes ea nobis edidere exempla recte factorum, quæ etiam nunc haud oblita posteritas excipit. Quid Societatem Ego comparem tam præclaris Ordinibus? absit. Sed si faciam omnium

nium illam MINIMAM esse dicam cum IGNATIO Fundatore Sanctissimo, MINIMAM, inquam ætate, meritis, splendore. Nec odiosa, mi Lector, videbitur Oratio mea in eius laudes excurrens, quando illæ (vt supra cum Plinio notabam) non ex meo deprompta sensu, sed scriptis, verbisque testatæ eorum hominum, qui sunt Vrbis, & Orbis prima capita. Dico ergo non quod Ego de SOCIETATE sentio, sed quod illi. Et quidem obscurari tam præclara tanti Ordinis merita, dissimulari tam iusta eius præconia, & molestè ferent ij ipsi qui ediderunt, neque qui amant, imo qui oderint, patientur: virtutis enim ostensa pulchritudo vel in hoste delectat. *Const. proœm. §. 2 Reg. 1. summ.*

Attexo etiam nonnulla, in quæ incidi testimonia, & plura numero Religiosorum hominum, quorum non exemplis minus, quam verbis ad virtutem inflammata SOCIETAS, patrocinio niti gaudet, & auctoritate defendi: accepta illis admodum SOCIETAS tanquam soror Minima à Maioribus Fratribus. Nec maior SOCIETATIS gloria quod à Principibus viris, etiam Cælitibus commendetur; commendatio illa maior, & certior quæ ab hoste deducitur. Leges etiam in hoc SOCIETATIS PROPVGNACVLO quid hostes veræ Religionis quandoque de illa senserint, quam magnis laudibus Eam extollant. Verum quæ laus ab Hæreticis speranda? quibus iuratum probris, & maledictis incessere IESVITAS, eosque si possent, funditus euertere. Sed maior hæc nostra laus est, huncque honorem maximum ducimus, non tam à laudatis viris, quam vel ab ipso hoste laudari.

Neque enim ab illis ostentationis testimonia quærimus, sed necessitatis, quantum scilicet satis est ad Ordinis famam, qua præcipuè pendet quæstus animarum. Quare nemo sapiens Lector hanc scriptionem, fastum nostrum, superbiamque interpretabitur, sed alienæ salutis studium.

Tripartitum hoc Opus est. Pars Prima, siue Status Ecclesiasticus ELOGIA continet à Summis Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis alijsque Religiosis viris in SOCIETATIS honorem prolata. Pars Secunda, siue Status sæcularis Encomia illa complectitur, quæ Imperatorum, Regum, Principum, aliorumque ex omni Ordine Virorum illustrium pietas, & in SOCIETATEM amor effudit. Et quia non humanis solum laudibus SOCIETAS nostra ditescit, ideo Tertiam adiecimus Partem, quam Cælestem, & Inferam placuit appellari. Hæc in se carcerat ELOGIA, quibus Christus Dominus, Magna Mater, Angeli, ac Cælites SOCIETATIS Cælum velut syderibus illustrarunt. Imo nec hinc exulant Dæmonis testimonia, vt vel ab Inferijs tenebris SOCIETAS nostra lucem mutuetur. Harum Partium quamlibet in varios Titulos siue Classes partimur, vt facile patebit intuenti.

Ex his omnibus totum hoc PROPVGNACVLVM construitur; & verè PROPVGNACVLVM tot Encomiastarum, ac tam præclaris elaboratum Encomijs, adeo, vt in posterum SOCIETATIS Filijs non erit in tantæ Matris tutamen pluribus Libris, seu testibus opus, vbi vno isto volumine res tota transigitur: Ex

quo

quo etiam veluti ex amœniſſimo, frugiferoque Viridario Hortoq; poterunt liberaliter vernantes ſententiarum floſculos decerpere Concionatores: ſolidos ſapientię fructus Magiſtri: multiplicis eruditionis pompam quaſi luxurians foliorum agmen Hiſtorici: proficuas exemplorum fruges Aſcetici: admirabilium euentuum miriades curioſi rerum, ac temporum indagatores; Catholicæ veræ fidei ſemina, quæ colligant ad tutelam, & auitæ pietatis poma, quæ carpant ad guſtum: Hæretici ſuorum dogmatum, adeoque reprobatorum ſpinas, quibus excitentur, vt videant, & reſipiſcant. Hæc de vtilitate Operis dicta ſufficiant (amice Lector) iam ipſe vides, non ibis inficias.

Si vero conqueraris huic Operi multa deeſſe, quæ addi poſſent, id meæ incuriæ non imputes, mireris potius tot in hoc Orbis angulo, in ſumma Librorum penuria inuenire potuiſſe: & adde, quod ad huius PROPVGNACVLI IESVITICI perfectionem, Tibi videbitur expedire, dummodo ſub prælo gemat: nec iota quidem in toto hoc volumine inuenies, quod typis mandatum non ſit: vt vel ſic felicius currat in SOCIETATIS laudem tot ELOGIORVM profluuium.

Sed aduertas velim, quod etſi aliqua ELOGIA videantur, aut duplicata, aut repetita, id tamen ita non eſt, ſemper enim aliquid ſpeciale in ſingulis elucet, ſiue id ſit diuerſus Auctor, ſiue verbum aliquod immutatum, vt quiſque eligat quod ſibi magis placuerit:

cuerit : non enim omnibus sensus vnus, vnumve palatum est. Nullum præterea temporum ordinem, delectumue Personarum in hoc Opere sequimur, sed prout sese calamo offerunt, sic damus : pene enim infinitus foret labor in tot Elogijs hinc indeque, & in diuersis temporibus, prout occasio dabat, conquisitis, ordinem hunc exoptare: cum præsertim ad Operis scopum, parum, aut nihil interfit, siue hac, siue illa serie collocentur.

Aduerte insuper plura ex exaratis Encomijs licet latino idiomati sint mandata, ab Hispano, Latio, alijsque fontibus manasse, quæ libuit asteriſco (*) notare, vt dignoscas, quis metamorphosim passus, quis proprio flumine fluat.

Forsitan miraberis tam varias in hoc opere Encomiastarum linguas, vbi impares immiscentur: nec altiori est locus præeminens, cum minus nobili ad idem maiestatis Solium pateat aditus : nec demum Stellæ omnes, nec Rosæ omnes eodem fulgore scintillant, nec purpura splendent. Sed ipsamet Cælorum, & Viridarij species me indemnem seruat, tibi occludit notam inurendi licentiam : licet enim impares sint illorum faces, omnes tamen sunt Astra, Gemmæque lucidæ : nec vna à latere aliam arroganter amouet, quia excelsior. Et licet non omnes in Topiario sint Rosæ regio paludamento niteſcentes, flores sunt omnes : & Rosa non quia regia maiestate conspicua arcet Violam à consortio, & si pauperi sagulo ornatam : ipsa enim varie-

varietas media ſummis coæquans ludit oculos, & delitias parit in Hortis, & voluptates in Cælo. Quid ergo mirum, quod in hac Cæleſti, & viridanti machina interluceant ſydera, & luxurient flores imparilitate ſua pari, & ideo ſpecie lenocinanti. Nec deſinam perſtringere hanc tantam nubem teſtium interſerere, vt oppoſita caliganti calumniarum alteri nubi, eam deturbet, eliminet: ipſaque cincta ſyderibus, lauriſque coronata triumphet: & nubes ſit, & Cælum innumeris trophæis.

Tandem ſi opponas tardioris, & ex alieno viuentis ingenij notam in tanta ELOGIORVM congerie, fateor: ſed ingenioſiſſimi Belgarum Lipſij vſus effato, Tibi potero, ac blateronibus eiuſmodi reſpondere: *Lapides, & ligna ab alijs accipio; Ædificij tamen ſtructio tota noſtra eſt. Architectus Ego ſum, ſed & materias variè vndique conduxi: nec aranearum ſanè textus ideo melior, quia ex ſe fila gignunt, nec noſter vilior quia ex alienis libamus vt apes.* Vale.

Lipſ. in not. ad 1. Polit. cap. 1

INDEX
ENCOMIASTARVM
QVI IN TOTO OPERE CONTINENTVR.

Et eo ordine, quo per suas Partes, Classesque referuntur.

ENCOMIASTÆ
Ad Primam Partem pertinentes.

1. Class. PONTIFICES.

PAulus III. n.1
Iulius III. n.2
Marcellus II. n.3
Paulus IV. n.4
Pius IV. n.5
Pius V. n.6
Greg. XIII. n.7
Sixtus V. n.8
Greg. XIV. n.9
Clemens VIII. n.10
Paulus V. n.11
Gregor. XV. n.12
Vrban. VIII. n.13
Innocent. X. n.14
Alexand. VII. n.15
Clemens IX. n.16

2. Class. CONCILIA.

TRidentinum n.1
Tarraconense n.2

3. Class. CARDINALES.

S. Carolus Borromæus n.1
Interpretes Concil. Trid. n.2
Præsides Eiusdem. n.3
Zacharias Delphinus, & Ioan. Francis. Commendonus n.4
Otho Truchesius n.5
Fran. Maria Taurusius n.6
Bartholomæus Guidiccionus n.7
Carolus Guisanus n.8
Fran. Maria à Monte n.9
Iacobus Sabellus n.10
Vincentius Laureus n.11
Christophorus Madrutius n.12
Alexander Farnesius n.13
Carolus Lotharingus, & N. Turnonius n.14
Gabriel Paleottus n.15

Stani-

Staniſlaus Hoſius n.16
Guilielmus Alanus n.17
Cæſar Baronius n.18
N. Vuandinus n.19
Ludouicus Ludouiſius n.20
N. Borbonius n.21
Iacobus Spinoſa n.22
N. Bebilaqua n.23
N. Rupefocalda n.24
Gerardus Grosbequius n.25
Didacus Guzmanus n.26
Auguſtinus Spinola n.27
Bernardinus Spada n.28
Balthaſar Moſcoſo, & Sandoual. n.29

4.cl. ANTISTITES.

S. Thomas à Villanueua. Ar. *Valentinus* n. 1
Fran. Vandinius Arch. *Senenſis* n. 2
Petrus Guerrero Arch. *Granatenſis.* 3
Leonard. Marinus Ar. *Albanus* 4
Ferdin. Valdes Ar. *Hiſpalenſis* 5
B. Barthol. à Martyribus Arch. *Bracharenſis.* n.6
N. Arch. *Hiſpalenſis* n.7
Daniel Brendelius Arch. *Moguntinus* n.8
Hieron. Loayſa Arch. *Peruanus* n.9
Ioan. Silicæus Arch. *Toletan.* n.10
Petrus à Caſtro Arch. *Granatenſ.* n.11
N. Arch. *Bracharenſis.* n.12
Ioan. Borgia Ar. *Noui Reg. Granatenſis* n.13
Leopolitanus Arch. *Polon.* n.14
Julius Cæſar Richard. Arch. *Barienſis* n.15
Gilbert. Genebrar. Arch. *Aquenſ.* n.16
Mathias Houius Arch. *Melchinenſis* n.17
Ioan. à Ribera Arch. *Valentin.* 18
Staniſl. Corneouius Arch. *Gneſnenſis* n.19
Joan. Bapt. Cordoua Epiſc. *Vilnenſis* n.20
Bnus. Conuerſinus Electus Britouerienſis n.21
Philippus Archintus Ep. *Salaſſiorum* n.22
Barthol. Torres Ep. *Canarienſis* n.23
Gregor. Virne-burgius Ep. *Azotenſis* n.24
Nicolaus Pſalmæus Ep. *Virdunenſis* n.25
Valerianus Ep. *Vilnenſis.* n.26
Dominicus Bollanus Ep. *Brixienſis.* n.27
Gauinus Manconi Ep. *Alenſis.* 28
Antiſtites Æthiopiæ n.29
N. Seccouienſis n.30
N. Paderbornenſis. n.31
N. Quitenſis in Peruuio n.32

Belgici Antistites n.33
N. Vensienſis. n.34
Auguſt. Barboſa. Ep. Vgentinus n.35
N. Seccouienſis n.36
Ferdin. Trejo Ep. Tucumanenſis n.27
Albert. Baranouius Pultouienſis n.38
N. Cremonenſis n.39
N. Iulienſis in Veneta n.40
N. Zebuanus in Philippin. n.41
N. Barcinonenſis n.42
N. Perpinianenſis n.43
N Murcienſis n.44
N. Luceorienſis in Polonia n.45
N Segouienſis in Philippin. n.46
N. Eluacenſis in Germania n.47
N. Leodicenſ. in Belgiò n.48
Ioannes Baldes Ep. Nouæ Cantabriæ n.49
N. Albergatus n.50
N. Bayenſ. in Braſilia n.51
N. Carnerius Machaonenſ. n.52
Antonius Zara Ep. Petinenſ. n.53
Melchior Moſcoſo Ep. Segouienſis n.54
Petrus Leitanus Ep. Braſilienſ. n.55
N. Neapolitanus n.56
Prudentius à Sandoual. Ep. Pampil. n.57
Henricus Cuickius n.58
Leuinius Torrent Ep. Antu. n.59
Petrus Carranza Ep. Boniaeris. n.60
Gilbertus Maſius Ep. Siluaducenſ. n.61
Remigius Druitius Ep. Brug. n.62
Matthias Lambertus n.63
Carolus Maſius Ep. Gandauenſ. n.64
Ferdin. Martinez Maſcareñas Ep. Algaruienſis n.65
Petrus Aloyſius Ep. Tricaricenſis n.66
Ioannes Emanuel Ep. Zamorenſis n.67
Franciſcus Diotallenus Ep. S. Angeli n.68
Camilus Caietanus Nuncius Apoſtol. in Hiſpania. n.69
Hieronym. Baptiſta de la Nuza Ep. Barbaſtrenſis. n.70
Laurentius Hurtado de Mendoza Ep. Braſilienſis n 71
Paul. Areſius Ep. Tortonenſ. n.72
Gaſpar Villaroel Ar. Charquenſ. n.73
Melchior Maldonatus Ep. Tucuman. n.74
Ambroſius Viola Ep. Laquedonenſ. n 75
Theodorus Ep. Paderborn. n.76
Iulius Spinola Nunc. Apoſt. n.77
Erneſtus Leodienſis n.78
Vaſcus de Quiroga Ep. Mechoacam n.79

Phi-

Philippus Sega Nunc. Apost. in Germania n.80
Iosephus Gonzalez Ep. Palentinus n.81

5. Class.

INQVISITORES.

Supremi Castellæ n.1
Hispalenses n.2
Romani n.3
Vallisoletani n.4
Cæsaraugustanus n.5
Canariensis n.6
Paramus Sicilianus n.7
Petrus Aluarez de Paredes Lusitanus n.8

6. Class.

SACRI SENATVS.

Hispalensis. n.1
Spirensis n.2

7. Class.

RELIGIOSI.

BENEDICTINI.

Ioachimus Abb. Floriacen. n.1
Ludouicus Blosius n.2
Monachus S. Seuerini n.3
Chrysostomus Abbas in Dalmatia n.4
Magistri Collegij Salmantini n.5
Ioannes Clanonius n.6
Gregorius Alfaro n.7
Alfonsus de San-Victores, Ord. Gen. n.8
Congregatio Cassinensis n.9
Congregatio Lusitana n.10
Antonius Perez Ord. Gen. n.11
Romanus Hay n.12
Antonius de S. Roman. n.13

BASILIANI. 7.

B. Iosaphat n.14
Didacus Nisseno. n.15
Franciscus de Soria n.16
Ludouicus ab Angelis n.17

CARTHVSIANI. 7.

Petrus de Sardis cum Cap. Gen. n.18
Bruno Loher. n.19
Ioannes de Castro n.20
Laurentius Surius n.21
Theodorus Petreius. n.22
Bruno cum suo Cap. Gen. n.23
Gerardus Hamontanus. n.24

PRÆMONSTRAT. 7.

Philippus Bernal. n.25
Joannes de Lepage. n.26

CISTERCIENSES. 7.

Vdouicus de Estrada n.27
Angelus Manrique Ord. Gen. n.28
Bernardus Lopez n.29
Sebastianus à Parra n.30
Antonius de Peralta n.31
Syluester Maurolicus. n.32
Petrus à S. Iosepho n.33
Joannes Caramuel n.34

7 HIERONYMIANI.

Hieronymus Garcia n.35
Simeon de Espinosa n.36
Michael Palain n.37

7 DOMINICANI.

B. Ioannes Micon. n.38
B. Ludouicus Beltranus n.39
Franciscus Romæus Ord. Gen. n.40
Abrahamus Bzobius n.41
Franciscus Forerius n.42
Ludouicus Granatensis n.43
Ioannes de la Peña n.44
Ludouicus de Oliua n.45
Ioannes de la Puente n.46
Antonius Caluo n.47
Dominicus Bañez n.48
Petrus de Bollo n.49
Alfonsus Ciacconus n.50
Lucas Fernandez Ayala n.51
Dominicus Grauina n.52
S. Vincentius Ferrer. ibid.
Joannes Bapt. de Marinis Gen. Ord. n.53
Capitulum Gen. Valent. an. 1596 ibid.
Thomas Turcus Ord. Gen. ibid.
Capitulum Gen. Rom. an. 1656 ibid.

7 FRANCISCANI.

Capitulum Gen. Vallisol. an. 1565. n.54
Comissarius Gen. Prou. Belgicæ n.55
Emanuel Rodericius n.56
Ludouicus Miranda n.57
B. Ioannes Texeda n.58
Matthias à Sobremonte n.59
Marcellus à Ribadeneira n.60
Ludouicus à S. Ioanne Euangel. Comissar. Gen. Discalc. n.61
Damianus de Lugones n.62
Zacharias Bouerius n.63
Bartholomæus Rubio. n.64
Louanienſis Moderator n.65
Ianuenſis Conuentus n.66
Petrus Nicolaus Factorius n.67
Philippus Bosquierus n.68
Ludouicus de Valencia Prouinc. Capuccinor. n.69
Capitulum Gen. Pinciæ n.70
Lucas Guadin Gomiss. Gener. n.71
Petrus Opmerſenſis. n.72

AVGVSTINIANI. 7

Hieronymus Roman. n.73
Ioannes Marquez n.74
Petrus de Valderama n.75
Barthol. Lopez Leguisamo n.76
Ioannes Gualuarro n.77
Joannes de Chaues n.78
Ferdinan. Camargo Salgado n.79
Alfonsus de la Corte n.80
Ioannes Gonzalez de Mendoza n.81

Alfonsus de Mendoza n.82
Augustinus Ossorio n.83
Antonius de S.Roman n.84
Anchargela Panigarola Monial. S.Augustini n.85
Ioannes de Ribera n.86
Basilius Ponce n.87
Prosper Stellartius n.88

7 CARMELITANI.

S. *Teresia à* IESV n.89
B. *Magdalena de Pazzis* n.90
Valerius Ximenez de Embun. n.91
Christophorus Auendaño n.92
Alfonsus Bohorquez n.93
Petrus Cornejo n.94
Marcus de Guadalajara n.95
Didacus de Venauides. n.96
Antonius Tauares n.97
Hieronymus à S.Iosepho n.98
Capitulum Gen. Disc. an. 1650. n.99
Ioannes Baptista de Lezana n.100
Nicolaus à Iesu Maria n.101
Petrus ab Angelis n.102
Elias à S.Teresia n.103

7 MERCENARII.

Alfonsus Remon n.104
Gabriel Tellez n.105
Franciscus Boil n.106
Franciscus Enriquez n.107
Ioannes Diaz Morquecho n.108
Ferdinandus de Riuera n.109
Sylvester de Saauedra n.110

TRINITARII. 7

Hortensius Parauisinus n.111
Emanuel Reynoso n.112
Ludouicus de Moya Coronel n.113.
Franciscus à S.Iuliano n.114
Franciscus de Arcos n.115

MINIMI. 7

Ioannes Ponce de Leon n.116
Franciscus Freire n.117
Claudius Rangolius n.118

CANONICI REG. 7

Martinus de Carrillo n.119
Raymundus de Luna. n.120
Ascanius Ordei n.121

THEATINI. 7

Ioannes Marionus n.122
Antoninus Dianæ n.123
Emanuel Calascibettæ n.124

BARNABITÆ. 7

Mediolanenses n.125
Christophorus Giarda n.126

PP. CONG. ORATOR.

THomas Bozius n.127
Auguſt. Manno de Canthanoiano n.128

1. Claſſ. ENCOMIASTÆ
Ad II. Partem pertinentes.

IMPERATORES.

CArolus V. n.1
Ferdinandus I. n.2
Maria Auguſta n.3
Rodulphus n.4
Mathias I. n.5
Ferdinandus II. n.6
Ferdinandus III. n.7

2. Claſſ. REGES

HISPANIÆ.

PHilippus II. n.1
Philippus III. n.2
Margarita Vxor n.3
Philippus IV. n.4
Mariana Coniux. n.4

GALLIÆ.

HEnricus II. n.5
Franciſcus II. n.6
Carolus IX. n.7
Henricus IV. n.8
Ludouicus XIII. n.9
Ludouicus XIV. n.10

LVSITANIÆ.

IOannes III. n.11
Sebaſtianus I. n.12
Henricus I. n.13

POLONIÆ.

STephanus Bathoreus. n.14
Sigiſmundus II. n.15
Sigiſmundus III. n.16

IAPONIÆ.

FRranciſcus Bungenſis. n.17
Prothaſius Ariminenſ. n.18
Bartholomeus Omuranenſ. n.19
Omurandonus n.20
Cangoximanus n.21
Ioannes Vtayus Bungenſis n.22
Sebaſtianus etiam Bungenſ. n.23

SINARVM.

REx Potentiſſimus n.24

ÆTHIOPIÆ.

SEltan Segued n.25.
Malaſegued n.26
Saladinus Magni Mogoris n.27
Anonymus Abaſſinorum n.28
Zela Chriſtus n.29

REGNA. 3. Cl.

HIſpanicum n.1
Gallicum n.2

RESPV-

3.Cl. RESPVBLICÆ.

VEneta n.3
Epidaurensis n.4

4.Classf.

PRINCIPES, ARCHID.

FErdinandus Princeps Hispan. & Ecclesiæ Card. n.1
Leopoldus Princeps Austriac. n.2
Albertus Similiter n.3
Carolus Archidux n.4
Annonymi Austriaci n.5
Ludouicus Princeps Lusitan. n.6
Sigismundus Princeps Transyluaniæ. n.7

5.Cl. DVCES.

ALbertus Babarus n.1
Lotharingus Mussipont. n.2
Carolus Emanuel Sabaudiæ n.3
Guilielmus Babarus n.4
Octauius Parmensis n.5
Alexander Farnesius Parm. n.6
Margarita etiam Parmens. n.7
Carolus Gonzaga Niuernens. n.8
Albertus alter Babarus n.9
Petrus de Aragon filius Ducum de Terranoua n.10

5. MARCHIONES.

ATtonensis n.11
Ambrosius Spinola n.12

COMITES. 5.

ALbertus, Palatinus n.13
Oropesanus n.14
Hermanus Geldriæ n.15
Ferdinandus Sylua Cisont. n.16
Maria Sancta Seuerina, Nolæ n.17
Iubartus S. Vitalis, Salens. 18
Fran. Hurtado de Mendoza Montis acuti n.19

PROREGES. 6.Classf.

IOannes Vega, Siciliæ n.1
Indiæ Orientalis n.2
Æthiopiæ n.3
Abassinorum n.4

SENATVS. 6.

GAllicanus n.5
Antuerpiensis n.6
Bruxellensis n.7
Ruremundanus n.8
Canariensis n.9
Tolosanus n.10
Cæsaraugustanus n.11
Noui Regni n.12
Burdegalensis n.13

SENATORES. 6.

GAndauenses n.14
Dolanus n.15
Ioannes Solorzanus in sup. Castel. n.16
Tolosanus Protopreses n.17

Dissenus Diserinus, Bergens. n. 18
Ioannes de Lizarazu, *Charquensis* n. 19
And. Garauito de Leon Charquens. n. 20
Iacobus de Vega Mexican. n. 21
Didacus de Saauedra, *in Indiar. sup. Castellæ* n. 22
Petrus Cornutus in Delphinatu n. 23

7. Class. GVBERNATORES, ET MAGISTRATVS.

Garcia de Loyola, Chil. n. 1
Guadianensis, Mexic. n. 2
Sinensis n. 3
Pechinensis n. 4
Magistratus varij n. 5
Anna Motmoransis Gall. n. 6
Quitensis in Peruuio n. 7
Alter Indiæ Orientalis n. 8
Hyacinth. de Laris, Boniaëris n. 9

8. Class. VRBES.

Panormitana n. 1
Mamertina n. 2
Barcinonensis n. 3
Pontanensis n. 4
Billomensis n. 5
Asculana n. 6
Nesiuensis n. 7
Commotouiensis n. 8
Placiensis n. 9
Cantanzarensis n. 10
Lucernensis n. 11
Magna Canaria n. 12

VNIVERSITATES. 9. Cl.

Louanienſis n. 1
Parisiensis n. 2
Ingolstadiensis n. 3
Burdigalensis n. 4
Conimbricensis n. 5

SELECTI EX OMNI ORDINE VIRI. 10. Cl.

Ioannes Auila Apost. Bæt. n. 1
Ruardus Tapper n. 2
Martinus Nauarro n. 3
Andreas Victorellus n. 4
Didacus Paiua n. 5
Petrus Victor n. 6
Ioannes Molanus n. 7
Renatus Benedictus n. 8
Fran. Lucas Brugensis n. 9
Franciscus Montanus n. 10
Nicolaus Sanderus n. 11
Florimundus Remundus n. 12
Seuerinus Binius n. 13
Petrus Steuartius n. 14
Stanislaus Rescius n. 15
Antonius Fabro n. 16
Prosper Farinacius n. 17
Fidelis Annosus. n. 18
Laurentius Beyerlinck n. 19
Vincent. Blasco de la Nuza n. 20

Andreas

Andreas Sauſſayus n.21
Erycius Puteanus n.22
Pontanus Heuterus n.23
Renatus Choppino n.24
Franciſcus Enriquez n.25
Adrianus Brouvvershauio n.26
Thomas Stapletonius n.27
Siluaducenſis n.28
Petrus Mathæus n.29
Didacus Perez n.30
Fran. Ignatius de Porrez n.31
Ludou. Maioranus Grauin n.32
Duacenſis n.33
Stephanus Gariuay n.34
Ioannes Sanctius n.35
Bartholomæus Ximenez n.36
Didacus Gouea n.37
Ioannes Maria Nouarius n.38
Iulius Roſcius n.39
Mambrinus Roſſeus n.40
Peregrinus nobilis Roman. n.41
Petrus Eſteuartius n.42
Alexander de Ros n.43
Ioannes Baptiſta Frances n.44
Alfonſus Ramirez de Vergara n.45
Ioannes Baptiſta Confettio n.46
Flauius Cherubinus n.47
Hieron. Ormachea Guerrero n.48
Honophrius Maneſcal n.49
Ioſephus Micheli n.50
Alfonſus Gomez de Roxas n.51
Nicolaus Turlot n.52
Floritius Riquabourg n.53
Federicus Iamotius n.54
Ioannes Tapia n.55
Franciſcus Herrera n.56
Petrus Nauarra n.57
Ludouicus de Cabrera n.58
Raynolda n.59
Confeſſor Vaſci Gamæ Luſitani n.60
Incolæ Æthiopiæ n.61
Ioannes Eſcuder n.62
Gaſpar Eſcolanus n.63
Ioannes Federicus Lumnius n.64
Gundiſal. Sanchez Luzero n.65
Alfonſus de Villegas n.66
Congregatio Clericor. Neap. n.67
Alber. Staniſlaus Radiuilius n.68
Nicolaus Zambecarius n.69
Petrus Hariſius n.70
Belgæ n.71
Aula Hiſpanica n.72
Gaſpar Radinus n.73
Ioannes Baptiſta Gallo n.74
Ioannes Petrus Guiſanus n.75
Dominicus Leitanus n.76
Andreas Semple de Tobar n.77
Albarus Pizaño n.78
Petrus Verſorius n.79
Nicolaus Ziemecki n.80
Amadæus Guimenius n.81
Annonymus Cœnobiarca n.82
Alter n.83
Aubertus Miræus Decanus Antuerp. n.84
Albertus Miræus n.85

Saluſtius Germanicus n.86

HÆRETICI.

Philippus Melanton n.1
Theodorus Beza n.2
Martinus Kemnitius n.3
Franciſcus Verulanus n.4
Anglicani n.5
Caluino-Batani n.6
Liberius VVigat n.7
Eliſabetha Angliæ Regina n.8
Marcus Antonius Arnaldus n.9
Dauid Peræus n.10
Conſtantinus n.11
Hildeſhemius Lutheranus n.12
Autonenſis n.13
Gallici Caluiniſtæ n.14
Germanici Lutherani n.15
Rhenanici Caluiniſtæ n.16
Gallicani, & Anglicani n.17
Lugdunenſis n.18
Maſpurgenſis n.19
Rhenani alij n.20
Hildecienſis n.21
Neumacenſis n.22
Martinus Lutherus n.23
Paderbonenſis Lutheranus n.24
Rhenani Lutherani, & Caluiniſtæ n.25
Tranſyluanus Lutheranus n.26
Valmianus Polonienſis n.27
Turonenſis n.28
Borcorenſis n.29
Brugenſes n.30
Geneuenſes Lutherani n.31
Gandauenſes n.32
Hildecienſis Luther. n.33
Anglicani n.34
Caluiniſtæ n.35
Lutherani n.36
Gallicani n.37
Federicus Balduinus n.38
Conradus Gratſerus n.39
Auguſtanus n.40
Vallis-Tellinæ Hæretici n.41
Iacobus Britaniæ Rex n.42
Dordracenus Siluaducenſis n.43
Lucas Gorgia Palatinus n.44
VVitarckerus Anglicanus n.45
Alij Hæretici n.46
Caluiniſta n.47
Gaſpar Scioppius n.48
Caſſiodorus Reinius n.49
Lutherani Germanici n.50
Præſes Morauiæ n.51
Annonymi Hæretici n.52

ENCOMIASTÆ

Ad III. Partem pertinentes.

1. *Claſſ.*

Chriſtus Dominus n.1
2 *Deipara Virgo* n.1
3 *Angelus Gabriel* n.1
Angelus Michael n.2
Angelus Cuſtos n.3

S. Pe-

4 *S. Petrus Prin. Apostolor.* n.1
S. Ioannes Euangelista n.2
S. Thomas Apostolus n.3
S. Felix Nolanorum Patron. n.4
Alteri è Cælitibus n.5
5 *Dæmon tandem ex Inferis* n.1

NOTA

AD INDICIS CALCEM.

1. *HAnc quam legis (quisquis es) Encomiastarum multitudinem, & numero grandem, & dignitate illustrem, benè, ac verè per suas Classes distributam crede: Sic enim, vt scribo, res se habet. Quod si Eorum aliquos sub altiori fortuna esse, aut audias, aut videas, non negabo: quem enim hodie nouu Principem, manè Regem video: Regem iam Imperatorem: Clericum iam Religiosum: Religiosum, iam Antistitem: Antistitem, iam Cardinalem: Cardinalem iam Pontificem. Quidni? Mutatio hæc tempori rerum facies immutanti, non scriptoribus tribuenda.*

2. *Scire Te vellem, & rogo scias, prædictos hos Encomiastas dignos huius operis esse: eorum siquidem scripta, dictaue in Societatis laudem, & typis excusa sunt, & nostris Annalibus inseruntur. Cur ego huic Opellæ non inseram? quare illâ digni censendi non sint, qui maiora exornant volumina? quare hos dispersos laudum, siue spicarum manipulos in honorarium Societatis horreum non congregem. Quæ hinc inde dispersa placent, quî congregata displicere poterunt?*

3. *Iam expreſsis, iam tacitis Nominibus Perſonas refero: eas, vt in noſtris, ac exteris Auctoribus inuenio, ſic ſcribo: neque id minuit Societatis commendationem, quam non Nomina, ſed Perſonæ dignitas, aut qualitas tribuit, ſiue hac, ſiue illa nomenclatura polleat.*

4. *Nec Encomiaſtem contemnas, quem ignoras: quis enim Auctor vbique notus? quis eiuſdem auctoritatis vbique? Quoties quem America neſcit, plaudit Germania, ſtupet Roma? quoties vt tuba nobis Hiſpanis buccinat, qui Gallis, Angliſve nec vt fiſtula ſonat. Ergo non Vrbi ſcribimus, ſed Orbi.*

PATER RECTOR

HVIVS MAXIMI COLLEGII CORDVBENSIS

PROVINCIÆ HVIVS

PARAQVARIÆ.

Pax in Domino Noſtro Ieſu Chriſto &c.

VEnit ad me (multis nominibus deuinctiſſime Pater) non ſine votis Societatis noſtræ Encomiaſtes, & ſi prodeat filius in orbem matris prolaturus encomia; haud timet inuidiæ maleuolæ lingua obloquenti: loquitur equidem, quæ non tacet inimicus; miror ſane in hoc libro tum ingenio elaboratum, tum genio compoſito faſciculum nectar exhalantem, & ambroſiam ſuauiter ſeſe naribus inſinuantem, milleque contemplor coloribus variatum, & mirabili quodam ductu mentes excitantem, ideoque his temporibus autumo placidiorem. Multa quidem etſi bona, non noua, & iam antiquo laudata præconio, nauſeabundo ſæculo offeruntur; at quia varia, nouaque arte ad amuſſim perpolita, leporeque dicta, & condita ſale, credo omnibus placitura; nauſeamque & faſtidium, cum genio prolata ſint, nunquam paritura, vt cecinit ille.

Quæ genius variat fælici ſydere in orbe
grata placent valde.

Dominus Opifex & molitor Deus, qua pollet dexteritate pulchram cæli machinam ingenioſe effinxit, tot cæleſtibus erronibus diſtinctam, quot luminibus occulatam, tamque nouo perfuſam nitore, vt placens ſummo grataque videretur artifici: & vidit Deus quod eſſet bonum, terram proprijs libratam ponderibus reddidit ſtabilem, expectabilem condidit, & amœnam, ſuoque teſtimonio honorandam. Et vidit Deus quod eſſet bonum: verum quæ prima in geneſi ſparſim laudauit, iterum ſuæ mentis oculis attentiſſime ſcrutatur grandiore honoranda præconio, etſi diuiſim pulchra ſolum, bonaque videantur, iam miro maritata amplexu, & in vnum coëuntia pulchriora

placent

placent intuenti, & tam nouam inducent elegantiam, vt Deus ipse placidissima valdeque bona admiretur: & vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.

Ad huius instar (peramande Pater Rector) tuum Encomiastem nostræ periucundum Societati libens & lubens contemplor, aliena encomia propriæ tamen Matris tenerrimo referentem amore, quæ non vnum parentem agnoscunt, qui cum varia, ac varijs sint in lucem edita, non pleno sed auaro laudis honore afficiuntur. Verum enim vero omnia iam ad opus reducta perfectum, vltimaque manu perpolitum, in tuum inquam librum, cunctaque cumulata appareant encomia, haud vnum, verum omnia, etsi præclara, præconia dignissime promerentur in æternum duratura.

Prodeat iam in noui orbis Theatrum nouus tui ingenij fœtus mihi ingeniosus & expectabilis, Societatis nostræ vt credo, viris dignissimis maxime vtilis, amicis iucundus, haud inuidus inimicis. Te (mi dilectissime Pater & Rector) semel & iterum affectu, quo possum, quæso & consulo, ne propriæ laudis contemptor & cælator auarus, nostram Prouinciam Paraquariam apostolicis insistentem institutis ingenti fruituram encomio retardare patiaris.

Pergat ergo nimis fœlix tuus liber, prælium sine mora videat, & sudet sub illo, quod omnes optamus, bonis ipse auibus ab Hispania profectionem in has Paraquarias oras matureſcere desideratur, vt Zephiris secundo sydere perflantibus iterum illum nobis, non sine votis postulantibus, plausu liceat intueri, insolitoque gaudio possidere.

Tuus in Domino

FRANCISCVS DIAZ TAÑO

ELO-

APPROBATIO
R. P. PROVINCIALIS.

EGo Ioannes de Cardenas Societatis Iesv in Prouincia Bœtica Prouincialis, potestate ad hoc mihi factâ à R^do. Admodum P. Ioanne Pavlo Oliva eiusdem Societatis Præposito Generali, facultatem concedo, vt liber inscriptus *Elogia Societatis* Iesv, à P. Christophoro Gomez eiusdem Societatis Compositus, & grauium ac doctorum hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem, has litteras manu nostrâ subscriptas & sigillo nostro munitas, dedimus, Hispali septima die Aprilis anni Millesimi Sexcentesimi Septuagesimi tertij.

IOANNES DE CARDENAS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO CENSORIS.

ELogia Societatis IESV *à R. P. Christophoro Gomez eiusdem Societatis composita, & grauium ac doctorum hominum iudicio approbata, prælo digna censeo, vtpotè nihil quod fidei orthodoxæ, aut bonis moribus aduersetur continentia, datum Antuerpiæ 22. Octobris* 1680.

P. V. Halmale Canonicus Graduatus, Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis Antv. & Librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

CAROLVS Dei Gratiâ Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ Brabantiæ, &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, ne quis Elogia Societatis IESV à R. P. Christophoro Gomez eiusdem Societatis composita, præter Iacobi Meursij Typographi Antuerpiensis voluntatem intra nouennium in Belgio excudat, aut alibi terrarum locorumúe excusa in has inferioris Germaniæ Prouincias inferat, & venalia exponat. Qui secus faxit, præter confiscationem exemplarium, triginta florenorum, pro singulis libris huc illatis soluendorum pœnâ multabitur, sicut latius patet in litteris datis Bruxellæ anno M. DC. LXXX die XIV. Decembris.

Signat

LOYENS.

ELOGIA SOCIETATIS IESV.

CLASSIS I.

A PONTIFICIBVS.

VT nostrum hoc Opus grato, ac simplici ingressu ad publicam commendationem Societatis Nostræ plus nimio fortè prouectum in suum aliquando Ordinem reuocetur, ab ijs exordiamur, à quibus Illa, plaudente Cælo, frendente Erebo, præclarum sumpsit exordium: ab ijs, inquam, qui (cum sint æternæ Religionis, ac subductæ à mortalium sensibus Diuinitatis Interpretes, Vrbis, & Orbis prima Lumina, Ecclesiæ Romanæ suprema (apita) quot verba, tot Oracula, quot apices, tot veritatis mysteria proloquuntur: & imprimis.

Societas IESV *Spiritus S. afflatu fundatur.*

1. A PAVLO III. *Ex Gente Farnesia Pontifice maximo (fastum, ac fortunatum Societati Nomen) qui Ipsam à se primò confirmatam amauit vt Filiam, defendit vt Patronus. In Bulla incipit,* Regimini *anno* 1540, *quæ prima fuit Instituti nostri approbatio: de quo primæuâque illa Patrum Societate, quàm honorificè in hunc modum locutus.* In Vniuersitate Parisiensi graduati, & in Theologicis studijs per plures annos exercitati, SPIRITV SANCTO, vt piè creditur AFFLATI, iam dudū è diuersis mundi regionibus discedentes in vnum conuenerunt, & Socij effecti abdicatis huius sæculi illecebris, eorum vitam perpetuo Domini nostri Iesu Christi, atque nostro, & aliorum successorum Romanorum Pontificum seruitio dedicarunt: & iam

Dedicata seruitio Romani Pontificis.

quàm plurimis annis laudabiliter in vinea Domini se exercuerunt: Verbum Dei præuia sufficienti licentia publicè prædicando, fideles priuatim ad bene, beatèque viuendum exhortando, & ad pias meditationes excitando, hospitalibus inseruiendo, pueros, & personas rudes, ea quæ ad christianam hominis institutionem sunt necessaria docendo, & demum omnia charitatis officia, & quæ ad animarum consolationem faciunt, vbique terrarum, vbi peregrinati sunt, multa cum laude obeundo, &c. *Efficax hoc, & illustre recens approbatæ Religionis encomium fuit. Ita in Bullar. Soc. fol. 7.*

Et ministerijs prædicandi, docendi, &c.

AB EODEM. *In Bulla incipit*, Cum inter, *anno* 1545. Attendentes igitur (*inquit*) ad fructus vberes, quos in domo Domini hactenus produxistis, & producere non desinitis vestra Religione, Integritate, Scientia, Doctrina, Moribus, & Experientia plurimum in Domino confidentes, Vobis, quos alias Societatem Vestram de IESV approbando, confirmando, & benedicendo, ac perpetuæ firmitatis munimine roborando, sub nostra, & Apostolicæ Sedis Protectione suscepimus, *&c. Sic etiam in Bullar. Soc. fol. 24.*

Commendatur ex animarum fructu.

Et ex varijs virtutibus.

AB EODEM: *In Bulla incipit*, Licet debitum: *anno* 1549. Ad Societatem vero de IESV (*inquit*) per Nos institutam, & approbatam, cuius specimen veluti Ager fertilis in Domino multiplices, atque vberes fructus animarum ad summi Regis laudem, & fidei incrementum attulit, & affert quotidie Verbo, & Exemplo in populo Christiano, dirigentes præcipuè velut pius Pater oculos mentis nostræ dignum censemus, vt ipsam Societatem, eiusque in odorem suauitatis Altissimo deseruientes personas specialibus fauoribus prosequamur, *&c. Ita in Bullar. Soc. fol. 36. Et postea fol. 53. in eadem Bulla, Idem Pontifex Societatem, eiusque personas Principibus, ac Prælatis commendans*, Non solum (*subdit*) ne eos inquietari, aut eorum Priuilegia violari permittant, sed vt benignè, & cum charitate, vt decet suscipiant exhortamur, atque in Domino rogamus, *&c.*

Ager fertilis multiplices animarum fructus afferens.

Ideo Pontifex speciali eam fauore prosequitur.

Et Principibus ac Prælatis commendat.

AB

AB EODEM: *Quo petente aliquos in Siciliam Socios mitti, duodecim ex diuersis nationibus destinantur: quorum aliquos Ignatius coram prius periclitatos in ratione docendi, posteà vna cum ceteris ad Pontificem Paulum deducendos curauit. Apud quem Latinam Orationem piam admodum, & ad rem accommodatam Canisius habuit. Cui Pontifex magna paternæ indulgentiæ significatione respondens*, Pergratum (*inquit*) fuit nobis videre vos filij carissimi. Amamus enim Societatem vestram ex animo, vt qui cognitam habemus virtutem eius, & rectè facta: & quantum quibuscumque adhuc in terris versata est, spiritualem fructum fecerit: Vos quoque quod fore confidimus, eodem tenore pergite. Curate, vt qui ad istam profectionem præcipuè lecti estis, fungamini diligenter officio vestro, cunctis recta præbete exempla, & existimationem de vobis conceptam augete. Neque solum regnum, ad quod tenditis, sed etiam Ecclesiam Vniuersam vitæ vestræ probitate, atque orationibus adiuuate. Videtis quàm mala, quamque difficilia tempora sint, quot animæ in errorem inducantur, & pereant. Itaque nominatim vobis commendamus, vt cunctis viribus contra impia Lutheranorum zizania insistatis, aduersus quæ omni nos vigilantia intenti Concilium Generale coëgimus, vrgemusque, ac volumus teneri, ac perfici, sperantes, quæ in eo tractari cœpta sunt, optatum ad exitum Deo iuuante perductum iri. Adiuuate igitur filij & vos Ecclesiam sanctam Christi. Nos verò pro nostro munere, ac singulari clementia erga Vos, nunquam protegere Vos, & Societatem vestram, ac fouere desistemus. *Hæc Pontifex Par. I. Hist. Soc. lib. 8. n. 12. Et n 51. eiusdem Libri, se Paulus acerrimum Societatis defensorem constituit, & quo causas offensionum maturè opprimeret, Apostolicum diploma edidit, in quo duos statuebat Antistites Conchensem, & Salmanticensem, iudices, tutoresque Ordinis ab sese recepti, vt & à publicis & à priuatis obtrectationibus, nullo habito personarum discrimine, seueris Ecclesiæ censuris, & animaduersionibus, cum Societatis instituta, tum ipsos homines*

Pontifex aliquot è Socijs in Siciliam destinat.

Quibus suum erga Societ. testatur amorem.

Ob eorum virtutem, & facta, spiritualemque profectum.

Eis Siciliæ Regnum, Ecclesiam,

Ac præcipuè Hæreticorum conuersionem commendat.

Suumque fauorem in perpetuum pollicetur.

Et se defensorem Societatis constituit.

Protegit censuris contra eius obtrectatores,

In fundatione Collegij Salmantini: & contra Canum.

mines vindicarent, in eosque pariter animaduerterent, qui moras aliquas inferrent Collegij Salmanticensis initijs: mandabatque in eodem diplomate Pontifex, Vt qui publicè, priuatimuè Societatis nomini detraxissent (*eorum agmen ducebat Canus*) ij eodem modo violatam eius famam palinodia resarcirent. *Quo sub Patrono ac defensore omnium supremo non leuiter fracta aduersariorum audacia.*

Exercitiorum Librum commendat, ob vberes eius fructus.

Ab Eodem: *Qui in Bulla data ann.* 1548. *hanc de Exercitijs S. Ignatij celebrem sententiam pronuntiat.* Plena sunt (*inquit*) Exercitia illa pietate, & sanctitate, ad ædificationem, & spiritualem profectum valde vtilia, & salubria: maximum verò adiumentum attulerunt ad fructus vberes, quos Ignatius, eiusque Societas in Ecclesia Dei vbique gentium producere non cessat. *Ita Pontifex latentem hunc thesaurum æstimauit sub ipsius originem Societatis. Hæc apud Imag. 1 sæc. Soc lib 3. cap. 10. fol. 381. Et ibidem lib. 5. cap. 9. fol. 651 Idem Christi Vicarius excitatum Romæ Collegium Germanicum, vnde laboranti sub Hæresibus Septentrioni opportuna subsidia peterentur, non alijs melius quàm Socijs commendandum, committendumque iudicauit, quos videlicet ipso iam vsu didicisset esse pro Deo, & Religione deuotos omnes plusquam Codros, Curtiosve pro patria. Et tandem, vt constat ex cap. 10. eiusd. lib. 5. fol. 661. fuit vt (quo nescio an maius aliquid, aut breuius dici possit) admiratione motus earum rerum, quæ à Minima Societate maxima gerebantur,* Digitus Dei est hic, *palam, & libere testaretur à Paulo.*

Collegium Germ. contra hæreses instituit: Et tradit Societati,

Quam Digitum Dei vocat.

Societas nihil non sanctum continet.

2. A Iulio III. *In Bullâ incipit,* Exposcit, *ann.* 1550. Quapropter (*inquit*) considerantes, nihil quod Pium, sanctumque non sit in dicta Societate, eiusque Laudabilibus Institutis, ac exemplari Ignatij, & aliorum Sociorum prædictorum vitâ, & moribus reperiri; eaque omnia ad suorum, & aliorum Christi fidelium animarum salutem, & fidei exaltationem tendere, *&c. Ita in Bullar. Soc. fol.* 68.

Tendit in animarum salutem, ac fidei exaltationem.

Ab

AB EODEM: *Qui, quâ motus ratione fuerit ad ſtabilitam iam à Paulo* SOCIETATEM *robuſtius etiam confirmandam, fatetur his ad Ignatium verbis in Bulla ann.* 1552. *quæ incipit, vt ſequitur;* Sacræ Religionis, ſub qua dilecti filij SOCIETATIS IESV, reiectis ſæculi vanitatibus gratum Altiſſimo præbent ſub humilitatis ſpiritu famulatum, & feruentibus ſtudijs per exempla virtutum, & ſolidam doctrinam alios ad diuinæ Maieſtatis obſequia trahunt, fauor expoſcit, & deuotionis veſtræ merita nos inducunt, *&c.*

Præbet Altiſſimo famulatum per exempla virtutum.

Trahens alios ad Dei obſequium.

AB EODEM: *Quem tempeſtatem illam contra* SOCIETATEM *ſine* SOCIETATI *culpâ Toleti coortam, (indictâ ſuis omnibus precatione quo Deus bene omnia verteret) ſignificaturus Ignatius adijt, eique rem totam exponit Pontifex, cum Ignatium comiter audiſſet, bono animo eſſe iuſſit, æquiſſimum* SOCIETATI *ſe fore pollicitus, & eius cauſam ſibi maximè commendatam. Deinde Bernardino Maffæo Cardinali, qui erat ei ab epiſtolis & arcanis, negotium dat, vt ad ſuum in Hiſpania Nuncium, qui erat Poggius, idemque tam Cardinalis Legatus, & ad ipſum Archiepiſcopum Toletanum (Silizeus is erat) ſuis verbis ſcribat,* vt iniqua illa contra SOCIETATEM edicta, quàm primum reuocet. *Eas literas, priuſquam darentur, cum Pontifex inſpexiſſet, tametſi magnas, ac præclaras* SOCIETATIS *laudes continebant, tamen ad ceteram commendationem, hoc inſuper addi voluit,* SOCIETATEM TOTO CHRISTIANO ORBE AMARI, HVMANITER ACCIPI, IN PRETIO ESSE. *Ita Par.*I. *Hiſt. Soc. lib.*II. *n.*60.

Defenſa à Pontifice contra Archiep. Toletanum.

Cuius in illam Edicta iubet reuocari.

Et amari à toto Orbe teſtatur.

AB EODEM: *Qui cum falſa ſuſpicione traſceretur* SOCIETATI, *tandem placatur. Non enim tulit Dei bonitas, cuius in manu cor Regis eſt, vt diutius ira concepta in Iulij pectore reſideret. Ea Romanorum Regem Ferdinandum impulit, vt cum ad Pontificem de rebus ſuis ſcriberet, ab eò peteret, ne grauaretur Ignatium pro ſe loquentem audire, habere illum ab ſe mandata, & ſui pectoris arcana quædam, quæ cum eo ſuo nomine conferat; eodemque tempore de re tota Ignatium certiorem per literas fecit. Pontifex acceptis Ferdinandi literis, Ignatium accerſit, qui cum morbo teneretur, implicitus, aduer-*

Sed falſa ſuſpicione ei iraſcitur.

Et tandem placatur Regis Rom. literis.

Quibus acceptis Ignatium Pontifex accerſit.

aduersam valetudinem excusauit : pauciſque diebus ſibi reſtitutus ad Pontificem alacer adit, cunctis admirantibus, nec ſatis intelligentibus, vnde tantus repente animus in Ignatio, qui Pontificis infenſi vultus, & conſpectum, ſubiret. At Pontifex, vbi renunciatum eſt pro foribus adſtare Ignatium, & proximos ad ſeſe aditus obſidere, iuſſit eum illico introduci. Quem, vt in conſpectum venit, non eſt paſſus propter recentem eius valetudinem de genibus ſe affari, ſed ſecum modo inambulantem, modo ad feneſtram inſiſtentem, & quidem pileolo opertum caput loquentem audiit. Ignatius, vbi SOCIETATEM apud eum permodeſte purgauit, delapſus ad Ferdinandum expoſuit ea, quæ in mandatis habebat. Cui cum benigne dediſſet operam Julius, ad eum met ſermonem tranſtulit, & SOCIETATEM vltro ipſe purgaut, affirmans. Nihil de ſuâ in eam beneuolentia, ac priſtina voluntate falſis hominum ſermonibus, quibus non ſatis crederet, imminutum, ſpondens inſuper nullo loco SOCIETATI ſe defuturum, Romanoque Collegio aureos annuos bis mille, vel Abbatiam aliquam, quæ prima ſuo poſſeſſore vacaret, aſſignaturum, curaturumque ea de re conficiendum ritè diploma. Deinde quærenti nunquid Profeſſorum Domus deſideraret ad victum, cum reſpondiſſet Ignatius, quanquam emendicato viueret, nihil illi deeſſe : SOCIETATEM tamen ipſam eius egere gratia, paternaque benedictione, diſcedendi veniam petiit. Sed priuſquam dimitteret Pontifex accerſito ſui Præfecto cubiculi, mandat, vt quoties ad ſeſe Ignatius accederet, omnes ei confeſtim paterent aditus : neque committeret, vt is pro foribus moram traheret, ſed ſe protinus de eius aduentu, quamuis cum Cardinalibus ageret, commoneret. Quæ res magnum SOCIETATI nomen, magnam Ignatio ipſi opinionem comparauit. Poſtridieque Pontifex aureos coronatos quingentos eleemoſynæ nomine ad Ignatium miſit. Ita ſubitò exortam nulla SOCIETATIS culpa procellam paucis diebus lætus dies excepit. Verum egregiam hanc Julij erga noſtrum Ordinem voluntatem haud ita multo poſt intempeſtiuus obitus anteuertit rebus infectis, nec de pecunia Collegio decreta Diplomate ritè dato. Ea quoque re ſuam erga Ignatium, & SOCIETATEM Pontifex voluntatem

Et benigne alloquitur,

Suum patrocinium Societati promittens.

Ac annuos reditus Romano Collegio.

Ignatio ad ſe aditum ſemper patere iubet.

Etiamſi cum Cardinalibus agat.

Illi eleemoſynam mittit.

tatem Paternam ostendit. Hæc Par. 1. Hist. Soc. cit. lib. 14. num. 11.

AB EODEM : *cuius summa in nos extitit liberalitas. Is ex Ecclesiæ bonis Salmanticensi Collegio, Cardinali rogante Mendoza, aureos septingentos quotannis attribuit, quamuis ægre aliàs adduci posset, vt de priuatis Ecclesijs detraheret aliquid quod in alios vsus, & Collegia conuerteret. Is Romano Collegio, Duce postulante Gandiæ, aureos item mille quingentos in annos singulos assignauit. Is Cæsarauguſtæ Domicilium sacrarum Virginum, à Ioanne olim Consaluio Aragonensis regni Conseruatore excitatum, ab eodemque posteà auctoritate Pontificis Maximi dissolutum, nostris addixit. Is, cum ad eum supplex rediret* Ignatius, *vt ex interioribus Ecclesiæ thesauris aliquid more suo in animorum commodum postularet, Pontifex cum annuisset petenti.* Quid? *inquit*, nihil ne in vitæ vestræ tutelam, & indigentiam corporum postulatis? *iussitque eum in posterum acri interposito obedientiæ mandato*, quoties Professorum domus in egestate esset, toties ad se fidenter, & sine verecundia reuerti: *vnumque de familiaribus suis præsentem monuit*, vt id ipsum sibi ad memoriam subinde redigeret. *Hæc præstantissimi, optimique Pastoris erga* SOCIETATEM *mens, hic animus fuit. Ita refertur ibidem lib. 10. num. 34. Et postea lib. 3 num. 1. subditur, quod idem Iulius Pontifex,* SOCIETATEM *Hierosolymæ, & Constantinopoli, & in Cypro collocare constituit: & ne ibi Collegia conderet, nisi morte prohiberi non potuit. Intelligebat optimus Pater (additur in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 9. fol. 651.) Duxq; vigilantissimus, melius nusquam aut glorioſius, quàm medios inter hostes exponi fortissimum quemque militum, generosissimumque filiorum. Quin etiam Sociorum opera vti voluit ad expiandas, instituendasque animas peregrinorum in Verbi incarnati æde illa sanctissimâ quam transuectam per aërem Laureti deniq; diuina Prouidentia collocauit.*

Et Salmantino Collegio annuum reditum attribuit.

Nec non & Romano.

Cæsarauguſtæ nostris domicilium donat.

Et Ignatium ad se iubet accurrere, quoties professa domus in egestate sit.

Tria Societatis Collegia apud Turcas collocare statuit.

Nostrorum opera ad expiandas animas in Lauretana domo vtitur.

AB EODEM : *Qui videns, quàm strenuè* SOCIETAS *summis Pontificibus in conuersione Hæreticorum, atque Ethnicorum nauaret operam, dixit* sibi SOCIETATIS operam necessariam esse: *Ita Par. 4. Hist Soc. lib. 5. n. 160.*

Necessariam ad conuersionem Hæreticorũ reputat Societatem.

AB

Et plurimos in Ecclesia fructus afferentem.

AB EODEM *in Bulla expedita (postulante Ioanne III. lusitano Rege) pro vniendo Monasterio S. Ioannis de Longauares Collegio Conimbricensi, quæ incipit,* Regimini vniuersalis Ecclesiæ, &c. *fructum à nostris in Regnis Algaruiorum factum recensens,* Plurimos, *inquit,* in Ecclesia Dei fructus afferebant, quodque tam in dictorum Portugaliæ, & Algarbiorum Regnis, quàm in insulis maris Oceani, eidem Regno subiectis, & pluribus alijs locis plurimum proderant, &c. *Ita apud P. Balthasarem Tellez in chron. Hist. Soc. Iusit. Tom. 1. lib. 3. cap. 29. n. 5. sic de socijs, ac Societate sentiebat sanctissimus Pontifex, cuius immaturam mortem Societas omnis, quæ Iulium agnoscebat vt Patrem, à quo ampliſsimo diplomate, immunitatibus aucta, munita priuilegijs, ornata diuitijs, & beneficijs erat.*

Æstimata Societas à Marcello.

3. A MARCELLO II. *Ceruino Politiano Iulij successore, qui longe maiora pollicebatur, si vita suppeditasset: ille, inquam, qui Romanæ Ecclesiæ, qui Societati nostræ tantum ostensus, & satis tamen exhibitus Pater: ille, quem Roma quidem vix Pontificem prius creatum, quam mortuum potuit audire. Erat hic cum bonis omnibus, tum Societati Ignatioque peramicus, vir integerrimus, & omni laude cumulatus, munerique tanto omnium opinione par. Iniit Pontificatum ingenti bonorum omnium gratulatione, gaudioque. Quem cum adorandi, gratulandique causa noster quoque adiisset Ignatius, Pontifex hominem arcte complexus, & suauiter osculatus, cum eo inambulans de re componenda christiana, de propaganda Christi fide, de veteri disciplina restituenda, de sanandis denique affectis christianæ Reipublicæ partibus multa contulit. Deinde comiter ab se dimisso,*

Ignatius, & socij.

Quos Pontifex Milites suos, ac Bellatores appellat.

mandauit, suo vt nomine benedictionem cunctis Patribus impertiret, quos singulos aueret inspicere, & quasi suas Copias, ac Milites recensere: *proinde curaret eos, vbi primus ille salutationum æstus deferbuisset, ad se adduci: cohortatusque ad augendam religiosæ Militiæ Societatem.* Tu Milites, *inquit,* collige, & Bellatores instrue, Nos vtemur. *Duos etiam quos apud se haberet Theologos postulauit eâ modestia, vt adderet,* Nisi forte vtilius putes operam alibi nauaturos. *Certissimo, quanti & Ignatium, & Socie-*

Ac duos Theologos apud se habendos postulat.

Societatem eius ipse faceret argumento. Ita Par. 1. Hist. Soc. lib. 15. num. 3.

AB EODEM: *Qui tanto flagrabat amore huius Societatis, vt nonnunquam cum de ea sermonem haberet, discedere ab ea verborum parcimonia, quæ illi erat natiua, videretur. Aliquando in conuentu plurimorum hominum de hac Societate loquens dixit*, se non legisse (*etsi in Historijs esset versatissimus*) vlli homini post Apostolorum tempora, concessum fuisse à Domino, quod Patri Ignatio, vt dum viueret, tantum operis, cuius fuisset ipse instrumentum, incrementum videret. *Significabat autem apertissima hac testificatione, declarasse Deum hominibus, quantum hoc Institutum approbaret. Is paulo antequam Conclaue illud ingrederetur in quo Pontifex renunciatus est, dicebat quadam die mihi (hic loquitur Doctor noster Olauius) deplorans nostrorum temporum corruptelam*, Cum ex pluribus rebus, quas in mundo geri videbat, grauissimum caperet animo dolorem, in illis tamen rebus quas Dominus dignabatur per Societatem nostram operari, acquiescere, & recreari solere. *Postquam electus fuit in Pontificem, P. Ignatio me præsente dixit*, Deliberasse se omnino duos Sacerdotes nostræ Societatis apud se habere, cum quibus de grauioribus rebus communicaret: propterea videret, quos illi dare vellet: *Quæ omnia illius sanctissimi Pontificis beneuolentissimum erga nostram Societatem animum non obscure testantur. Sic ibid. n. 60.*

Iterum laudat Ignatium:

Et Societatem.

Ea recreabatur Pontifex.

AB EODEM: *Cum is adhuc Cardinalis esset, & cum eodem Olauio aliquando agens, disputansque, num commodè faceret Societas nostra, Ecclesiasticas dignitates, atque Episcopatus reiiciens, multas in contrariam partem rationes afferebat; quibus satisfecit Olauius: & cum adhuc Marcellus in sua sententia persisteret, subiecit Pater: Non rationibus tantum Illus. tecum agam, sed etiam auctoritate. Magister quippe Societatis nostræ ac Parens Ignatius vtilius hoc iudicat, & maximè probat: nec solum nostra referre putat, sed multo etiam magis Ecclesiæ Dei. Tunc Cardinalis*: Nunc cedo, *inquit*, Olaui, & manus do. Plus enim apud me in hac quidem causa momenti

Et ad dignitates Ecclesiasticas repeteret,

Nisi Ignatius oppositū sentiret.

Hunc, & Societatem mire extollit.

menti habet Ignatij auctoritas, quam omnes idque ipsa ratio manifestè docet. Probabile enim est Ignatium, qui Societatem vestram tam opportuno tempore, & Dei Ecclesiæ necessario diuinitus instituit, felicissime propagauit, prudentissime hactenus gubernauit, eius qui illum vnum ad tam eximium opus elegit, voluntatem Dei potius habere compertam, quam nos qui sæpè hallucinamur, & media in luce non videmus. Quis enim qui Ignatium ad fundandam Religionem vestram, amplificandam, atque administrandam, tanta à Domino gratia atque spiritu dotatum videat, non etiam intelligat illum ipsum cęlesti lumine collustratum, certissima ratione accepisse, in qua nimirum Deus velit, vt se ad eius obsequium Societas vestra exerceat, & perpetuo conseruet? Quapropter vestris quidem potissimum in rebus, vnus Ignatius omnium mihi rationum instar est. *Hæc Marcellus ante Pontificatum apud* P. *Ribadeneira in vita S. Ign. lib. 3. cap. 15. fol. mihi* 145. *& post* Pontificatum, *idem iudicium, eandem opinionem, & existimationem (& forte maiorem) de Ignatio* Parente, *& Societate habuit: quam mille fauoribus, gratijs, & priuilegijs cumularet, si viueret. Sed quæ rerum humanarum est inconstantia, paucos intra dies in febrim incidit, & altero ac vigesimo* Pontificatus *sui die, communi omnium luctu, sed præcipue Societatis mœrore, decessit.*

Quam opus eximium appellat.

Pauli amor in Ignatium.

4. A PAVLO IV. *antea* Petro Carrafa Cardinali Theatino, *vnoque è primis qui Sacrum* Clericorum Regularium *fundarunt Ordinem: ex quo etiam Theatinos vulgus appellat. Qui tam amanter, quam honorificè excipiebat Ignatium: neque enim passus est vnquam ab Ignatio se degenibus, ac ne aperto quidem capite compellari,*

Et reuerentia.

sed secum per cubiculum perambulantem, multis inspectantibus, & admirantibus audiit. Eo mortuo ad Patres Congregationis primæ Generalis *de Lainij creatione renunciantes hæc verba pientissimus* Pontifex *dedit, in quibus egregie laudat* Comitiorum *exitum, commendat Societatem, adhortatur ad laborum constantiam, confirmat creationem* Præpositi, *& ipsam Societatem.* Læti, *inquit*, summo

&

& immortali Deo gratias agimus, quod vobis singulare hoc beneficium his diebus est elargitus, vt, quemadmodum ex fida relatione comperimus, Præpositi Generalis creatio pia vobis, canonica & sancta contigerit. Non enim obscurè intelligimus electionem adeò consentientem, atque concordem amore Spiritus Sancti esse peractam: eaque res nobis confirmat Vos in Vnitate Spiritus ambulare, vnum, & idem sapere VESTRAMQVE BEATAM SOCIETATEM SVPRA PETRAM IN IPSO ANGVLARI LAPIDE, QVI EST CHRISTVS, FVNDATAM ESSE. Et magni profecto referebat hunc actum primum ita feliciter cedere, & talibus conditionibus fieri; qui, vti est primus, ita aliorum quasi norma futurus sit. Quare magnam spem in Domino concipimus, nobisque pollicemur fore, vt diuina bonitas quæ in vobis tam præclarè cæpit, eadem prosequatur, & vos conseruet, & augeat sua benedictione, idque in gloriam æternæ Maiestatis suæ, & vtilitatem Ecclesiæ sanctæ. *Hic conuersus ad Latinum*, In te, *inquit*, dilectissime fili, hæc sors cecidit. Præpositus & Caput es huius BENEDICTÆ SOCIETATIS, quæ quanquam ab exiguis & infirmis est orta principijs (vt nos memores sumus, qui vobis ab initio fauorem, & amorem nostrum declarauimus, neque hactenus intermittimus, neque intermittere volumus) non parum multa pertulit, atque interea, tot incrementa accepit, atq; tam vberes Fructus Dei Ecclesię in Vniuerso Orbe terrarũ attulit. Multorum enim testimonio cognoscimus, quanta per Vos commoda Deus Mundo pariat, & quàm felices conatus Vestri, Deo cooperante passim proueniant. Verum ipsi cogitate, filij charissimi, VOS NON AD QVIETEM, ET DELICIAS, SED AD LABOREM, ET CRVCEM VOCATOS ESSE. Proponite vobis Dominum & Saluatorem nostrum Christum IESVM, cuius exempla & verba animaduertite. Non est, inquit, seruus maior Domino suo, neque discipulus supra Magistrum, & eum qui mittit illum. Veniat vobis in mentem Præcursor Domini, quem diuina

Eius verba ad Patres Congregationis.

Laudat Comitiorum exitum & Societatem:

Quam supra Christi Petram fundatam, ait.

Et vberes in Vniuerso Orbe fructus Ecclesiæ afferre.

Adhortatur ad laborum constantiam,

Christi Domini Præcursoris, & Principis Apostol. exemplo.

voce sanctissimum esse accepimus, considerate beatissimum Apostolum Gentium, & Apostolorum Principem Petrum, qui sicut in diligendo Christo fuit cæteris ardentior, sic etiam in eodem imitando factus est similior. Quare iam moriturus humiliauit sese non solum vsque ad mortem Crucis, sed etiam vsque eò, vt ne dignum quidem se arbitraretur Crucis perferre supplicium ad eum modum, quo Dominus & Magister subijsset. Inuerso enim capite, siue vt Græci dicunt ἐπι κεφαλὴν voluit crucifigi. Quod supplicij genus multi Romæ sunt post eum secuti & imitati. Perpendite denique Sanctorum exempla omnium cum veteris, tum noui testamenti, qui per summos labores, & pericula maxima cælestem hæreditatem adierunt. Ne putetis vos melioris esse conditionis, quam legis vtriusque Sanctos Dei legatos, de quibus Sanctus Stephanus ait, Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? & Dominus: Mensuram implete Patrum Vestrorum. Quod vtique tum fecerunt, cum Christum Dominum occiderunt. Similiter vobis continget. Multi enim non recipient vos, nec doctrinam vestram, sed persequentur vos, & interficient, obsequium se præstare Deo arbitrantes. Perturbatissimum enim sæculum hoc est, quo Dominus vocauit ISTAM BEATAM SOCIETATEM. Ecclesiam Dei diris modis vexari, & vbique ferè oppugnari videmus. Oppugnant Christi sponsam non tantum à fide alieni, Barbari, & qui nouis in Insulis Christianum nomen hostiliter infectantur; sed etiam illi, qui communi nobiscum Christianorum nomine gloriantur, qui eodem baptismatis fonte renati sunt, & eorumdem Sacramentorum communicatione nobiscum vtuntur; quos tamen omnium maximè sanguinem nostrum sitire certum est. Proinde vos aduigilare oportet, minimeque segnes esse. Abijcite timorem quemuis, & hominum respectum, libero atque imperterrito animo nomen Domini confitentes, perque vniuersum mundum portantes,

Et ad Mundi odia pro Dei Ecclesia subeunda.

vt

vt aduerſus formidanda conſtantes, ita contra blandientia incorrupti. Nulla vos gratia, nulli fauores impediant, quominus vos veros & perfectos Dei ſeruos exhibeatis. Totos vos pro Eccleſia Sancta impendite, vt ſitis demum ſacrificium Deo in odorem ſuauitatis in finem vſque perſeuerantes, vt iucundam illam & cæleſtem vocem audire mereamini, Venite benedicti Patris mei. Cæterum, quod ad creationem Generalis pertinet, eam nos libenter confirmamus, & non ſolum eam, ſed & HANC BEATAM SOCIETATEM, & omnia beneficia tam ſpiritualia, quàm temporalia, & Priuilegia, quæ vel ſuperiores Pontifices, vel nos ipſi conceſſimus, approbamus, & confirmamus, prompti & ad alia vobis concedenda, quæ ad Dei gloriam vobis neceſſaria erunt. Et auctoritate Domini noſtri IESV *Chriſti* nobis conceſſa, & Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra benedicimus vobis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et benedictionem hanc noſtram volumus non ſolum ad vos, filij dilectiſſimi, qui præſentes adeſtis, pertinere, ſed etiam ad abſentes fratres veſtros tranſmitti vbicumque terrarum ſint: ac precamur Dominum, vt ipſe in cælo ratam habeat, ſicut nos in terris eius locum gerentes impertimus; & offerimus vos ante conſpectum Domini noſtri Ieſu Chriſti: eumque precamur, vt vos, & numero, & merito dignetur augere, vt nomen ipſius vniuerſum per Orbem portare valeatis; tandemque beatitudinem illam conſequamini, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit; vtque audire mereamini non eam vocem, Vt quid enim terram occupat? Succidite illam; ſed eam, Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui, iuuante eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & ſpiritu ſancto viuit, & regnat per infinita ſæcula ſæculorum, Amen. *Hucuſque Pontifex ſummus, &* SOCIETATIS *amantiſſimus Pater, vt refertur in Par.2. Hiſt. Soc. lib.2. à num.37.*

Confirmat creationem Laynij: & ipſam Societatem.

Quam Beatam appellat.

Et multiplici benedictione replet.

Post hæc tanta, verba Lainij ad Pontificem secuta, & quidem pauca: Pro fauoribus, dixit, ac beneficijs sibi totique SOCIETATI *concessis non posse gratiarum satis agere, & hoc decus, hanc esse coronam* SOCIETATIS, *quod talem haberet Pontificem, in eiusque Patrocinio ita esset. Rogare interim, vt cum eius benedictione, dum coacti adessent Patres, liceret cætus habere, & quæ ad* SOCIETATEM *stabiliendam perficiendamque pertinerent, communiter pertractare.*

Benignitas summa Pont. erga Patres.

Volumus, *inquit*, concedimus, indulgemus vobis, vt tractare libere, & statuere possitis quæ necessaria videbuntur ad stabiliendam & augendam vestram SOCIETATEM. Si quid autem inciderit, in quo consilio putetis nostro vtendum, adite, accurrite cum fiducia tanquam FILII AD PATREM. Nam quamuis magnis peneque infinitis occupationibus detineamur, quæ nos profecto exercent, & vtinam pro Dei obsequio, & gloria, volumus tamen semper vobis aditum patere. Habetis hic hos Reuerendiss. Cardinales duos Tranensem atque Alexandrinum, quibus res vestras curæ esse sentietis; & quibuscum conferre omnia poteritis, vt nos deinde vestro nomine alloquantur. Habetis & Cardinalem Neapolitanum nepotem nostrum, qui iuuandis vobis operam dabit, sicut illi demonstrauimus. *Tandem sæpius bene precans, & interdum brachia super pectus veluti amplexurus componens dimisit. Ita Sacchinus Ibid n.* 41. *&* 42.

Quos ad se, vt ad Patrem iubet accurrere.

Et tres Cardinales in Societatis curam iubet intendere.

AB EODEM, *qui aliquando dixit inter cætera cum ingenti sensu,* Hanc BENEDICTAM SOCIETATEM ego semper iuui. *Sic ibidem num.* 18. *& postea num.* 28. *eiusdem lib.* 2. *referuntur verba Card. Pacieci ad Patres Congregationis Pontificis nomine ante Generalis electionem, in quibus dixit,* Velle sanctissimum Dominum Congregationi vniuersæ notum ac certum esse, ipsum SOCIETATIS proprio quodam ac præcipuo modo patrocinium suscipere: neque ab ea pro communi tantum omnium PARENTE, SED PRO SINGVLARI, AC PROPRIO VELLE HABERI: ad quem sine cunctatione verecundiæq, vlla retardatione quidquid vnquam foret opus, referret. Siquidem planè sibi cognitum

Illamque se semper iuuisse fatetur.

Ac pro singulari eius patrono, ac proprio Parente vult haberi.

Ob fructus ex illius opera secutos.

nitum esse cunctis ex oris quantum, siue inter Christianos populos, siue alienos, ac præsertim inter Hæreticos SOCIETATIS opera vteretur Deus: quanta per eam vbiuis gentium commoda crearentur. *Hæc inter alia Pontifex Paulus Cardinalis ore ad Congregationis Patres elocutus, in summam sociorum, ac* SOCIETATIS *laudem.*

Et præcipuè inter Hæreticos.

5. A PIO IV. *Cui nec gratam minus, commendatamque fuisse* IESV *Societatem, post facta luculenta ipsa eius sinceriſſimi affectus verba testantur. Etenim in Bulla incipit:* Etsi ex debito *ann.* 1561. Ad illos tamen (*inquit*) qui sicut Nomen Sociorum à IESV assumpserunt, ita opere, doctrina, & exemplis Dominum Nostrum Iesum Christum imitari, & eius vestigia sequi nituntur, Maioribus Fauoribus, & Gratijs persequendum inuitamur. *Et posteà*: Attendentes, quantum dicta vestra Societas in Ecclesia Dei hactenus fructum attulit, & quantum in futurum, Deo dante, sit allatura; & propterea Vos præ ceteris alijs Religiosis Maioribus Fauoribus, & Gratijs fore merito prosequendos. *Ita in Bullar. Societ. fol.*79. *&* 81. *Quæ verba eò magis Societatem commendant, quod prolata sint, vt statim subdit Pontifex*, Motu proprio, non ad Vestram, vel alicuius pro vobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex nostra scientia, *&c.*

Commendatur à Pio ex IESV *Nomine.*

Et quia Christum doctrina, & exemplis imitatur.

Ideo maioribus fauoribus præ ceteris Relig. prosequenda.

AB EODEM: *Qui nec verbis solum, vt dixi, sed ipso statim Pontificatus sui initio factis etiam in Societatem beneuolus, cum præstitisset eam gratiam, quæ à Socijs amplissima postulabatur, cumque omnium nomine ad Pium Patrem gratias referret Generalis Lainius, subiecit sanctissimus* Pater (*aderant Cardinalis Moronus, & Ferrariæ Dux, eo die apud Pontificem pransi*) Haud opus gratijs esse: Societati IESV vsque ad sanguinem fauturum. *Alioque die cum literas in commendationem rerum nostrarum à Philippo Hispaniarum Rege accepisset, dixit*, Ab Imperatore quoque, & alijs Principibus ad se eiusmodi commendationes Missas: verum superuacua secum talia officia pro Societate esse, ad quem commendare eam potius pertineret. *Quæ non verbi causa dici*

Illique se vsque ad sanguinem fauturum aiebat.

Literas Societatis commendatitias accipit ab Hisp. Rege.

Quibus se neutiquam indigere testatur.

dici res veri animi indices, testabantur. Nam quos per orbem Christianum vndique in Prouincias dimittebat Apostolicæ Sedis Nuncios, ijs Societatem plurimum commendabat: & ei quem in Germaniam destinauit, dissertè hoc addidit in mandatis, Vt vias attentè dispiceret, per quas plurima eius Collegia conderentur. *Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 4. num. 7. Et antea num. 4. eiusdem libri 4. clementi vultu, & oratione Pius Lainium exceperat dicens:* Optimè sibi cognitum quantum latè per remotissimas terras in commune pietatis Societas conferat: Opera eius liberaliter vsurum. Nec modo diuina quæcumque posset, ad eius stabilitatem firmamenta collocaturum, sed humana quoque præbiturum adiumenta, & Collegij Romani præcipuè memorem fore. *Haud benignius quàm fecit, locutus est.*

Et in Germania plurima Collegia desiderat.

Quantum Societas conferat communi pietati.

Ideo ad eius stabilitatẽ diuina & humana firmamenta spondet.

AB EODEM, *in Diplomate, quo B. Franciscum Borgiam Romam vocabat:* Pastoralis (*inquit*) Officij solicitudo, quam sicut Domino placuit nostris meritis & viribus imparem sustinemus, facit, vt ad tuendam tam necessario tempore gregi Dominico salutem, bonorum, atque fidelium Christi copiam præsto nobis esse quàm maximam in hac alma vrbe cupiamus. Cum itaque inter ceteros Ordines eorum, qui se cultui diuino dicarunt, Societatem istam ipso, ex quo Nomen sumpsit, Auctore IESV Domino nostro excitatam fuisse declarent magni & vberes fructus, quos Ecclesiæ attulit, & quotidie affert. Te de cuius fideli, ac strenuo ministerio, ipso vitæ, ac bonorum operum tuorum odore latè fragrante cognouimus, huc duximus euocandum. Proinde deuotionem tuã, quam acriora mandata nostra non expectaturam esse confidimus, hortamur in Domino, vt ad Apostolica limina, si modo aduersa valetudine non impediris, primo quoq; tempore venias: ita tamen iter te facere volumus, vt rationem habeas valetudinis. Gratus erit nobis aduentus tuus, idemque fratribus tuis cunctis, qui hac in vrbe resident, eumque auidè expectant, opportunus. Datum Romę apud S. Petrum sub annulo Piscatoris 1560. Pontificatus nostri an. 1. *Ita ibid. l. 4. n. 195.*

Societas dicitur à Pontif. diuino cultui dedicata.

Excitataque Auctore IESV.

Eius magni, & vberes in Ecclesia fructus.

Romam Borgia euocatur.

AB

AB EODEM, *Literis ad Regem Philippum 2. de Romano Collegio.* Et officio (*inquit*) nostro conuenit Religiosam vitam degentes patrocinio nostro diligenter tueri, ac fouere, & Regibus maximè expedit de seruis eius, per quem ipsi regnant, quàm optimè mereri. Dominus noster in seruis suis recipitur, & honoratur, sicut ipse in Euangelio dixit: Qui recipit vos me recipit. Sed inter Religiosorum Ordines singulari ab Apostolica Sede studio, meritò complectendus is Ordo est, qui non ita pridem institutus, & ab hac sancta Sede confirmatus IESV SOCIETAS appellatur. Hi enim Operarij licet nouissimi, tanquam nona diei hora in vineam Dominicam ab ipso Domino inducti sint, adeò strenuam tamen, & vtilem operam nauare cœperunt, vt non modo spinas ex ea, & vepres euellere aggressi sint, sed ipsam etiam alibi auxerint, & propagarint. Incredibile fere est, quantum tam breui tempore hic Ordo profecerit, quantum Ecclesiæ Dei vtilitatis attulerit; quam multa eius Ordinis Collegia, diuina fauente gratia, alia alijs in Prouincijs instituta fuerint, non sine maximo earum Nationum fructu, & commodo. Quorum diligentia alibi fides Catholica confirmatur: alibi hæreticæ prauitatis pestis reprimitur: alibi Gentiles, & idololatræ relicto idolorum cultu ad Christi veri Dei cultum conuertuntur. Ex quo cuiuis perspicuum est excitatum hunc à Domino Ordinem fuisse his tam turbulentis, & calamitosis Ecclesiæ temporibus, & aduersus satanæ ministros, & operarios oppositum: vt, cum illi Ecclesiam Catholicam vehementer oppugnent, eam hi non minus acriter defendant: cum illi simplicibus hominibus errorum tenebras offundant, hi lucem veritatis ostendant, vt quantum denique illi prauis exemplis, & disciplina pestifera destruunt, tantum Hi vitæ, ac morum sanctitate, & salutari doctrina ædificent. Huius Ordinis maximum in hac alma Vrbe Collegium habemus, quod tanquam Seminarium quoddam est aliorum, quæ per Italiam, & extra ipsam Italiam in Germania, & Gallia propagantur.

Commendatur Hisp. Regi Colleg. Romanum.

Et Societas: quæ singulari studio à sede Apostol. cõplectitur.

Obstrenuã, & vtilem in vinea Domini operam.

Et incredibilem vtilitatem.

Commoda ex eius Collegijs.

Quæ vbiq; instituta non sine maximo nationum fructu.

Laudatur ex fidei dilatatione Societas,

Et oppositione cum Hæreticis.

Quæ tanta est, vt quãtum illi destruãt, ipsa ædificet.

Et ex Rom. Coll. generosis suis, ac frugiferis planti-

Ex hoc vberrimo Seminario Apostolica Sedes instituit delectos, idoneos ministros tanquam generosas, & frugiferas Plantas, alios aliò prout vsus venerit, conserendas mittere: qui quidem tum instituendis pie, & diligenter pueris, tum prædicando Euangelio, tum ministrandis Sacramentis fructus eos, Domino cooperante ferunt, quibus hoc tempore Ecclesia Dei maxime indiget. Nullum, inquam, hi laborem pro Dei honore, & huius sanctæ Sedis obsequio recusant. Eunt, & nauigant ad omnes Nationes & loca, quocumque mittuntur, etiam ad Hæreticos, ad Infideles, & ad remotissimas Indiæ partes, sine vllo omnino metu, eius nimirum auxilio freti, cui deseruiunt. Itaque multum debemus huic Collegio ita de Religione Catholica merito, & assiduè merenti; adeò ad Christi Domini nostri, & huius sanctæ Sedis obsequia parato. Sed vt in hac Vrbe tanquam Christianæ Religionis arce, & Ecclesiæ Catholicæ Capite positum omnibus Ecclesiæ membris prodesse possit: non solum à nobis diligenter tuendum est, qui ei certè non desumus, sed piorum omnium, tuoque imprimis auxilio, tua protectione indiget. Qua de re quædam ad Maiestatem tuam mandata dedimus Venerabili Fratri Alexandro Episcopo Cariatensi Nuncio nostro. Sed ex eo necessitatem ipsius Collegij te cognoscere maxime volumus. His autem literis proprie indicandum tibi duximus fructum, quem ex eo vniuersa Ecclesia maximum, & maximè opportunum percipit. Quamobrem M.T. hortamur in Domino, rogamus, & in remissionem tuorum peccatorum tibi suademus, vt pro tua præstanti in Deum pietate, in Religiosos & bene de Christiana Religione merentes Ordines liberalitate, sicut Rex vere Catholicus hoc Collegium complectare, & quam commendatissimum habeas: certum habens tibi, & filio tuo, & in hoc, & in altero sæculo quidquid his Dei seruis tribueris, profuturum. Datum Romæ apud S. Petrum die 24. Nou. an. 1561. Pontificatus nostri anno 2. *Ita Ibidem lib. 5. n. 158.*

Vbique gentium expansis ad fidei dilatationẽ.

Etiam inter Hæreticos, & infideles.

Quantum huic Collegio debeat Ecclesia Regi proponit Pontifex.

Et hortatur, vt illud sua liberalitate complectatur.

AB EODEM, *Qui pari curâ totius Christianæ gentis custos in omnem partem excubans Septentrionem respexit. Grauelano nuper creato Cardinali* SOCIETATEM *in Belgio, diplomate item Apostolico commendauit. Zachariæ Delphino, & Ioanni Francisco Commendono Legatis, quos circumire ciuitates, Principesque Germaniæ, & ad Tridentinum Concilium inuitare iusserat, mandata addiderat* protegendæ, & quàm plurimis locis collocandæ SOCIETATIS. *Hæc, & alia Pij Pontificis pia erga* SOCIETATEM *studia. Ibid. num.159.*

Societas à Pontifice Legatis commendatur.

Quam pluribus in locis collocari desiderat.

AB EODEM: *Cui Collegium nostrum fortè visenti, adstantibus Cardinalibus Sabello, Sanctæ Floræ, Vitellio, & Gonzaga breui significatum excessu Cardinalis Carpensis Orbatam Patrono* SOCIETATEM, *simulque dubitationem Patribus incidisse, vtrum præstaret certum ac destinatum adscisere, an Cardinales omnes, sicut experiebantur, pro Patronis habere: cupere id arbitrio eius Sanctitatis esse: eiusque mentem, ac nutum sequi. Pontifex cum vehementer probasset, ne quis vnus nominatim Patronus assumeretur, clementer adiecit:* PATROCINIVM VESTRVM IPSI NOS RECIPIMVS, NOS ERIMVS VESTER PROTECTOR. *Quæ benigna Sanctissimi Patris voluntas ingens* SOCIETATI *gaudium peperit, & multum animi ad res gerendas addidit. Sic in eadem Par. 2. Hist. lib. 8. num.7.*

Eius se Patronum, & Protectorem declarat.

AB EODEM: *Cuius animo non poterat non ex his in* SOCIETATEM *nostram pijssimis studijs enasci dolor, atque molestia, quoties sentiret à maleuolis cum iactura diuini honoris, salutisque mortalium, eam impeti, quam ipse tantoperè commendaret. Quod cum sæpè aliàs, tum præsertim testatus est litteris, quas in patrocinium* SOCIETATIS *iniuriâ læsæ ad Maximilianum Imperatorem luculentè conscripsit, in hunc modum.* Ad aures nostras peruenit extitisse nonnullos qui diuini timoris immemores, & conscientiæ suæ negligentes, inuidia scilicet, & prauis quibusdam studijs occæcati libellos quosdam contumelijs, probris, & maledictis plenos disseminauerunt aduersus Ordinem totum SOCIETATIS IESV & quosdam eius Professores nomi-

Literæ Pontificis ad Imperatorem.

Pro tuendâ contra libellarios Societatis fama.

Quam ladi moleste ferat ob multa, & insignia erga Religionem officia, & merita.

natim qui sunt cæteris notiores. Sanè molestè tulimus lædi famam, & violari existimationem eius ORDINIS, CVIVS TAM MVLTA, ET INSIGNIA CONSTANT ERGA RELIGIONEM CATHOLICAM OFFICIA, ET MERITA. Qua in re non modo eis iniuriam fieri putauimus, sed id agi intelleximus, vt pia opera, quæ per eos in diuersis Orbis terrarum partibus effici consueuerunt, talibus calumnijs impediantur. Quia verò eos Libellos non per Italiam modo, sed per Germaniam etiam diuulgatos fuisse, & in tuæ quoque Maiestatis notiam perlatos esse accepimus, eam ignorare noluimus. Nos cum ad explorandam certius veritatem negotium dedissemus quibusdam ftatribus Nostris de Collegio Cardinalium, viris admodum grauibus, vt de criminibus, quæ illi SOCIETATI, & quibusdam de Collegio huius Vrbis obiecta fuerant, quærerent: eos re diligenter quæsitâ compertisse, atque ita nobis renunciasse, ea probra, & crimina, falsò illis & temerè admodum, à maleuolis, ad conflandum ei SOCIETATI odium & infamiam obiecta fuisse. Qua in re non confirmata fuit modo nostra, & ipsorum Cardinalium opinio de huius Collegij, & SOCIETATIS Vniuersæ pijs & laudabilibus institutis, vitæque, ac morum integritate; sed etiam non parum aucta, cum diligens de ijs rebus inquisitio innocentiam eorum magis patefecerit, in lucemque protulerit. Hæc eò ad Te scripsimus, vt veritati & innocentiæ testimonium debitum impertiamus, & ipse scias nullam omnino fidem contumelioſis illis, & impudentibus scriptis habendam esse: hortantes Maiestatem tuam, & petentes, vt cum non ignoret ijs, quicumque piè & religiosè viuere volunt, nunquam deesse solere vexatores & obtrectatores, quippe qui ne ipsi quidem Domino & Saluatori nostro defuerint, eorum, qui in ea SOCIETATE sunt innocentiæ faueat, sicut iustum & Catholicum & sapientem Principem decet, prohibeatque ne obtrectatoribus eorum vlla facultas detur ad impediendos eos quominus Dei honori, & animarum saluti, sicut

Eius innocentia à Cardin. deputatis declaratur.

Inde Societatis opinio apud Pontif. & Cardin. magis aucta.

Ab Imperatore contra libellatios supplicium.

ſicut ad hoc tempus fecerunt, ſedulo inſeruiant: Collegiaque eorum omnia in Germania, & in alijs ditionis ſuæ Prouincijs, cum pro ſua in Deum pietate, tum etiam pro Sedis Apoſtolicæ reuerentia ſtudioſè tueatur, atque defendat. Pro quibus erga eos ſtudijs Maieſtas tua tanto maiorem à Domino mercedem accipiet, quanto illi liberius, & commodius tuo defenſi patrocinio, & fauore adiuti Deo ſeruire, & curationi vacare animarum potuerint. Datum Romæ apud S. Petrum die 29. Decembris 1564. *Ita Ibid. num.* 34. *eiuſd. libri* 8.

Et pro Collegijs patrocinium expoſcit Pontifex.

Ab Eodem, *Alteris literis peregregijs ad Danielem Archiepiſcopum Moguntinum Sacri Romani Imperij Principem Electorem, in quibus etiam ad eamdem Societatis famam reſarciendam, ita ſcribitur:* Non ſine magna admiratione cognouimus libellos quoſdam maledictorum probrorum, & contumeliarum plenos nuper diſſeminatos per Germaniam fuiſſe ad odium, infamiamque conflandam vniuerſo Ordini Societatis Iesv, & quibuſdam ex ea præcipuè, qui ſunt ceteris notiores. Sane id moleſte tulimus. Intelleximus enim id antiqui hoſtis inſtinctu actum fuiſſe, vt, quoniam ab eius Societatis Collegijs, quæ ſunt in Germania, & alijs Prouincijs, magna & multiplex his miſeris temporibus ad Eccleſiam Dei vtilitas peruenit, eorum bona opera per maleuolorum hominum obtrectationes, & Calumnias impediantur. Etſi autem rem ita ſe habere credimus, tamen ad veritatem certius explorandam, & ad obſtruendum os loquentium iniqua, delectis quibuſdam Cardinalibus, grauibus viris mandauimus, vt in Collegij, quod in hac alma Vrbe eſt totius Societatis caput, mores, vitam, & inſtituta diligenter inquirerent. Qui quidem mandatum noſtrum, qua debuerunt fide, & diligentia executi renunciarunt, ſe nihil comperiſſe eorum, quæ huic Collegio criminum loco obiicerentur: ſed cum Ordinis totius recta, & pia inſtituta eſſe, tum eorum qui in hoc Collegio eſſent, mores, & vitam Caſtiſſimam, & probatiſſimam, & plane re-

Litera ad Archiep. Moguntinum contra eoſdem libellarios.

In quibus dæmonis inſtinctu Societatem vexari affirmat.

Ob multiplicem Collegiorum fructum per Germaniam, & alibi.

Cardinalium de Romano Collegio iudicium.

Eius Castitas probatissima, & religiosis hominibus digna.

ligiosis hominibus dignam : satis autem sibi constare quosdam iniquo odio impulsos, & inuidia obcæcatos, ea crimina, & probra commentos esse, propterea quod angerentur, & dolerent, nec pati æquo animo possent ipsius potissimum Collegij quasdam ad res antea pia opera, & fideli obsequio vsos nos esse : & curationem nuper ac regimen Seminarij quod nos in alma hac Vrbe ex Concilij Tridentini decreto instituui iussimus, omnibus Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus approbantibus, vltro eidem delatum fuisse. Quam rem quoniam illi impedire non potuissent, nec vllum eorum criminum, quæ illis libellis obiicerent, se probare posse scirent, suadente Diabolo ad tam demens, tamque prauũ, & nefarium consilium descendisse. Quia igitur obtrectatorum calumniæ in tam graui iniuria hoc saltem attulerunt commodi, vt quanto illi magis huius Collegij, & Societatis vniuersæ famam, atque existimationem lædere voluerunt, tanto magis ipsius Collegij innocentia, & vitæ, & morum honestas patefacta sit, nostraque, & fratrum nostrorum de eius Societatis pijs, & laudabilibus institutis, non confirmata modo, sed aucta etiam opinio, ad Officium nostrum pertinere duximus his literis veritati, & innocentiæ testimonium impertire. Proinde fraternitatem tuam hortamur, vt Collegium Societatis eiusdem, quod in Ciuitate tua Metropolica est, tanto posthac studiosius tueare, quanto iniustius, & impudentius istos obtrectatores de ea Societate detrahere conatos fuisse reperimus ; ipsumque Collegium omni fauore, & benignitate, sicut adhuc fecisti prosequi, atque vt quamplurimum Dei honori, & animarum saluti inseruire possint, adiuuare perseueres. Datum Romæ apud S. Petrum die 30. Decembris anno 1564. *Sic Ibid. num. 35.*

Illi Seminarij Romani regimen traditur.

Ex calumnijs Societatis, & Rom. Collegij opinio magis aucta.

Moguntinum Collegium Archiepiscopo commendat Pontifex.

Societas cohors Pontificis contra hæreticos.

Ab Eodem : *Qui videns operam, quam Societas summis Pontificibus in conuersione hæreticorum, atque Ethnicorum strenuè nauabat, quasi* pro sua Cohorte eam habere Pontifices *lusitano Oratori dixit. Ita Par. 4. Hist. Soc. lib. 5. n. 159.*

Ab

* Ab Eodem: *Qui audiens Canisij famam per totam Germaniam aduersus Hæreticos diuagantem, gaudio tripudians, sic fertur exclamasse.* Verè merentur isti Patres peroptime à Nobis fauoribus exornari, ac qualecumque priuilegium, aut beneficium spirituale, quod à me Canisius, ac Iesv Societas petierit, gratissimo animo concedam. *Ita apud Euseb. in vita parua P. Canisij fol.27.col 2.*

Ideo Pontificijs fauoribus digna.

Ab Eodem: *literis ad Carolum IX. Francorum Regem Christianissimum.* Ad aures(*inquit*)nostras peruenit Collegium Parisiense Societatis Iesv magnis affici cœpisse molestijs, & varijs vexationibus impediri, quo minus sicut cœperat inseruire saluti animarum, & vacare iuuentuti doctrina Catholica, & pietate, ac bonis literis, atque artibus imbuendæ, atque erudiendæ possit. Id accidit nimirum humani generis hostis instinctu, qui consueuit illis aduersari, seque opponere, quos bonis operibus videt esse intentos: & Dei seruos, quò fidelius Officio suo funguntur, eò acrius insectari. Sed id non laturam Maiestatem tuam esse scimus, vbi edocta fuerit de eius Societatis meritis. Nihil enim æquè Christianissimum Regem decet, ac Religiosos viros, & Dei honori inseruientes tueri, & ab iniurijs defendere. Eam igitur Societatem sciat Maiestas tua, propter pia, & laudabilia sua instituta, & ab Apostolica Sede confirmatam, & nuper à Sacro œcumenico Tridentino Concilio approbatam fuisse. Cuius Societatis propter vberes fructus, quos Dei Ecclesiæ his tam turbulentis temporibus attulit, non in Italia modo, & in Hispaniæ, & Lusitaniæ Regnis, sed in ipsius etiam Germaniæ multis locis, & in Vrbe Regia Boëmiæ Praga, eiusdem Societatis Catholicorum cura, & studio Collegia instituta fuerunt: quæ constat Deo iuuante multum in reprimendis hæresibus hæreticisque ipsis ad vnitatem Ecclesiæ reducendis profecisse. In hac quidem alma Vrbe Nos præcipuè Collegij, quod hic est operâ vtimur, quam & fidelem, & vtilem admodum experimur, quascumque in partes Orbis terrarum, euenit, vt eius Colle-

Litera ad Gall. Regem in vexatione. Collegij Parisiensis.

A Dæmone excitata ob strenuæ opera in erudiendæ iuuentute.

In quibus Regi Societatis defensionem cõmendat Pontifex.

Quia laudabilis in suo Instituto: & approbata ab Apost. Sedæ & Trid.

Eius vbiq; plurima instituta Collegia:

Quibus hæreses oppresse, & hæretici reducti ad Ecclesiam.

Vtili Rom. Collegij opera vtitur Pontifex ad quascumque terrarum oras.

gij Presbyteros diuini obsequij causâ mittamus: atque etiam eiusdem Collegij fidei, regiminique, de fratrum nostrorum consilio, nuper commisimus Seminarium quod ex Sacri Concilij decreto instituendum curauimus. Hoc eò Maiestati tuæ referimus, vt ipsa quoque pro suo in Catholicam Religionem, piosque viros studio, Collegia Societatis in Regno suo sibi diligenter tuenda, & fouenda esse intelligat. Sed cum reliqua pietati tuæ studiosè commendamus; tum præcipuè ipsum Parisiense Collegium eam vehementer hortantes, vt prouideat, curetque, vt id ab hærericorum, obtrectatorumque iniurijs, vexationibusque diligenter defendatur. Qua in re, & Dei honori, & suæ, & regiæ illius Ciuitatis existimationi consulet, experieturque in dies magis, sicut confidimus, quantopere expedierit id in ea Ciuitate Collegium institui. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 29. Maij 1565. Pontificatus nostri anno sexto. *Ita Par. 3. Hist. Soc. lib. 1. n. 19.*

Horatur Regem vt Societatem, ac præcipuè Parisiense Collegium tueatur.

Præsertim ab Hæreticis, & obtrectatoribus.

Sociorum indefessus zelus in Gentilitate conuertenda, & Christiana Relig. propaganda.

AB EODEM: *In Bulla incipit* Dilecti filij *ann.* 1563. Exuberans (*inquit*) & indefessus Gentilitatis ad Creatoris sui cognitionem adducendæ, Christianæque religionis propagandæ zelus, quem cordibus vestris impressit Altissimus, prorsus exigit, vt pias petitiones vestras de proximi salute solicitas, exauditionis gratia condonemus, *&c. Ita in Bullar. Indico Societ. fol. mihi* 8.

Societas pro excolenda, & propaganda religione Christiana labori semper exposita.

6. A PIO V. *Qui nec minus pie, atque beneuole Pium IV. subinde secutus, & ille verè Pius in Bulla incipit,* Æquum reputamus *ann.* 1565. *agens quibus de causis è Societate nonnulli ad Religionem aliam transire voluerint,* Nihilominus (*inquit*) nonnulli animi leuitate, vt credebatur ducti, ac quietem labori, cui proculdubio Religiosi Societatis huiusmodi pro excolenda, & propaganda Christiana Religione continuo erant exposiți; ac priuatum commodum, publicæ tam dictæ Societatis, quam Christianæ Reipublicæ vtilitati indiscrete præferentes, fucatisque coloribus asserentes, se id facere ob frugem melio-

melioris vitæ, aut strictioris obseruantiæ, *&c. Et posteà.* Et nisi opportuno aliquo remedio dictæ Societatis indemnitati, tranquillitati, & conseruationi consuleretur, verendum erat, ne Societas ipsa, quæ in erudiendis, & docendis viris, qui Christianæ Reipub. per Verbi Dei prædicationem prodessent, & Catholicam fidem in remotissimis etiam Brasiliæ partibus propagarent, & seminarent, sedulo intendebat, taliter delusa, & defraudata viris sua impensa, & labore edoctis, careret literatis, qui operam in vinea Domini iuxta ipsius Societatis instituta, moremque præstari, & exerceri solitam, valerent adimplere. Idcirco, *&c. Ita in Bullar.Soc.fol.* 97. *&* 98.

Varia eius munia in hunc scopum.

Ab Eodem: *In Bulla ann.* 1568. *qua ille Societatis Constitutiones confirmauit, ipso statim initio, ac velut ex abrupto excurrit in Societatis* Iesv *merita, non minus ad omnium admirationem, quàm nostram verecundiam:* Innumerabiles (*inquit*) fructus, quos, benedicente Domino, Christiano Orbi Societas Iesv viros literarum præcipuè sacrarum scientia, Religione, Vita exemplari, morumque sanctimonia Perspicuos, multorum Religiosissimos Præceptores, ac verbi diuini etiam apud longinquas, & barbaras illas Nationes, quæ Deum penitus non nouerant, Optimos Prædicatores, & Interpretes producendo felicissimè hactenus attulit, & adhuc solicitis studijs asserre non desistit, animo sæpè reuoluentes nostro, *&c. Et posteà.* Nos igitur (*inquit*) qui Societatem præfatam Nobis, & Apostolicæ sedi apprimè charam, singulari, paternoque amore prosequimur, *&c. Ibid. fol.* 106. *&* 108.

Ampla commendatio Societatis.

Eius fructus innumerabilis.

Filij scientia, religione, vitaque perspicui.

Optimi Prædicatores.

Apprimè cara Pontifici.

Ab Eodem: *Qui in Bulla incipit,* Dum indefessæ *ann.* 1571. *non minus propensè, quam verè, iterato, & fortius inculcat prædicta, ita loquens.* Dum indefessæ considerationis intuitu perserutamur, quantam Christianæ Reipub. vtilitatem attulerint dilecti filij Presbyteri Societatis Iesv, ac planè conspicimus eos verè mundi huius relictis illecebris, adeò seruatori suo se dedicasse, vt conculcatis thesauris, quos

Vtilis Christianæ Reip.

Paupertate & humilitate præcincta penetrauit ad Indos.

erugo, & tinea comedit, lumbisque paupertate, & humilitate præcinctis, non contenti terrarum finibus vsque ad Orientales, & Occidentales Indias penetrauerint; ac eorum aliquos ita Domini amor perstrinxerit, vt etiam proprij sanguinis prodigi, vt verbum Dei inibi efficacius plantarent, Martyrio Voluntario se suppoſuerint; perque eorum spiritualia exercitia etiam Regna ipsa fidem Christi agnouerint, ac tam inibi quam vbique terrarum charitatis, & misericordiæ opera exercere studeant; facere nullo modo possumus, quin eos tanquam Veros Palmites in Christo per charitatem coniunctos, & benignè amplectamur, & ea sibi speciali-ter concedamus, quæ & paupertatis per eos emissæ voto, & eorum Instituto, ac commoditati credimus profutura. *Ita in Eodem Bullar. Soc. fol.* 116. *Potuitne ille ex nobilissimo Prædicatorum Ordine Religiosissimus, ac Sanctissimus Pontifex verbis alijs suorum virtutes hominum toto adhuc orbe clarissimas efferre prolixius, quam in duplici hoc testimonio prima illa Societatis studia, à maiorum suorum Sancti præsertim Dominici, & Francisci filiorum, exemplis, etiam tum recentibus inflammata commendauit.*

Martyr voluntaria.

Cuius filij veri Palmites Christo per charitatem coniuncti.

Ab Eodem: *In Bulla incipit*, Dilecti filij *ann.* 1567. Cum (*inquit*) gratiarum omnium largitor Altissimus vestris cordibus, tantum honoris sui amorem, tantumque salutis animarum studium impresserit, vt ex Societate Vestra plurimi propagandæ Religionis Christianæ, & homines gentiles, idolorumque cultores ad sui creatoris, & Saluatoris agnitionem adducendi cupiditate flagrantes, non itinerum, non nauigationum laboribus, aut periculis territi, *&c. Ita in Bullar. Indico Soc. fol. mihi* 13.

Eorum amor diuini honoris, & salutis animarum studium.

* Ab Eodem, *literis peregregijs ad Salentinum Archiepiscopum Colonienſem*: Habemus (*inquit*) satisfactionem tantam curæ, ac diligentiæ, qua Societas Iesv se impendit in profectum, & salutem animarum (& te quoque scire credimus) ita vt videatur nobis Dominum sua ineffabili prouiden-

Litera ad Archiepiſc.

tia

tia Eam misisse, ac instituisse in his miseris, & calamitosis Ecclesiæ temporibus, quia quemadmodum Hæretici vulpecularum instar extirpare, ac destruere vineam Domini contendunt, sic hi eius fideles operarij, ac diligentes Ministri continuo suo labore, eam defendere nituntur, extirpando ex ea hæresum spinas, vitiorumque Zizania, & in ea plantando quidquid fructuosum est. Visis ergo magnis ac varijs commodis, quæ Ecclesia sancta ab hac Societate accepit, pietate, charitate, morum puritate, ac sanctæ vitæ fidelium in ea commorantium, tantum breui annorum curriculo creuit hæc Religio, vt vix aliqua sit Christianorum Prouincia, in qua non habeat aliqua fundata Collegia: & vtinam plura haberet in Vrbibus præcipuè hæresum peste tactis, & infectis. Ob has rationes amplectenda nostra Paternali curâ tota Societas, sicut facimus, & voluimus commendare tibi affectuosè Collegium, quod in Coloniæ Ciuitate habet: quia summopere gaudebis, in dicta Ciuitate habere Collegium Societatis, in quo multa inuenies adiumenta ad Pastoris Officium laudabiliter exercendum, onusque leuandum tuis humeris impositum, magna spe, ac expectatione nostra, ita tamen vti ad manus non haberes tales Ministros, requirere debuisses magna curâ, sicut multi alij fecere Prælati. Quapropter te hortamur, & rogamus, vt tua benignitate dictum Societatis Collegium amplectaris, protegas, atque defendas à quacumque contradictione, & molestia, vt pacifice possit in salutem animarum, & Reipublicæ vtilitatem in omnibus suis ministerijs, præcipue in erudienda iuuentute iuxta laudabile suæ Religionis institutum incumbere. Habebisque huiusmodi Collegium maximè commendatum, dabisq; operam, vt quidquid necessarium fuerit ad suam sustentationem, habeat: in quo facies quod dicta Societas meretur, & quod nobis debes & reuerentiæ huius sanctæ sedis. Dat. Romæ 21. Maij 1568. *Ita in vita magna B. Borgiæ lib. 3 cap. 4. per Eusebium nostrum conscripta.*

Societas se totam in animarum salutem impendit: vt videatur à diuina prouidentia instituta.

Et cõtinuo suo labore Ecclesiam contra Hæreticos defendit.

Illi quam vtilis multiplici virtute.

Breuiter propagata per orbem varijs Collegijs.

Vrbibus præcipuè hæresum peste tactis vtilißimis.

Et Prælatis ad onus officij leuandum.

Ideoab illis magna cura requirenda.

Hortatur Pontifex Archiep. vt Colonienſe Collegium tueatur.

Pontificis literæ pro Duaceno Collegio.

AB EODEM ; *literis pro Duaceno Collegio* : Quia (*inquit*) Societatis vestræ Collegia, quæ apud multas variarum Prouinciarum Ciuitates constituta reperiuntur animarum saluti, fideique Catholicæ tum propagandæ magnopere vtilia, accommodata esse intelligimus, idcirco Collegium vestræ Societatis sumptibus Monasterij Aquicinctensis, eiusque Abbatis nuper istic institutum esse cognoscentes, & magna ex ea re lætitia affecti sumus, & Monachorum eorum, qui in opere tam egregio perficiendo de religione quam optime meruerunt, pietatem, charitatem, deuotionem vehementer in Domino commendauimus. Eius enim opera non solum eadem animæ lucra, Domino adiuuante, prouentura speramus, quæ ex reliquis eiusdem Societatis Collegijs, & antea

Cuius vtilitas, sicut & reliquorum Societatis commendatur.

proueniſſe, & nunc quam maxime prouenire compertum habemus ; sed etiam Vniuersitati ipsi in ista Ciuitate nuper institutæ magnum ornamentum, vtilitatemq; allaturam esse iudicauimus. A cuius quidem Vniuersitatis iurisdictione prædictum Collegium, quod ex viris religiosis constat, non solum quoad ipsorum personas, & bona, sed etiam quoad scholas, siue Grammaticæ, siue humanarum literarum, siue Rethoricæ, aliarumque literalium artium, liberum, immune, exceptumque esse volumus : & harum tenore literarum Apostolica auctoritate decernimus, atque statuimus ; sic, vt neque eiusdem Collegij Magistri vllo iuramento Vniuersitati obstricti sint : & quæ sunt eorum consuetudinis, institutique propria, hæc omnia nullo impedimento retinere, & conseruare possint. Quod si eidem Collegio cum Vniuersitate conuenerit, & eius Vniuersitatis pars sit, hoc tamen sine vllo prædictæ ipsius immunitatis, exemptionisque præiudicio fieri volumus, & mandamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 3. Nouembris, anno 1568. Pontificatus nostri anno 4. *Ita Par. 3. Hist. Soc. lib. 4. nu. 208.*

AB EODEM : *Qui statim ac creatus est Pontifex, ea continuò edidit summæ erga Societatem benignitatis documenta, vt dicerent*

rent Patres secundum Marcellum, quem terrù Deus tantum ostendit neminem fuisse studio erga eam maiore. Pignus illustre fuit, non tam re, quam nouitate memorandum, quod inter solemnem pompam, qua noui Pontifices ad lateranensem Basilicam peruehuntur, cum inter spectantes pro foribus domus Professorum, Præpositum Borgiam vidisset; ad lecticam accitum, arcto primum complexu aliquandiu, tum longo sermone ad dimidiatum horæ quadrantem tenuit, toto interim consistente, & expectante agmine, nec sine varia Procerum, circumfusæque multitudinis admurmuratione. Dum vero idem Præpositus Borgia de more ei Societatem tradit, & dicat, memoratque quarto eam solemni voto in quaslibet religionis causa peregrinationes Sedi Apostolicæ oblatam: atque totam, seque inprimis adesse paratum, quocumque eius Sanctitas nutu designaret, siue ad Hæreticos, siue ad Turcas, aliasque barbaras gentes: ad quam pietatem sanctissimus Pater, vt erat Pius, ac rectus illacrymauit, profiteturque, Plurimum se, & Consilio, & auxilio Societatis vsurum. Nec mora: eodem tempore, cum Maximilianus Imperator, imminente Turca Pannoniæ conuentum Augustæ Vindelicorum de ratione belli gerendi edixisset; deque religione simul agitandum in eo conuentu rumor ferret, iubet Pontifex edi sibi nomina eorum è Nostris, qui cum ad alias, tum ad hanc nominatim expeditionem idonei forent. Tum quidquid beneficiorum, Priuilegiorum, atque immunitatum, vel ante eum Pontifices, vel ipsemet tunc summus Inquisitor Societati concessisset, confirmauit, iusso Cardinali Amulio qui præsens aderat, viuæ vocis oraculum rite testificari. Nec multis post diebus ex triginta ferme, qui nominati fuerant affatim instructi, paratique ad pergendum quocumque Pontifici videretur, ad Augustanum Conuentum Hieronymum Natalem, & Iacobum Ledesmam selegit: atque Petrum Canisium iubet demandatam à Pio IV. Legationem persequi: Andream etiam Ouiedum Æthiopiæ Patriarcham, & Melchiorem Carnerium Nizenum Episcopum, missis ad vtrumque diplomatibus, transferre se ad Iapones, & Sinas iussit, nec latius per Societatem honores spargi oporteret. Post hæc Vincentio Laurco, quem in Montis Regalis Episcopatu successorem sibi crearat, cum Apostolicum Nuncium in Scotiam

Benignum se Borgiæ, ac Societati præbet.

Multumq; Societate vtitur.

Confirmat eius Priuilegia.

Missiones ex ea instituit.

mitteret, Edmundum Haium Scotum Parisiensis Collegij Rectorem, & Thomam Darbishirum Anglum, adiunxit comites. Cum Thoma Orsino Strongulanorum Episcopo, quem ad visendas Regni Neapolitani Ecclesias mittebat, Christophorum Rodericium ire iussit. Catechismum ad Parochos ex Concilij Tridentini sententia, & commendatione conditum variis linguis editurus, Gallice vertendum, Germaniceque, & Polonicè Societati dedit. Qui ex Oriente ad ipsum Pontificem venirent eorum interpretandas literas, ipsosque tractandos Patribus nostris attribuit. Ijsdem commendatos voluit Heluetios Pontificiæ custodiæ. Eiusdem iussu consultationibus de corrigenda Sacerdotiorum assignatione (Datariam vocant) Ioannes Polaneus interfuit. Coactis in regionem vnam meretriculis, vetitisque alia, præter duo, adire Templa, iussisque ad statas conciones conuenire; concionatores in ijs Templis de Societate apposuit: quorum vocibus haud paucæ ab infami cæno abstractæ. Cathecumenorum quoque Domus suscipi procurationem voluit. Et cum iam & domicilium amplius Cathecumenis capiendis, & diligentior cura edocendis regendisque requireretur, Beatissimus Pater lætitia exultans, & ædes laxiores coëmit, & totam contubernij administrationem ad Societatem detulit. Sic refertur Par. 3. Hist. Soc. lib. 2. n. 3. ad 7.

Catechumenorum procurationem Societati tradit.

Sermones varij de animo Pontificio erga Societatem.

AB EODEM: Cuius tot inter summæ documenta beneuolentiæ immutatam Societatis existimationem, rumores varij quanto cum strepitu volitabant. Hi Pontificem reformandas suscepisse Iesuitas aiebant. Illi proprium genus vestium, & cucullam velle eis injicere. Quidam Collegias reditibus spoliare. Alij totum velle Ordinem extinguere. Alij alia pro moribus de sanctissimi Pontificis animo, in Societatem mutato sermones inualuere, vt cuique vel fingendi libido, aut leuitas suadebat. Quæ cum Franciscus Patiecus Cardinalis, rogatu Borgiæ, retulisset Pontifici, is, vt pio ducebatur consilio, quæque agitabat non ad perniciem, sed ad perfectionem Societatis pertinere putabat, exclamasse in hæc verba fertur: Absit à nobis hoc peccatum grande: Videmus Deo complacitum in his famulis suis, perque eos vtilitates Ecclesiæ suæ præclaras afferre. Dum ita viuent; non est quod negotium eis quis-

Verus erga Societatem Pij V. animus.

quam

quam faceſſat: ſed vt fauorem potius, atque patrocinium accommodet, quo ſecundum vitæ ſuæ formam ſeruitio ſe diuino impendant. *Hæc Pontifex. Nec ſanè de cetero aliter ſe ipſe geſſit. Ita ibidem lib. 3. num. 39. Permulta Patribus, qui ad Occidentales, vt vocant, Indias mittebantur, beneficia Eccleſiaſtici iuris dedit: ac fere omnia, quæ fuerant agentibus in India Orientis conceſſa. Romæ ſub initium anni 1567. totam Cathecumenorum voluit adminiſtrationem ſuſcipi, ægrè conceſſo, vt liceret per alienos adminiſtros gerere. Duos ad ſuam Heluetiorum Cohortem, vnum ad ceteram familiam in ædibus Vaticanis, cum quartus in S. Petro verba faceret, voluit concionari. Cumque Pœnitentiariorum iuſſiſſet explorari facultatem: ad id munus Patres Franciſcus Toletus, & Ferdinandus Solerius vocati ſunt. Ioannem Polancum Florentiam miſit, quædam haud leuis momenti cum Coſmo Duce, eiuſque liberis Ferdinando Cardinali, ac Principe Franciſco tractaturum. Atque inter alia, vt querelas inter Cardinalem Mediceum, & Vrbinatem Ducem, ob damna in finibus ad Caſtellum Durantium illata componeret, ne in perniciem euaderent publicam. Quod Polaneus è ſententia Sanctiſſimi Patris effecit. Chriſtophorum Roderitium, quem ante Strongilano Epiſcopo miſerat, ad multos circum miſit Epiſcopatus, cum vt explicaret rudioribus chriſtianam doctrinam, tum vt rerum ſtatum cognoſceret. Ita ibidem num. 40. Ex quibus planè conſtat plurimum Societatis opera Pium V. vſum eſſe pro ſumma erga illam beneuolentia, & in Eccleſiæ bonum, & proximorum ſalutem.*

Qui plurimum Societatis opera vtitur.

Ab Eodem: *Qui quidem quantum Societatis probaret operam, ea quoque re declarauit, quod non familiæ ſuæ modo, vt alijs annis, ſed etiam ſibi ex ea Concionatorem aſſumpſit: vt eodem tempore, quatuor de Societate ſacri Oratores in Vaticano dicerent: vnus ad Pontificem, alter ad eius familiam, tertius ad Canonicos, & populum in S. Petri, poſtremus ad Heluetios in ædicula Campi Sancti. Et cum Cardinalis Commendonus iterum legaretur in Germaniam, rogantem in digreſſu Pontificem, nunquid haberet, de quo ipſum admonendum cenſeret, de hoc præter cetera,*

Concionatorem ſibi ex Societate eligit.

Et tres alios in Vaticano iubet concionari.

Ac in Sacello Pontificio alios latinè dicere.

cetera, admonendum putauerit; vt quemadmodum suum habebant aliæ Religiosorum familiæ in Pontificio Sacello dicendi statum diem, ita suus attribueretur Societati. Quod Pontifex cum probasset, sacrique Pallatij Magistro transigendum mandasset, in proxima deinceps solemnia Ascensionis, Pentecostes, & diuinissimæ Trinitatis acciti è Collegio Oratores: inque annos sequentes certa assignata est ad dicendum dies feria sexta maioris Hebdomadæ. Statuerat etiam Pontifex in Indiam quoque Orientalem, atque Occidentalem aliquos de Societate mittere, qui eas gentes, & Clerum inuiserent nomine suo, & confirmarent. Sed existimante P. Generali, & Assistentibus magis expedire, id ab Episcopis fieri, quibus Patrum aliquot Comites adderentur, in hanc sententiam facilè venit. Reuerso ex Gallia Michaele Turriano Cenetensi Præsule, qui fuit posteà Cardinalis, multaque de Sociorum in Gallia effectu narrante, Pontifex ad Fabium Mixtum Episcopum Calatinum apud Regem nouum Internuntium scripsit: Vtè Sacerdotijs, quorum Regis esset designatio, attribuenda Collegijs curaret aliqua, vnde bonus operarum numerus in Regno tam auxiliorum indige pararetur. *Atque humanis præsidiis diuina adiungens, Sacerdotes Societatis perampla potestate ad absoluendum confitentes instruxit. Porrò restituit, & laudat priuilegium priuatum Cœnobia Virginum non curandi. Demum Societatem omnem, iam ante alios Mendicantiũ Ordinum priuilegijs gaudentem, declarauit se velle Indulgentiarum quoq; ijs concessarum participem esse. Sic* Par. 3. *Hist. Soc. lib. 4. à n. 133. ad 139.*

Ordinaria in Paraſceue Oratio Societati tribuitur.

Pontificis in Societatem beneficia.

Eam Episcopo Calatino commendat.

Restituit, & laudat priuilegiũ Cœnobia Virginum non curandi.

7. A GREGORIO XIII. *Ille (nunquam satis nec à me, nec vnquam ab vllo laudatus Societatis nostræ, & totius Ecclesiæ Pater) ornatissimè de nostro Ordine semper locutus est. Et inprimis in Bulla incipit.* Ex sedis Apostolicæ: *ann. 1573. exprimens motiuum quare socij horas canonicas priuatim recitent,* Nos (*inquit*) considerantes Religionem prædictam vberrimos fructus ad Dei laudem, & sanctæ Catholicæ fidei propagationem, per vniuersum orbem dedisse, meritoque in suis pijs institutis confouendam esse; Motu proprio, & ex certa scientia, *&c. Ita in Bullar. Soc. fol. 139.*

Societas vberrimos fructus dedit Ecclesiæ.

AB

AB EODEM: *In Bulla incipit*, Quæcumque: *ann.* 1576. Nos igitur qui præfatos Presbyteros, ac Religiosos dictæ Societatis à studijs, lectionibus, prædicationibus, Confessionibus audiendis, & alijs verbi Dei ministerijs, ac pietatis operibus, quibus continuo laudabiliter incubuerunt, & incumbere non desistunt, quauis ex causa distrahi nolumus, *&c.* *Sic Ibidem fol.* 154.

Eius filij varijs ministerijs laudabiliter incumbunt.

AB EODEM: *In Bulla incipit*, Saluatoris: *ann.* 1576. *fusius longe socios, & Societatem ita commendante.* Sane, vt accepimus, licet dilecti filij Presbyteri Venerabilis Societatis IESV in vinea Domini tanquam frugiferi Palmites, in toto fere orbe, tam in continendis in via mandatorum Christi fidelibus, infirmis in fide consolidandis, ægrotisque sanandis, confractis alligandis, & abiectis reducendis, ouibusque dispersis, & lupis vespertinis, leonumque famelicis catulis in deuorationem expositis, reclamandis, & defendendis, quàm etiam ijs, qui extra ouile Christi, sacrosanctique imperij nostri tutelam, sub ignorantiæ iugo, in obscuris, & tenebrosis locis ac desertis per montuosas, ac difficiles vias aberrant, conuertendis, & ad nationes Catholica religione imbutas, ad immanes, barbarasque diuini cultus, politicique ornatus ignaras gentes, ferino potius, quam humano more viuentes sese extendentes, optimum, & vberrimum fructum attulerint, & in dies maiori cum solicitudine afferre, Zizania extirpare, bonum semen renouare, plantare, terrasque incultas Euangelico sulco, & Ecclesiasticæ disciplinæ vomere eradicare non cessent. Ac dudum propter ipsius Societatis tam vtiles, tamque necessarias functiones, quæ cum in Domibus per frequentem pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentorum administrationem, & ad eorum frequentiam sectandam, exhortationem, prædicationemque, & spiritualia exercitia, & alia Verbi Dei ministeria, tum in Collegijs per lectiones tam bonarum literarum, quàm Philosophiæ, etiam & Theologiæ, ad iuuentutem bonis moribus, & literis imbuendam, ex ipsius Societatis primæua in-

In vineæ Domini frugiferi Palmites.

Toto orbe diffusi in animarum salutem.

Miræ, ac variæ Societatis functiones.

Quas magno Ecclesiæ emolumento exercet.

ſtituti erectione, ac diuina vocatione magno Dei beneficio, & Eccleſiæ ſpirituali emolumento exercet. *Ita Ibidem fol.* 158.

Militans ſub Nominis IESV vexillo.

AB EODEM: *In Bulla ann.* 1578. *quæ incipit*: Paſtoralis officij cura nobis, meritis licet imparibus ex alto commiſſa, Nos admonet, vt noſtræ prouiſionis efficiatur miniſterio, quod ea, quæ Religioſis quibuſlibet præſertim ſub Sacratiſſimi Nominis IESV totius humani generis Redemptoris vexillo, ad illius honorem, & gloriam, proximorumque ſpiritualium profectum, ac Orthodoxæ fidei defenſionem, & propagationem in terris, militantibus, ab Apoſtolica Sede prouide conceſſa reperiuntur, ſublatis quibuſlibet impedimentis, ſuos, vt par eſt, debitos effectus, perpetuis futuris temporibus fortiantur. *Ibidem fol.* 177.

Ad illius honorem, fidei defenſionem, &c.

Fructuoſa in Vinea Domini verbo & exemplo.

AB EODEM: *In Bulla ann.* 1579. *quæ incipit*: Quanta in vinea Domini fructuoſa opera Societas IESV quotidie verbo, & exemplo in populo Chriſtiano attulerit, continuoſque labores, quos pro diuini Nominis gloria, & exaltatione fidei Catholicæ Presbyteri dictæ Societatis ſupportant, cordi noſtro prouenit ſatisfactio, *&c.* *Ibidem fol.* 184.

Eius Inſtitutum pium, & vtile.

AB EODEM: *In Bulla ann.* 1582. *incipit*: Pium, & vtile Societatis IESV Inſtitutum non patitur certa quædam ab ijs, qui ſub eius vexillo, atque diſciplina ſalutari militant, obiri, quæ in ſacris ineundis generaliter præſcribuntur. Quo circa cum dictæ Societatis, ac diſciplinæ alumni nulli Eccleſiæ, nulli loco certo mancipati ſint, vt ibi permaneant: ſed veluti Viatores omni tempore parati, expectanteſque diem, & horam, qua vel ad extremas orbis regiones, cum venit vſus, emittantur, *&c.* *Ibid. fol.* 211.

Filij viatores parati vel ad extremas orbis regiones.

Digni æterna mercede operarij.

AB EODEM: *In Bulla eiuſdem ann.* 1582. *quæ incipit*: Quanto fructuoſius in colenda Domini vinea ſe exercet Veneranda IESV Societas, digniſque æterna mercede Operarijs abundare conatur; tanto propenſius contendimus eam religioſamque ſubinde quam inſtituit Prolem, vnde tota Reſpublica

blica Christiana vbique subleuatur, prosequi, & confouere, *&c. Ita Ibidem fol.*214.

Ab Eodem: *In Bulla incipit*, Ascendente Domino. *ann.*1584. *in qua laudatissimus hic, & perquam studiosus rei Catholicæ, & Societatis assertor Gregorius, ad eius laudem, & sociorum commendationem, multa congessit: ego pauca, sed maiora seligam, & breui, si fas est, oratione, ipsius tamen verbis comprehendam.* Ascendente (*inquit*) Domino, & Saluatore nostro in nauiculam, ecce motus magnus factus est in mari: ipse autem à discipulis rogatus ventis imperauit, & facta est tranquillitas, quam nos in Petri nauicula collocati, turbinibus excitatis, ab eodem Domino assiduis precibus postulantes, nostram interea operam, & laborem in frangendis procellosis fluctibus impedire non desistimus. Cumque tanti laboris socios, & validos Remiges diuina nobis prouidentia præparauerit, eorum opera in superandis sæuientis pelagi tempestatibus nos maximè subleuat, qui pro communi fluctuantium animarum salute propria commoda nihili pendunt, seque ad omnia discrimina exponunt. In quo cum aliarum Religionum studia, tum Societatis Iesv assiduus pro Christo labor; nec non vsque ad finem perseuerantia, promptam se ostendit: Cumque Prolem Catholicæ Religioni valde proficuam, & ad omnia pericula pro Vniuersali Ecclesia subeunda paratam procreauit, aliam, atque aliam à prima non degenerem, præstante gratia Dei quotidie substituit, vt nobis eorum alumni per multiplices probationum gradus altius prouecti semper prestò sint, quos in rebus arduis suscipiendis fructuosos Operarios adsciscamus. *Et posteà.* Quæ omnia non immeritò ab eis (*nempe Pontificibus*) sunt concessa ob egregias virtutes, & dona Societati antedictæ diuinitus elargita, cuius præcipuus finis Catholicæ est Religionis defensio, ac propagatio, animarumque in Christiana vita, & doctrina profectus, gratiæ quoque eius vocationis est proprium, diuersa Orbis terrarum loca, ex Romani Pontificis, seu Præpositi Generalis

Validi Ecclesiæ Remiges.

Societatis assiduus pro Christo labor.

Procreat prolem Catholicæ Religioni valde proficuam.

Eius virtutes egregiæ.

Præcipuus finis Catholicæ Religionis defensio.

eiusdem Societatis directione peragrare; vitamque in quauis mundi parte agere, vbi saluandarum sua opera animarum copiosior prouentus ad Dei gloriam speretur. Ad quem finem Spiritus sanctus bonæ memoriæ Ignatij Loyolæ Societatis ipsius Institutoris, eiusque Sociorum excitator, media quoque prædicationum, ac cuiuscumque ministerij Verbi Dei, doctrinæque Christianæ, & spiritualium Exercitiorum, aliorum item charitatis operum, & Sacramentorum administrationis, ac præcipuè Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, horumque frequentioris vsus accommodauit. Ad quæ sufficienter, & pro dignitate præstanda, difficultates superandas, periculaque adeunda, quibus dictæ Societatis Religiosi in huiusmodi discursionibus, & ministerijs exponuntur, necesse est, vt ipsi, talia obituri, magno virtutis, & deuotionis præsidio muniantur, quod illis gratia inprimis omnipotentis Dei, simulque educatio ipsa, longa item in Societate probatio, nec non Regularum, & Constitutionum obseruantia præstare cognoscuntur, *&c.* *Ita Ibid. à fol. 222. ad 224. Et tandem fol. 132. concludit Pontifex*: Et nunc maximè, (vt felicissimè toto Orbe successus testantur) mirificos in agro Dominico fructus prædicto Societatis IESV instituto proferat. Quæ Societas (quemadmodum & alia nascentium Regularium Ordinum exordia) à Spiritu contradictionis impugnatur, *&c.*

Media ad hunc finem.

Mirificos in agro Dominico fructus præferens.

AB EODEM: *In Bulla altera edita eodem anno 1584. quæ incipit*, satis superque dilectos filios Societatis IESV alumnos, suscepti iuxta maiorum suorum instituta pro animarum salute, & Christi Domini nostri nomine, & Orthodoxa fide propagandis labores defatigant, quibus subleuandi essent, *&c.* *Ita in eodem Bullar. Soc. fol. 243.*

Laboribus pro animarum salute, & fide propaganda defatigatis.

AB EODEM: *In Constitut. pro Collegij Germanici erectione:* Ceterum (*inquit*) cum Societatis Presbyterorum, in hoc educandorum, instituendorumque puerorum munere, diligentia, fides, integritas, & in alijs huiusmodi Collegijs, & in hoc ipso (*nempe Germanico*) satis cognita sit, atque perspecta, volumus,

Eius diligentia, & fides in puerorum educatione.

Iumus, idem Collegium, atque scholares sub ipsorum, sicut adhuc fuit regimine, institutione, doctrina, atque obedientia esse, &c. *Ita apud Petrum Mathæum in summa Const. Pont. fol.712.*

Ab Eodem: *Qui sicut erat pro commissa sibi totius Ecclesiæ cura in omnes eius partes intentus, ac vigilans, operumque passim omnium diligens obseruator, & custos; cum alia obseruaret in alijs,* In Societate Iesv tria potissimum, & illa, *vt aiebat*, singularia, nec passim obuia mirabatur. Tantam in tam varia, excellentique doctrina demissionem animi de se modestissime sentientis; tantam in nationum, ingeniorumq; diuersitate tantâ vnionem, consprationemque voluntatum; tantam in tam viridi, & viuida iuuentute Continentiam à voluptatibus ijs, quæ nimium quantum humano, etiam effeto corpori dominantur. *Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 6. fol. 639.*

Tria in Eo singularia: animi demissio, Vnio & Castitas.

Ab Eodem: *Cuius in Societatem tam cumulatissimè beneficia veluti congesta, vt nec quid maius ab illo concedi, nec sperari à Socijs potuisset. Aptus firmandæ Polonum inter & Moscum pacis arbiter quærebatur; in Societate inuentus est à Gregorio Antonius Possevinus. Edocendi erant Libani montis accolæ Maronitæ; ad eos Thomam Radium, & Ioannem Baptistam Elianum Doctores castæ fidei Gregorius ablegauit. In amplissima quapiam Orbis Vniuersitate temporum malignitate innocenter propè desciuerat Doctor Theologiæ nominatissimus inter suos; non alteri quam Francisco Toleto Societatis Romæ Theologo negotium à Pontifice demandatum: quod ille suauiter, fortiterque confecit. Nouum ille in Vrbe Sapientiæ Domicilium struxit, magnificentia, & amplitudine maximum, quod Romanum Collegium nominauit: vnaque præ omnibus, quibus tunc abundabat Ecclesia; & Roma potissimum plena erat, Ordinibus sapientia, & virtute conspicuis, licet omnium Minima* Iesv *Societas Gregorio placuit, cuius fidei, industriæque, & pietati moles illa tam ardua crederetur. In hoc ille Collegio primũ institutam Annunciatæ Virginis Sodalitatem approbauit Apostolico Diplomate, quo eamdem ample ditauit spiritualibus donis, translata in Generalem Societa-*

Pontificis in Societatem beneficia.

Et præcipuè Collegij Romani institutio.

tatis eiusdem toto orbe propagandæ Pontificia potestate. Ita in Imag. cit. lib. 5. cap. 9. fol. 652. & 653.

Societas Ordo sanctus per totum orbem sparsus: quo ferè nihil melius.

A Deo contra hæreses institutus:

Ad Principum, & populorum adiumentum.

Totum regit Orbem:

Et cunctis gentibus prædicat.

AB EODEM: *quem cum Vicarius Societatis, Salmeron, & Bobadilla Assistentes, vt ab eo benedictionem ad fausta Comitiorum auspicia, totius Conuentus nomine adijssent, in hanc planè sententiam ac verbis, paterno illo sensu, quo erga hunc Ordinem afficiebatur, ad eos Gregorius dicitur elocutus*: Sanctus hic vester Ordo, ac verè, inquam, sanctus toto iam terrarum orbe propagatus est. Vbique Collegia, & domicilia habetis: Regna, & Prouincias, & orbem totum vos regitis. In summa nihil ferè in præsentia melius est, quàm Vester hic Ordo Sanctus, qui est à Deo aduersus hæreses institutus. Et quidem sub illud tempus venit in lucem, quo errores hi noui spargi cœpti sunt. Refert ergo plurimum ad Principum ac populorum adiumentum (& certè nos ita cupimus) vt indies augeatur, atque proficiat, & ante omnia, vt Moderatoribus, ac Præsidibus aptis instruatur, *&c. Hæc, inter alia cohortationis verba, elocutus Pontifex: dumque de paterna cohortatione Oliuerius Vicarius ei, & Bobadilla gratias agunt, adiecit.* Nescij profecto non sumus vobis quidem opus exhortatione nostra non esse, quia Sanctus hic vester ordo, Prouincias, & Regna, & totum, vt diximus, Orbem regit: Vosque cunctis gentibus prædicatis. *Sic refertur Tom. 1. Par. 5. Hist. Soc. lib. 1. nu. 13.*

Eius fructus vbique præclari, præsertim in Germania.

AB EODEM; *Cuius voluntati cum Natalis Vicarius, comite Palmio, Societatem offerret vbique gentium religionis causa, eiusque Instituti confirmationem peteret, Pontifex eximia comitate illis exceptis, & verbis auditis, coram Farnesio Cardinali, respondit*: Se optimè nosse id temporum necessariam Ecclesiæ Dei Societatem esse: nec ignorare quàm præclaros vbique fructus, in Germania præsertim ferret: confirmaturum perlibenter quidquid superiores Pontifices dedissent. Ad se vbicumque vsus incideret fidenter adirent, bonum ac propitium habituros. *Ita Par. 3. Hist. Soc lib. 8. num. 11. Et postea num. 19. additur. Quod Franciscum Toletum apud se conciones continuare voluit Gregorius:*

gorius: & mox Viennam remisit, vt inde in Poloniam quoque rediret ad comitia creando nouo Regi: & interim Concionatorem Palmium eius loco substituit: & alium præterea domesticis iussit apponi. Quosdam coram se de Societate obloquentes, libere castigauit, affirmans, Post centum annos cognitum iri Societatem. *Tam præclare de illa sentiebat ac loquebatur. Sic Ibidem.*

Toletũ, & Palmium sibi concionatores eligit Pontif.

De Societate præclarè sentit ac loquitur.

Et postea num.20. Parum beneuoli quidam illo, inter alia, carmine animum sanctissimi Pontificis occupare tentauerunt, Iesuitarum Collegia ingentes possidere facultates, Ecclesias, Monasteria: sed cognita veritate à Polanco eo tempore Vicario, Dolere se, *dixit Pontifex,* quod essent perpauca: optare, vt longe plura, & ampliora essent, quo plures vineæ Domini cultores strenui, & vtiles alerentur. *Hæc Gregorius. Qui etiam aliquando Carolo Cardinali Lotharingo dicere auditus est,* Religionem hanc ad Maiestatis diuinæ magnam gloriam his temporibus à Deo missam, firmarique, ac prouehi oportere: *cohortans illum,* vt primo quoque tempore cogitatam Academiam perficeret: futuram sibi instar Filiæ, quam primam genuisset. *Simulque excitans,* vt tuendam sibi in Galijs Societatem susciperet. *Et rursus (vt refertur Ibid.num.24.) in controuersia graui Conimbricensis Collegij, referente Cardinali Maffæo, quiddam non constare, vnde iudicatio causæ tota penderet, Gregorius tunc:* Percunctare, *inquit,* ex istis Patribus: boni viri sunt: etiamsi contra se cessurum sit, verum dicent. *Tanta ergo Pontifici de Sociorum veritate existimatio. Magna sane beneuolentissimi Patris argumenta. Nec leuia sunt, quod cum pro Pœnitentiaria administratione in Vaticana S. Petri Basilica ob aliquas causas non libenter à nobis suscepta, abscisti præcisè vetuit: negans,* aliunde idoneorum sibi confessariorum, & linguarum parabilem copiam affuturam. *Duos item Sacerdotes in Corsicam destinauit cum Episcopo Marianæ; admodum lætus,* Quod muniri Collegio viam, *diceret,* ad solitudinum illarum nihilo indicis meliorum culturam. *Ita à Gregorio proclamatum vere Societatis Propugnatore, Patrono, ac Patre. Sic Ibid. num.25.*

Societas à Deo missa ad diuinæ maiestatis gloriam.

De Sociorũ veritate Pontificis existimatio.

Pœnitentiariam à Societate relinqui nõ patitur.

Ob inopiã idoneorum confessariorum.

In Corsicam Socios destinat.

Collegium Illyricum Societati tradit.

AB EODEM : *Qui cum ab Aquauiua tunc Prouinciali rogaretur, ne Collegium Illyricum Societati traderet, enumerante quam multos de Societate tam alioqui puſilla puerorum inſtitutio adoleſcentium anguſtis incluſos parietibus diſtineret, non ſine publici boni damno, reſpondit*: Nonne profeſſionis veſtræ eſt quaſcumque terrarum oras, ac gentes adire, vt eas conuertatis ad Deum? En quos diſperſos cum labore eratis quæſituri, nos vobis tradimus congregatos. Credite, non eſt vbi labores veſtros fænerari poſſitis maiori cum lucro. In exiguo numero nationes vniuerſas excolitis: èque ſemente non magna meſſem longe maximam præparatis. *Ita Par. 4. Hiſt. Soc. lib. 8. num. 2.*

Et Lauretanam Domum.

Sedes Collegij laureti optata: itemque expenſa ex ædis ſanctæ vectigalibus attributa: tanquam ei Nationi, apud quam ſuam Cellam aliquandiu voluiſſet hoſpitem eſſe, beniguiſſima Dei Mater hoſpitij vicem rependeret. Ad ceteram liberalitatem adiecit Gregorius non mediocrem, ad ſolatia quoque noſtrorum, hanc intemeratæ Virginis Domum, humeris Angelicis ſuſtentatam, colentium.

Socij indefeſſo labore, ac ſingulari induſtria iuuentutem imbuunt.

AB EODEM: *In ſpeciali Breui in fauorem Archiducalis Academiæ Molshemienſis, dato pridie non. Decemb. cum hoc peregregio Societatis elogio, conſtantis, & intimi amoris indice*: Societatis, *inquit*, homines iuxta laudabile ſuum inſtitutum à Sede Apoſt. ipſoque Sacro Trid. Concilio approbatum, iuuentutem, quæ omnium Ordinum Reipub. Chriſtianæ Seminarium eſt, & à qua totius Eccleſiæ incolumitas pendet, non minus Chriſtianis moribus, quam LL. diſciplinis indefeſſo labore, ſingularique induſtria imbuunt. *Ita in Panegyr. eiuſdem Academiæ Leopoldo Archiduci Fundatori dicato. lib. 4 cap. 4. fol. 231.*

Per eos Iaponia obedientiam præſtat Pontifici.

AB EODEM: *Qui cum primos Iaponiæ legatos, trium Regum conſanguineos, illius Eccleſiæ Orientalis primitias, ducente eos inde P. Alexandro Valignano, Sacris ſuis pedibus affuſos vidit, interque ſuas, & ſuorum lacrymas limpidiſſimæ teſtes lætitiæ eſt amplexatus; negabat enim verò* Alio quàm filiorum loco habendos eſſe abſe Societatis homines, per quos ſanctæ Sedi ad obedientiam

A quo ij filiorum loco habentur.

ſubmitterentur populi tanti ad inſtaurandas Europæ ruinas,

alio

alio propemodum in orbe conquisiti. *Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib.5.cap.9.fol.653.*

8. A SIXTO V. *Ad quem Claudius Generalis biduo post eius assumptionem cum Assistentibus ad Sacrorum oscula pedum introductus, ita locutus est inter alia: Beatissimè Pater, iubent Constitutiones nostræ, vbi Pontifex nouus creatur hoc nos defungi Officio, ac pariter denunciare, præter commune obsequium, quod Christi Vicario vniuersi Christiani debent, Societatis nostræ professos, præcipuo se voto obstringere, ituros quocumque ille iusserit, siue inter Hæreticos, siue alios infideles, paratos in sanctæ fidei defensionem, & amplificationem sanguinem ipsum, si opus sit, fundere. Ad quæ clementer Sixtus*, Felices, *inquit*, veneritis, delectat nos vester conspectus: nouimus vestra Societas quàm Salutaris sit Ecclesiæ Dei: itaque ad nos liberè adite, libenter accipiemini: clementiam in nobis, & opem reperietis. Iaponij vt valent? *Cumque respondisset Claudius recte valere, deque eius Pontificatu gaudere, memores quàm Officiosè & amanter ab eodem nuper Cardinali excepti essent: subiecit Sixtus*, Curate, vt eorum commoditatibus nihil desit. Quod si quid opus sit, nos conueniant, omni ope iuuabimus. *Illisque digna Romano Pontifice munera dedit, & ipsos solemni ritu Equites, qui ab calcari aureo vocantur, creauit: & ab Romanis in Patriciorum adscribi numerum fecit. Quæ omnia in maximam Societatis commendationem redundabant. Ita refertur Par.5. Hist. Soc. Tom.1. lib 5. à num.14.*

Societas quam salutaris sit Ecclesiæ Dei.

AB EODEM: *Cuius animum postea ab Societate alienum esse, eiusque velle Instituta mutare, & Seminaria extinguere vanis rumoribus vulgabatur. Sed adeuntem ad se Claudium omni præcipuo honore cum accepisset, post multos varioque collatos perbenigne sermones, dixit*, Seminaria à Gregorio excitata non modo conseruare sibi in animo esse, sed & perpetuis reditibus, quæ nondum eos habebant statuere, Sacerdotijs, vbi facultas daretur assignatis. Interim darent operam Patres, vt ipsum vbi occasio vacuorum Sacerdotiorum offerretur, admonerent: *tum nominatim de Societate adiecit*, Effecturum se, ne ea Gregorium

Vani rumores de alienato à nobis animo Pontif. Sixti.

Eius benignus sermo ad Claudiũ Gener.

 deside-

desideraret. Accito, *inquit*, non multis ante diebus ad nos scriptum ab nostrorum Nunciorum quibusdam, non deesse qui Gregorio mortuo putent, idoneum sibi tempus oblatum ad vestros vexandos, quibus respondimus (*& literas ipsas ad cumulum bonæ voluntatis ostendit*) nos rebus ipsis effecturos, vt omnes intelligant, quantum Societatem hanc amemus, & complectamur. Itaque id ipsum, quibus oportet, plane declarent, ac persuadeant. *Hæc & alia clementissime fatus Pontifex Sixtus; ad extremum Societatis pro se preces etiam atque etiam postulauit. Sic Ibidem num. 26. & 27. Et quando immutatus eius animus videbatur in innouando instituto, qua in re ab omnibus ferme sacris, profanisque Principibus, commendatitias literas in fauorem Societatis acceperat Sixtus, ad omnes in hanc ferme sententiam respondit.* Nihil sibi de mutando Societatis instituto venisse in mentem, quod laudabile confiteretur, & vtile omnino Ecclesiæ sanctæ, & conseruari omnino vellet, *&c. Ita Ibidem lib. 9. num. 23.*

Et Societatis Institutum laudabile, & vtile omnino Ecclesiæ fatetur.

9. A GREGORIO XIV. *In Bulla incipit*, Ecclesiæ Catholicæ. *ann. 1591. in qua inuidiosum prope sit quod à Pontifice tanto plusquam paternus in nos affectus expressit.* In his vero (*inquit*) Religio Societatis IESV, quam nouissimè his diebus diuina prouidentia excitauit, adeo strenue laborauit, ac sine intermissione laborat, vt illius vel turbationem, & infirmitatem ad commune Ecclesiæ damnum vel pacem, atque integritatem ad eiusdem vtilitatem maxime pertinere putemus. *Ita in Bullar. Soc. fol. 275. Potuitne sanctissimus Pontifex verbis alijs commendare prolixius Societatem? Et postea postquam Societatis Institutum, & rationem gubernandi confirmarat, nequid contra hæc à quoquam tentetur, grauiter interdicit his verbis*: Omni (*ait*) nobis studio curandum esse duximus, eiusmodi nouitatibus, ac temerarijs impugnantium præsumptionibus omnem aditum præcludere, ac Societatis indemnitati prospicere: vt hac ratione Societas ipsa nostro, & Apostolicæ Sedis præsidio munita, atque in sui Instituti puritate, & regularis disciplinæ integri-

Societas diuina prouidentia excitata strenuè laborat.

Adeò, vt eius turbatio ad commune Ecclesiæ damnum: pax & integritas ad eiusdem vtilitatem pertineat.

Apostolicæ Sedis præsidio contra impugnatores munita.

tegritate, quiete, ac pace conſeruata, vberiores indies fructus in agro Domini pergat, ipſo Domino adiuuante, alacriter abſque impedimento proferre. Motu igitur proprio, & ex certa ſcientia noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, laudabile ipſius Societatis Inſtitutum, Conſtitutioneſque omnes, ac ſtatuta, & Decreta, & quæ illud concernunt præmiſſa omnia, & ſingula, prædictaque, & quæcumque alia eius Priuilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta à prædictis, ſeu etiam ab alijs Prædeceſſoribus noſtris, etiam per communicationem, conceſſa, qualiacumque illa, ac ſi ad verbum præſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes, tenore præſentium approbamus, & confirmamus, *&c. Ita Ibidem fol. 279. Et poſt plura fol. 283.* Quo vero (*inquit*) ad reliqua, quæ in controuerſiam vocata erant, ſic ſtatuimus. Nomen Societatis IESV, quo laudabilis hic Ordo naſcens à Sede Apoſtolica nominatus eſt, & hactenus inſignitus, perpetuis futuris temporibus retinendum eſſe, *&c. Elogium perilluſtre, ingens ſane, & pluſquam ingens Societatis gloria, eam ſub auguſtiſſimi* IESV *Nominis triumphali ſigno natam, confirmatam, in campum eductam, & vſque ad interiturum Orbem, duraturam, contra teterrimos Religionis hoſtes, etiam Antichriſtum; vt poſtea ex Ioachimi prædictione, & Chriſti reuelatione Thereſiæ facta conſtabit.*

Laudabile eius Inſtitutum, & priuilegia confirmat Pontifex.

Et IESV Nomen perpetuo retinendū decernit.

10. A CLEMENTE VIII. *In Bulla incipit*, Oneroſa *ann.* 1600. Poſtquam (*inquit*) Chriſti Nomen, & Euangelium in extremis omnium terrarum Inſulis, Regionibus, & Prouincijs Iaponum annunciari, earumque populi pulſa ethnicæ ſuperſtitionis errorum caligine Chriſtianæ veritatis, ac fidei lumine illuſtrari cœperant, felicis recordationis Gregorius XIII. Prædeceſſor noſter conſiderans, nullos verbi Dei Prædicatores, præter Religioſos Societatis IESV ad Regiones, & Prouincias prædictas penetrare, illoſque ſolos dictis Nationibus eiuſdem veritatis, ac fidei amplectendæ Auctores, Præceptores, ac veluti Parentes fuiſſe, *&c. Hæc Pontifex in*

Chriſti Nomen, & Euangelium in Iaponiam intulit Societas.

Eius filij illis Nationibus fidei amplectendæ auctores, ac parentes extitere.

ſummum Societatis decus, qui Religioſos omnes (ob infinitam propè meſſem) Ordinum Mendicantium ad prædicta munera accedere indulget. Ita Tom. 3 Bullar. Rom. Cherubini fol. mihi 106.

Suum erga Societatem affectum teſtatur Pontifex.

AB EODEM: *Qui aſſerentibus ſe Societati contrarium vulgo circumferri, ingenti animi ſenſu reſpondit his verbis*: Qui dixerit me aduerſari Societati IESV mentitur plane, ſemper enim exiſtimaui, SOCIETATEM IESV ESSE BRACHIVM DEXTRVM ECCLESIÆ. *Elogium ſane breue, ſed vltra quam dici poteſt admirandum. Ita refertur apud Fr. Chriſtoph. Auendaño Carmelitan. Tom. de ſanctis ſer. de S. Ignat. & Xauer. diſcurſ. 3. Et apud P. Suar. Tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 7. num. 5. Idem Clemens VIII. clementer, ac benignè alloquens Patres, qui ex vniuerſa Societate Romæ congregati fuerant ann. 1600. Societatem* BRACHIVM DEXTRVM SEDIS APOSTOLICÆ *appellare dignatus eſt. Nec me latet fuſius, verbiſque alijs, ſed longe maiori benignitate plenis hunc caſum deſcribi apud Imag. 1. ſæc. Soc. lib. 5. cap. 9. fol. 664. Vbi dicitur, quod dum Idem Pontifex Clemens prædictos dictæ Congregationis Patres, pedibus ſuis affuſſos alloqueretur, quid de noſtra Religione ſentiret, his verbis teſtatus eſt*: Amo Societatem, atque vnicè charam habeo, *Eamque* DEXTRVM ECCLESIÆ BRACHIVM merito profiteor, profiteborque. *Quid de Societate benignius, honorificentiuſve à tanto Pontifice dici, ne dum excogitari potuit?*

Et illam Brachium Dextrum Eccleſiæ appellat.

Et Sedis Apoſtolicæ.

Quam vnicè charam habet.

AB EODEM: *curante reſtitui in Polonia Societatem. Quæ autem res Clementem impulerit, vt miſſis ad Sigiſmundum Bathoreum Legatis, denuo recipiendam ab eo curaret Societatem, quam eius florentiſſima ditione potita, hæreſis exturbarat? Quid illum ipſum idem pro ea conari iuſſit in Gallia? exiſtimatio, ni fallor, quam de Societate* IESV *habebat; eiuſmodi, vt crederet,* Murum opponi firmiorem pro Domo Dei nullum poſſe contra impetus armatæ impietatis, quàm ſociorum in doctrina, & virtute conſtantiam. *Sic in cit. Imag. Societ. ſup. fol. 654. Et rurſus idem Clemens VIII.* Societatem ingeniorum, *appellare conſueuit* IESV *Societatem. Ita apud P. Adamum Contzen Politicor. lib. 6. cap. 28. §. 5.*

Et firmiorem pro Domo Dei Murum vocat.

Et Societatem ingeniorum.

II. A PAV-

11. A PAVLO V. *Qui ipso statim initio Bullæ ann.* 1606. *qua Institutum, & illi concessa à Greg.* 13. *Priuilegia promptè confirmat*: Quantum (*inquit*) Religio Societatis IESV in Ecclesia ad fidei, pietatis, & Religionis augmentum profecerit, & indies magis proficiat, nos ipsi scimus, & Christiana Respublica nouit vniuersa. Propterea illam diuersimodè perturbare, ab incepto retardare, malis artibus humani generis hostis quotidie nititur: econtra vero illam & in suo laudabili proposito confouere, & ad Instituti ipsius puritatem, & nitorem pristinum retinendum adiuuare, nos totis viribus contendimus. *Ita Pontifex in Bullar. Soc. fol.* 303. *Et postea ait*: Institutum Societatis à Summis Pontificibus approbatum, & confirmatum, & in pristino candore, quo dicta Societas à bonæ memoriæ Ignatio Loyolæ illius Institutore, & Fundatore, Sancto Spiritu inspirante decoratum, aduersus malas quorumdam quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi quærentium impugnationes, & calumnias Apostolica auctoritate, pœnis etiam adhibitis conseruatum. *Ibidem fol.* 304. *Et deinde in eadem Bulla*: Nos igitur (*inquit*) scientes totum Sanctæ huius, & nunquam satis laudatæ Religionis stabilimentum in viridi Instituti ipsius obseruantia consistere, *&c. Ibid. fol.* 309.

Societas proficit ad fidei, & religionis augmentũ.

Ideo communis hostis illam nititur perturbare.

Pontifex econtra confouere.

Eius Institutum à Spiritu S. inspiratum.

Et pœnis contra impugnatores à Sede Apost. defensum.

Sancta, & nunquam satislaudata Religio.

AB EODEM: *asserente* IESV Societatem non sine maxima totius Reipublicæ Christianæ vtilitate, & incremento per vniuersum Orbem dilatatam. *Ita in Bulla Beatif. S. Ignatij.*

Per totum orbem maxima illius vtilitate dilatata.

AB EODEM, *Aduersus quemdam Societatis aduersarium affirmante*, Futurum se Societatis vindicem & illatæ iniuriæ seuerum vltorem, proinde malis cœptis desisteret. *Ita in Annal. Soc. ann.* 1612. *fol.* 270.

Se illius vindicem fore spondet Pontifex.

AB EODEM: *Augustino Quintio Ordinis Prædicatorum de insula Masensi gratulante.* Abi (*inquit*) frater hilaris, ac lætus, Vrbem enim petis nouo quidem, sed celebri, ac magnifico Societatis IESV Collegio illustratam, quod ad Episcopale onus ferendum, multos tibi, ac strenuissimos Adiutores dabit: præ-

Strenuissimos adiutores Episcopis dat.

Ad Episcopale onus ferendum.

terquam enim quod rectis moribus, ac vitæ sanctimonia populum tibi creditum ad bonam frugem instituent, teneros quoque puerorum animos, quod ab Episcopis maximoperè optandum est, cum studijs literarum bonarum Christianis etiam institutis erudient. *Sic in Annal. Soc. ann. 1605. fol. 85.*

Benemerita de Ecclesia.

Et ardens in obsequio & gloria Pontificia Tiaræ.

* Ab Eodem, *Cardinali Ioyosæ pro Venetis Breue Apostolicum postulanti ad tollendas censuras, respondente*, Se verbo suo, & auctoritati deesse Societatem deferendo, tam benemeritam de Ecclesia, ardentemque adeò in obsequio & gloria suæ Tiaræ, absentem ob sui interdicti obedientiam; seque illis promisisse, consilium nullum cum Venetis initurum; nisi prius suis domibus restituta esset Societas, rationibusque aliquibus, quas Veneti contra ipsos allegabant compositis, de quibus ante omnia volebat agi, existente nimirum Sociorum exilio ob præcisam interdicti sui obseruantiam. Omnes isti moti tumultus (*addidit Pontifex*) ob duorum Sacerdotum vincula contra legem, & iurisdictionem Ecclesiasticam, estque prima actio, tamen tecum ipse considera, in hac secunda sanctæ Sedis honorem militare, si talis Religio, qualis Societas est, ex toto vno statu ob solam mei obedientiam expellatur. *Ita Par. 5. Hist. Pontif. lib. 3. cap. 1.*

Eius filij fortißimis, ac robustißimis virtutibus, viri sunt.

* Ab Eodem: *Qui audiens in Sicilia Venetos à Turcis penè perditos, à nostris curatos, sic coram Cardinalibus exclamauit:* Verè hi filij nostri fortissimis, ac robustissimis virtutibus viri sunt. *Sic apud Fr. Anton. Tauares Carmelitam Lusitan. in ser. Canoniz S. Ign. fol. 6.*

Societas summa pietate fidei rudimenta docet.

12. A Gregorio XV. *In Bulla anni 1622. Societatis morem in docendo doctrinam Christianam, commendante.* Cum itaque (*inquit*) sicut accepimus dilecti filij Clerici Societatis Iesv inter pia, quæ exercent opera, peculiare illud Institutum iuxta vota per eos emissa, summa pietate, & diligentia amplectantur, vt nimirum & adultos quoscumque per vniuersum Christianum Orbem Catholicæ fidei rudimenta, & Chri-

Christianas omnes virtutes accuratè doceant. Nos pro nostri Pastoralis officij munere, hoc pium, Christianæque Reipublicæ necessarium Opus, ex quo hactenus vberrimi fructus prouenerunt, ac multo vberiores posthac prouenturos speramus, &c.

Ex quo vberrimos fructus Ecclesiæ proueniunt.

Ab Eodem, *In literis Apostolicis ad Carolum à Lotharingia, Lotharingo Duci sanguini proximum, Episcopum Virdunensem, cum hic facultatem ineundæ Societatis fieri sibi à Sede Apostolica postulasset*: Quod (*inquit*) Reipublicæ Christianæ bono fiat, abiectis humanarum curarum, opumque impedimentis ad eam te confer Sacræ Militiæ Societatem, Catholici Nominis defensione, & Hæreticorum excidijs Clarissimam; quam quidem quanti nos faciamus, duo illi Christiani Imperij Propugnatores Ignatius, & Xauerius Sanctorum cognomento nuper à nobis aucti, cunctis terrarum Prouincijs, sæculorumque ætatibus declarabunt. *Sic Pontifex apud Imag. 1. sæc. Soc lib. 5. cap. 10. fol. 665. Et hos ille Sanctissimos Heroës priusquam Catholicis aris, Templisque colendos admoueret, ita auditis in Consistorio suo publico eorumdem Virtutibus, atque prodigijs scribitur elocutus*: Merito quidem (*inquit*) miserentis Dei bonitatem, atque potentiam in Ignatio Loyola Ecclesia Catholica veneratur. Cum enim tenebrarum Princeps super astra Dei solium suum exaltare, atque in Aquilone Sedem figere studens, nouis Hæreticorum armis Cælum adortus, Catholicæ Religioni exitium minitaretur: peropportunè sane Ignatius animum gerens Mundo maiorem, & vltra vnius æui terminos opera suæ pietatis extendens, Legionem in Ecclesia Dei Fortissimam conscripsit, quæ vitam pro diuini cultus incremento paciscens in Romani Pontificis verba iuraret. *Sic Ibidem: Sanctissimus Ecclesiæ Pater, & vere talis Societatis.*

Sacra Militia catholici Nominis defensione, & Hæreticorum excidijs clarissima.

Quanti illam Pontifex faciat?

Dum nouæ insurgunt Hæreses,

Ignatius animum gerens Mundo maiorem,

Legionem in Ecclesiæ Dei fortissimam conscripsit,

In Rom. Pontificis verba iurantem.

13. Ab Vrbano VIII. *Qui (inter alia promptæ in nos monumenta pietatis) nec minus, haud segnius Gregorium secutus, & celebratam ab illo sanctorum Ignatij, & Xauerij Canonizationem,*

tionem, & eiusdem amplissima Societatis præconia, suo etiam adiecto calculo confirmauit, in Bulla incipit, Rationi. *ann.* 1623. *de Canonizatione S. Ignatij*: Dudum siquidem (*inquit*) felicis recordationis Gregor. Papa XV. Prædecessor noster pie attendens, quod ineffabilis Dei bonitas, & misericordia, quæ miro consilio suis quæque temporibus apte disponit, & præteritis sæculis, siue ad disseminandum Euangelium inter Gentes, siue contra subnascentes Hæresiarchas destinauit plures sanctitate, & doctrina illustres viros nouissimis temporibus, cum pij Lusitanorum Reges in longinquas Indiarum terras, ac remotissimas Insulas late patentem vineæ Domini propagandæ aditum apperuissent; nec minorem Catholici Castellæ Reges nouum in orbem ad Occidentem repertum patefacerent; veterem autem religionem, omnemque illius sanctitatem, ac perfectioris vitæ professionem Lutherus monstrum teterrimum, aliæque detestabiles pestes, blasphemis eorum linguis in septentrionis partibus corrumpere, & deprauare, ac Sedis Apostolicæ auctoritati detrahere conarentur; excitauit spiritum Ignatij Loyolæ, qui ex medio honorum cursu, & à sæculari, & terrena militia, admirabili quadam ratione vocatus; ita se diuino imperio regendum, & formandum tradidit, vt demum nouâ Societatis IESV, quæ inter alia pietatis & charitatis opera, Gentilibus conuertendis, Hæreticis ad fidei veritatem reuocandis, & Romani Pontificis potestati tuendæ, ex instituto se totam impendit, Religione fundata, vitam admirabili sanctitate traductam sanctissimo pariter concluserit exitu, ac plurimis sit miraculis illustratus, *&c. Ita in Bullar. Soc. fol.* 319. *Et postea fol* 329. *att:* Vix verè, quem præelegerat Dominus, vt eorum Dux foret, qui portarent eius sanctissimum Nomen coram gentibus, & populis: & infideles ad veræ fidei cognitionem inducerent, & rebelles Hæreticos ad illius vnitatem reuocarent, suique in terris Vicarij auctoritatem defenderent. *Hæc Vrbanus pari in Societatem animo, & calamo protulit.*

Nascente Societate nouus orbis aperitur.

Contra Lutherum & assecias excitatur Ignatius:

Et Societatem fundat:

Quæ Gentilibus conuertendis, hæreticis ad fidei veritatem reuocandis,

Et Romani Pontificis potestati tuendæ ex instituto se totam impendit.

Portantiũ coram Gentibus Nomen Domini dux præeligitur Ignatius.

AB EODEM, *Collegium Illyricum Domus Lauretanæ Societatis regimini commendante, in Bulla edita ann.* 1617. Cæterum (*inquit*) cum dilectorum filiorum Presbyterorũ Societatis IESV in hoc educandorum, instituendorumque adolescentium munere, diligentia, fides, integritas, & in alijs huiusmodi Collegijs, & in hoc ipso satis cognita sit, atque perspecta, idem Collegium, atque scholares illius, ipsorum, sicut prius fuit, regimini, institutioni, doctrinæ, atque prudentiæ, eadem auctoritate etiam perpetuo subiicimus, atque submittimus, *&c. Tom.*4. *Bullar. Rom. Cherubini.*

Sociorum in educãdis adolescentibus diligẽtia, fides, integritas.

AB EODEM: *Literis ad Principem Casimirum Societatis Nouitium* (*deinde Cardinalem, nunc Poloniæ Regem*) *laudante Societatem, quam elegerat, in hunc modum*: Quod licet (*ait*) hæc Religio caret asperitatibus, ac pœnitentijs exterioribus aliarum Religionum, studiosissima tamen erat mortificationi interiori passionum, subiectionique voluntatis ad obedientiam, in suoque primitiuo feruore constantissima, *&c.*

Societas mortificationi, ac obedientiæ studiosissima. Et in suo primitiuo feruore cõstantissima.

AB EODEM: *Qui in Jubilæo pro Anno centesimo Societatis dato die* 20. *Septembris anni* 1639. *asserit*, Ex Societate IESV vtiles & fructuosos in Ecclesia Dei Operarios quotidie prodire.

Eius Operarij vtiles, & fructuosi in Ecclesia Dei.

AB EODEM; *Cuius Vrbanæ beneuolentiæ & animi addictissimi erga nos, olim felicissimè auspicati, initium dissimulare, aut præterire non debemus. Is à Clemente VIII. missus* (*Maphæus id temporis Barberinus*) *Apostolicus extra Ordinem Nuncius in Gallias, gratulaturus Henrico IV. & Mariæ Mediceæ Regibus Christianissimis primogenitam Sobolem Ludouicum XIII. vbi Parisios venit vidit illico ante Senatorium Palatium stantem adhuc infamem pyramidem in Religiosissimæ Societatis dedecus nuper erectam ab ijs, qui Hæreticorum plus æquo rebus aliquando studentes, Sociorum innocentiæ vel ignaros, vel inuidos auscultarant. Sed non tulit Præsul æquissimus tantam virtuti iniuriam fieri in Christianissima Ciuitate; & eos, quorum integritatem venerarentur etiam barbari, ab ipsis Ecclesiæ Romanæ filijs conculcari. Itaque qua erat & prudentia*

Vrbanus iam tum Cardinalis Nuntius iniuriosam Societati Columnam deijciendam curat.

dentia mentis, & pietatis affectu, & incorruptione iustitiæ, & Societatis amore præditus, vsus etiam apud Regem Apostolica libertate dicendi simul susceptit innocentiæ patrocinium, & se secuturis Ecclesiæ Principibus exemplum imitandæ virtutis dedit. Quid multa? suadente, & vrgente ipso deiecit Rex iniquissimum infamiæ nunquam promeritæ monumentum: & ita quidem deiecit, vt expetenda Societati, non fugienda fuisse, tanta licet iniuria, videatur: minus enim ab erecta in nos columna dedecoris, quam ab euersa per Henricum, agente Barberino Nuntio, æstimationis & gloriæ redundauit. Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 9. fol. 654.

Eius Collegia Gymnasia sapientiæ.

In quibus gladij ancipites cudũtur ad confundendas Diabol. legiones.

Et arma lucis ad hæresim profligandã, aut exterrendã.

AB EODEM: *In Breui quodam Apostolico ad Regem Poloniæ misso: in quo tantus Pontifex suam ergæ Societatis homines opinionem, & existimationem pandit, adeo magnam, vt diceret,* In eorum Collegijs, quæ Gymnasia Sapientiæ habentur, & gladij ancipites cuduntur, quibus feliciter soleant confundi Diabolicæ legiones. *Et postea subdit:* Qui (*id est Iesuitæ*) lacte pietatis iuuentutem nutriunt, & armis lucis hæresim aut profligant, aut exterrent. *Quid ad Societatis, ac Sociorum commendationem illustrius? Ita refertur apud P. Danielem Bartoli in vita, & instituto S.P.N. Ign. lib. 1. fol. 515.*

Societatis charitas in Deum, & proximos, & Christianæ Religionis zelus.

Animarum salutem omni studio procurat.

14. AB INNOCENTIO X. *In Breui quodam Apostolico edito, anno pro Missionibus Societatis in quo eas illi mirificè commendat.* Cælestium (*inquit*) munerum Thesauros, quorum dispensatores esse nos voluit Deus, libenter ijs impartimur, quos pro sua in Deum, & in proximos charitate, & Christianæ Religionis zelo, animarum salutem omni studio procurare intelligimus. Quo in genere cum Societatis IESV Religiosos habeamus. Nos sane eorumdem Religiosorum pietatem, ac operam confouere, atque augere cupientes, *&c.*

Referta viris pietate, & doctrina insignibus.

AB EODEM, *In Breui altero ann. 1646. de Superiorum Societatis triennio:* Prospero (*inquit*) atque felici statui Societatis IESV, quæ viris pietate, & doctrina insignibus referta, vberes in Vinea Domini fructus iugiter producit,

ducit, pastorali nostra solicitudine consulere volentes, *&c.*

Vberes fructus iugiter producit.

Ab Eodem: *In Iubilæo Religiosis Societatis concesso, editoque anno* Religio (*inquit*) Vestra in agro Dominico diuina dispositione plantata, spiritualibus gratijs, merito à nobis irrigari debet, quo vberiores benedicente Domino fructus in dies proferre insistat, *&c. Tam bene semper Innocentius de Socijs, ac Societate sentiebat: Cuius doctrinæ veritatem, ac firmitatem in materia de diuinis auxilijs, celebri illa decissione contra aliquas Iansenij Iprensis Episcopi propositiones, roborauit, vt satis liquido Theologiæ Professoribus constat.*

Plantata diuina dispositione in agro Dominico.

15. Ab Alexandro VII. *Amantissimo* Societatis *nostræ Parente, ac Patrono, eiusque libertatis assertore, & vindice acerrimo, in litteris peregregijs in forma Breuis ad serenissimam Rempublicam Venetam, quibus Pontifex sanctissimus hortatur* Societatis *restitutionem in toto suo Dominio in hunc modum.* Dilecti filij, nobiles viri, salutem & Apostolicam benedictionem. Laboribus, quibus vti fideles operarij in Christi vineâ Societatis Iesv Religiosi viri assiduè exercentur, fructusque quos, Domino benedicente ex illa percipiunt, Nobilitatibus vestris probè cognitos, ac perspectos esse non dubitamus. Adeo enim vberes, atque ampli sunt, vt bonus eorum odor longe sese, lateque diffuderit, & ad longinquas etiam remotasque regiones iam olim peruenerit. Nos quorum humilitatem supremus ille Pater familias, ac Dominus suæ domus custodiæ, & agri sui cultioni præposuit solicitudinis nostræ debitum, ac præcipuam curam esse putamus, vtiles adeo seruos, ac traditis à Domino talentis augendis, in primis opportunos, & vbique, & apud eos præsertim esse, quos peculiari charitate complectimur, quibus salutarem, ac fructuosam eorum industriam, atque operam fore præuidemus, quem amorem cum erga nobilissimam istam Rempublicam in visceribus geramus non inferiorem singulari eius in Deum Religione, in sanctam verò hanc Sedem obseruantiâ, molestè

Pontificis litera de admittenda in Venetam Ditionem Societate.

Ob labores, quibus vt fideles operarij eius filij exercentur,

Et fructus, quorum odor vbique sparsus.

Et quia vtiles, ac Dominitalentis augendis imprimis opportuni.

Ob salutarem, & fructuosam eorum industriam.

Et vtilitatem ex eorũ aduentu percipiendam,

admodum ferimus, eam iam diu, his Religiosis, nobis perquam charis, probatisque carere. Vnde proculdubio magnæ ad vos, ciuesque vestros vtilitates essent peruenturæ. Nouit prudentia, sapientiaque vestra, quanti interfit maximè lubricam incertamque Adolescentium ætatem bonarum artium, ac pietatis studijs enutriri, vsque adhuc refert à primis annis, optimis institutis assuescere, cum nempe ad ea, quæ ad id traduntur, accipienda aptissimi sunt addiscentium animi, firmiterque deinde, quæ sunt tradita, in omni vita retinentur, in illa verò ætate gubernanda, sanctissimisque præceptis conformanda, iure nulli his Religiosis Peritiores, aut magis idonei esse existimantur, qui hac in re non exiguam vitæ partem ponere plerumque solent, callentque iam longo vsu, atque exercitatione facillimas quasque, & vtilissimas docendi, præcipiendique vias, quodque maximi fieri debet, non minori cura pietatem, Deique timorem, vnde iure omnis sapientiæ, ac scientiæ initium ducitur, quam litteras, disciplinasque edocere satagunt; testatur pium hoc illorum studium, Religionis propagandæ ardor, Templorum cultus, frequens Sacramentorum, ac Dei verbi administratio, ipsum denique eorum institutum, quod vnam diuini nominis gloriam propositam habet, pro qua augenda amplificandaque in omni doctrinâ, atque omni opere fideliter collaborant; dignam itaque prudentia vestra, dignam pietati, dignam perpetua in nos obseruantia, ac maximoperè ad diuinum auxilium impetrandum, opportunam rem facietis, eos quàm primum in nobilissimam istam Ciuitatem, omnemque vestram ditionem recipiendo. Certè, si quantopere suorum beneficiorum memoriam Deus requirat, quantaque sit, reputabitis, quæ hoc tempore largita vobis est immensa eius bonitas, clementiaque; inter cæteras hanc quoque ipsi gratiam referre debetis, ex qua ingens eius gloria, ac laudis incrementum extiturum percipietis; multum etiam id valebit ad sanctissimi Viri Ignatij tutelam conciliandam cui deuotos, non minus

Præcipuè in adolescentium educatione in virtutibus, & literis.

In quo nulli illis sunt peritiores.

Quod testatur illorum ardor Religionis propagandæ.

Templorũ cultus, Sacramentorum, ac diuini verbi administratio.

Et institutum pro diuina gloria augenda fideliter collaborans.

Quare vt recipiatur in Venetam ditionem hortatur Pontifex.

Quia sic Ignatij tutelam sibi conciliabunt.

vos

vos esse decet, quam maiores vestri fuerint. Ille siquidem cum huius SOCIETATIS fundamenta iaceret, diutius in ampliſſima ista Vrbe est commoratus, ac præclara passim in ea sanctitatis exempla edidit, ac quamplurima monumenta reliquit. Nam quod ad nos attinet non dubitamus, id in beneficij loco ponere, ex quo maximos, atque vberrimos fructus estis percepturi; atque in hoc testem veluti ac pignus paternam nostram charitatem dare non veremur, quam vos magnam meritò semper esse duxistis, nec minorem existimatione vestra experti estis, eam sanè causam à multis annis aduersus Christianæ Religionis infensissimos hostes defenditis, quæ præcipuè, ac pro viribus à nobis fouenda est, verum ingens ad hoc efficiendum charitati nostræ in posterum pondus imponetis, atque ad hanc voluntatem hoc facto, is cumulus accedet, vt multo eam amplius incitaturi sitis ad istam Rempublicam, hoc præcipuè tempore omni conatu, atque ope quantum cum Domino poterimus adiuuandam. Adeo denique id Nobis gratum, iucundumque accidet, vt hoc vobis certo spondeamus, nihil à vestra in hanc sanctam Sedem obseruantia, reuerentiaque fieri posse, ex quo maiores stimulos addi animi nostri affectui censuri simus, & pro quo plura inuicem vobis sint beneuolentiæ nostræ signa expectanda, quibus eam non mediocriter auctam erga vos ostendamus; vti etiam fusius exponet Venerabilis frater Carolus Episcopus Auersanus Noster apud Nobilitates vestras Nuncius, cui fidem haberi à vobis cupimus, quibus à Deo felicitatem precamur, & Apostolicam benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die 23. Decembris 1656. Pontificatus nostri anno secundo.

Qui diu in eorum Vrbe claro sanctitatis exemplo est comoratus.

Et id in beneficijs se positurum affirmat Pontifex.

Ac eorum Remp. maiori ex inde conatu adiuuaturum.

Nec aliquid gratius sibi, ac Sanctæ Sedi ab ipsis fieri posse, testatur.

AB EODEM, *Litteris etiam peregregijs in gratiarum actionem pro reuocatione eiusdem* SOCIETATIS *in eandem Nobilissimam Rempublicam, eiusque ditionem, omnium plausu, & acclamatione, & gaudio præcipue sanctissimi Alexandri sic scribentis.* Dilecti fi-

Litera gratificatoria ad eãd. Remp. pro restituta Societate.

Quantum ex illa Pontificis gaudium!

lij, Nobiles viri, salutem & Apostolicam benedictionem. Ingenti eximioque gaudio cor nostrum, ac mentem Nobilitates vestræ compleuerunt ijs litteris, quibus receptos à vobis in Nobilissimam Vrbem istam, vestramque omnem ditionem SOCIETATIS IESV Religiosos viros, significatis. Rem enim summis maximisque difficultatibus hactenus impeditam, ac frustra aliàs tentatam tam libenter, tanta cum filialis animi declaratione, nostra causa, nostroque dumtaxat rogatu vos feciſſe, intelleximus, vt merito vberrima ea lætitia fuerit, quam ex deuotione vestra percepimus, ac pro quo in amantissimi Patris spiritu ac dilectione complexi vos sumus; nec vnquam tantam erga nos beneuolentiam, tam paratam voluntatem ex intimo nostro sinu, ac viscеribus excidere passuri sumus: nam cum insignem in præsentia fructum retulimus singulari vestra obseruantia, ac pietate perfecta, tum gratiorem longe in posterum, capiemus ex vtilitate, ac profectu, quem amplissimum ijdem Religiosi viri vobis afferent; illi enim vt boni ac fideles Christi serui, vestra benignitate adiuuante, Domino autem incrementum præbente, non degeneres à radice, in qua plantati, ac fundati sunt, fructus dabunt, tunc nouo præsidio, ac veluti muro circumcingent florentissimam istam Vrbem, iuuentutem in litteris, Deique timore erudiendo, diuinæque gloriæ toto corde inseruiendo, atque Orationibus insistendo, in quibus vestri beneficij memoriam crebro facient, confugientque ad Deum in tempore opportuno, hoc scilicet tempore, quo Dominus in furore atque ira nos arguit, quo tantæ, ac tam acerbæ sunt Christianæ Reip. calamitates, atque vndique insurgunt impugnantes nos filij tenebrarum, ac inimici Crucis Christi, cum quorum superbissimis, ac potentissimis, quoniam præcipuè vobis res est, non modo precibus, atque orationibus ad Dominum exercituum sine intermissione clamabimus, vt exaltetur dextera eius in Gentibus, quæ non inuocant nomen ipsius, sed etiam nostrismet viribus, quantum

Huius beneuolentiæ memoriam nunquam è sinu suo ecstatur elapsuram.

Et vberes futuros fructus præsagit.

A prima sua radice non degeneres.

Qui nouo præsidio ac veluti muro eorũ Remp. cingent.

Iuuentutẽ in literis, Deique timore erudiendo,

Ac diuinæ gloriæ toto corde inseruiendo.

Et orationibus crebro pro Repub. eorum insistendo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tum licebit per tantas tribulationes, quæ inuenerunt nos nimis, res vestras, causamque libentissimè suscipiemus. Exigit hoc à nobis pietas ipsa, de qua agitur, exigit eximia obseruantia vestra erga hanc sanctam Sedem, cuius Maiestatem in humilitate nostra veneramini, id denique flagitat paternus amor, quem iure peculiarem tam parata filialis animi voluntate promeremini, ad quem Christi glutino indies magis vobis cupimus adhærescere. Venerabilis Frater Carolus Episcopus Auersanus, Noster Apostolicus Nuntius, qui litteras Vestras vberrime suis est prosecutus; idem etiam has nostras disertius Verbis complectetur. Deus inclytam istam Remp. sapientissimumque Senatum veræ Religionis bono, ac Nominis Christiani gloriæ incolumen seruet, ac Nobilitatibus vestris Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 27. Ianuar. 1657. Pontificatus nostri anno secundo.

Societas sedulo, fructuose ac strenuè laborans,

In Christiana Religione iuuanda:

In promouenda infidelium, & Hæreticorũ cõuersione, horumque pertinaciæ retũdenda.

In iuuentute literis, ac probis moribus informanda.

Ab Eodem, *In Constitut. super Regimine Superiorum Societatis* Iesv *data Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem die* 1. *Ianuarij* 1663. *sui Pontificatus anno octauo.* Debitum (*inquit*) Pastoralis Officij, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini diuina dispositione præsidemus, exigit, vt paternam dilectorum filiorum Presbyterorum, & Clericorum Regularium Societatis Iesv, quæ ab ipsis fundationis suæ primordijs in re Christianæ Religionis iuuanda, promouendaque infidelium, & Hæreticorum conuersione, & horum pertinacia retundenda, & iuuentute literis, & probis moribus informanda, Christique fidelibus in viam mandatorum Dei dirigendis (adiuuante Domino) sedulo semper, & fructuosè laborauit, ac etiam nunc strenuè laborat, curam peculiari studio gerentes, illa, quæ prospero felicique ipsius Societatis regimini, & progressu impedimentum adferre noscuntur, è medio tollamus, & abrogemus, sicut magistra rerum experientia suadet, & nos matura consul-

consultatione adhibita ad omnipotentis Dei gloriam salubriter expedire arbitramur, *&c. Hæc inter alia tantus Pontifex, ac verus Societatis Parens in dicta Constitutione reuocatoria alterius ab Innocentio X. expeditæ super Regimine Triennali Superiorum Societatis.*

Gratias agit Societas Sanctiss. D. Alexandro ob reditum in Statum Venetum.

Magni fecit Societas hanc Alexandri Constitutionem, sed multo pluris restitutionem illam in statum Venetum ab eodem excogitatam: ob quam gratias agit Sanctissimo Congregatio Generalis XI. Decreto 26. sequenti. Quoniam à tempore, quo Societas nostra reuersa est in Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ ditionem, nunc primum conuenit in vnum Corpus totum Ordinem repræsentans, censuit Congregatio id conteſtandum Vniuersæ Societatis gratum animum ob tam singulare, & immortale beneficium, quo vindicata est fama integritatis nostræ, & ablatum opprobrium, quod passim iactabant Hæretici, summas quàm humillimas gratias nomine totius Ordinis agendas esse Sanctissimo D. N. Alexandro VII. cuius auspicijs, Pastorali prouidentia, & sapientissimo ductu perfectum felicissimè suspeximus negotium, quod complures anteà magno quidem animi affectu, sed euentu irrito sæpius tentauerant. *Hactenus Decretum.*

Sacrum, & Corona indicta pro eodem Sanctissimo.

Et rursus Decreto 33. eadem Congregatio sic statuit. Proponente P. Vicario, & approbante Congregatione, decretum est, indicendum in Societate Vniuersa sacrum vnum, & Coronam itidem vnam pro Sanctissimo D. N. Alexandro VII. in aliquale gratitudinis nostræ specimen, pro tot illustribus beneficijs, & Apostolicis benedictionibus, quibus Congregationem hanc est impertitus.

Clem. IX, Societati concedit officium de Concept. immacul. Deiparæ cũ octaua.

16. A CLEMENTE IX. *Qui inter alia beneficia, & fauores, quibus pro singulari erga nos beneuolentia, iam dignatus est ornare minimam Societatem nostram, præ alijs Ordinibus, est imprimis priuilegium celebrandi diem festum immaculatæ Conceptionis Deiparæ cum Octauâ; Et insuper recitandi Officium sanctissimi Parentis nostri sub ritu duplici in tota Ecclesia. De quo fauore (& alijs multis)*

multis) loquens R. P. N. Generalis Ioannes Paulus Oliua, ad vniuersum Ordinem, ac singulos Societatis Prouinciales, ita scribit.

Et S. Ignatij sub ritu duplici vniuersim.

Credo me hisce allaturum nuncium, & V. Rev. & socijs vbique gentium longe gratissimum. Concessit siquidem summa cum benignitate Sanctissimus D. N. Clemens Nonus Officium sub ritu duplici de S.P.N. Ignatio iam pridem à tota Societate vehementissimè expetitum. Auxit beneficium conferendi modus, quo non ad preces nostras (quamuis supplicem libellum de eo obtulissem) sed ob eximia merita S. Patris de Ecclesia Dei, & ob singularem veneration-nem, qua sua Sanctitas ipsum colit, voluit hanc gratiam expediri. Incredibile prope est, quàm tenero cum affectu Paterni amoris loquatur identidem sua Beatitudo de minimo Ordine nostro tanquam valde exemplari, perutili Ecclesiæ Dei, & nulli Religiosorum Ordinum secundo: vt hoc ipsum incitamento nobis esse debeat, & ad incrementum Virtutis in nobis ipsis, & ad maiorem feruorem in cultura proximi, vt factis probemus vera, quæ à summo Pastore de nobis sunt prolata. Permultum me iuuit ad impetrandum hoc, & alia P. Aloysius Spinola à Sacris Confessionibus suę Sanctitatis, & Rev. Collegij Germanici. Quocirca vt nos aliquam grati animi testificationem ex parte nostra erga tam beneuolum in nos quoque Parentem exhibeamus, singuli Sacerdotes tria Sacra offerant Deo, & reliqui totidem coronas, vt diuina bonitas omni gratiarum genere Sanctitatem suam cumulet, & nobis, atque Ecclesiæ suæ, quàm diutissimè incolumen conseruet. Romæ 15. Octobris 1667.

Litera R.P.N. Gener. Ioannis Pauli Oliuæ de fauoribus Sanctissimi erga Ignatium & Societatem.

Illum singulari veneratione colit sua Sanctitas.

De ista loquitur tanquã valde exemplari, perutili Ecclesia Dei, & nulli Religiosorum Ordinum secundo.

Tria sacra, indicta, & totidem Coronæ pro sua Beatitudine.

CLASSIS II.

A CONCILIIS.

Cõcilij Tridentini in Societatem studium explicatè proponitur.

I. A TRIDENTINO *Augustissimo illo Senatu, sanctissimoque Religionis Propugnaculo, quod ruentibus in peius Catholicæ rebus Ecclesiæ annis ante iam pluribus coactum Tridenti fuerat, cum demum prioris sæculi anno supra sexagesimum tertio solui inciperet, finemque spectaret; tanta, conspirantibus vndique conuenientium Præsulum, ac Principum testimonijs de recenti hac* IESV *Familia inaudierat, tanta in Lainio, Salmerone, & ceteris ad Concilium vocatis hominibus Societatis coram quoque spectauerat; vt quantâ eam haberet in existimatione, pluribus id quidem sæpe aliàs, at duobus præsertim iudicijs denique commonstrarit. Horum vnum, hoc est, quod cum instituenda iuuenum Seminaria censuisset ad idoneos ministros Ecclesiæ formandos, ac nemo prope esset qui non huiusmodi prouinciam Societati in sua quisque Diœcesi animo destinaret, ac permulti Collegia in eam rem postularent; senatus ipse, laudata approbataque tantorum Præsulum voluntate,* Ipsamet Societatis Collegia, præstantia quædam iuuandæ Ecclesiæ Seminaria esse, *pronunciauit. Alterum est, quod, cum de Regularibus, Religiosisque hominibus tractaretur in Concilio, essentque extra illud maleuoli, qui contra Societatem apud varios magni nominis Antistites moliri multa vellent; non solum non inuentus sit aliquis ex tanto Præsulum numero, qui aliquid contra Societatem diceret esse statuendum, sed ipsum quoque Concilium, etiam cum honorifica testificatione approbatæ à Sede Apostolica disciplinæ, summoque omnium cum consensu vnam* IESV *Societatem à quibusdam legibus, quæ ceteris Religiosis iniungebantur, exceperit hisce verbis.* Per hæc tamen sancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis IESV, iuxta pium eorum institutum à sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & eius

Societatis Collegia præstantia iuuandæ Ecclesiæ Seminaria.

In Eius pio Instituto nihil vult innouare Concilium.

eius Ecclesiæ inseruire possit. *Sess.25.cap.16.de Regul. Ita apud Imag.1.sæc. Soc.lib.5.cap.9.fol.656.*

AB EODEM: *In quo Societas statim ab initio magnam habuit doctrinæ opinionem. An aliquid ad Societatis tum primum nascentis doctrinam orbi testandam dici, excogitarique potuit illustrius, quam illud? statutum illic fuisse omnium iudicijs eodem concurrentibus, vt inter Theologos primus Salmeron, postremus Lainius Iesuitæ sententiam dicerent: Ille ad earum rerum, quæ disputandæ, agitandæque proponebantur, illustrem explanationem, hic ad moderandas, temperandasque sententias. Ille vero dies, qui fuit, cum Concilij Patres communi consensione tauerunt, ne in eum diem publici conuentus indicerentur, quo Lainius, quem quartana febris inuaserat, minus valeret! Itane frequentissimus ille consessus, & Orbis terræ Theatrum, ab vnius hominis Iesuitæ ore, & oratione pendebat, vt eo absente, vel ad Consilium dandum in rebus difficillimis doctrinæ, vel ad perorandum eloquentiæ subsidia desideraret? Tantamne vnius ingenium lucem adferre Concilio potuit, vt qui instinctu, afflatuque diuino concitabantur, ij, prius quam de rebus in controuersia positis, certi aliquid statuerent, vellent cognoscere, quid vni, & ægro quidem Iesuitæ videretur? ô eximiam illam, & inauditam Orbis vniuersi existimationem! ô summam de Societate Concilij tanti commendationem! Ita Ibidem lib.3.Orat.5.fol.438.*

Eius de Salmerone, & præcipuè de Lainio existimatio.

2. A TARRACONENSI; *Prouinciali habito anno 1600. literis missis ad Clementem VIII. quibus Beatificationem S.Parentis Ignatij efflagitabat.* Sancta (*inquit*) Apostolica, & Romana Sedes sole amicta, & coronata splendore duodecim stellarum, Regina vnius, atque alterius Poli peperit hunc spiritum salutis eodem tempore, quo Martinus Lutherus velut Hydra lernæa aperuit puteum abyssi, & incepit obscurare solem teterrimo fumo, & terram replere pestiferis locustis; eo tempore oppositum hunc septimum, & fortem Angelum, qui tanquam filius dilectus, in quo Deus sibi complacuit, nube diuinæ protectionis velatus fuit, quoniam semper respexit arcum Cœlestem, qui vertici insidebat, quique non aliud in omni-

Ignatius Luthero specialiter à Deo oppositus.

Septimus fuit Apocalypsis Angelus diuinæ protectionis nube velatus.

Maiorem Dei Gloriã vestigans.

Christianæ Reip. Propugnator, ac nouæ Militiæ de cælo lapsæ Dux,

Suæ doctrinæ radijs errorum tenebras dispellens.

Eius Pedes Igneæ Columnæ:

Alter Paganismi mare conuertens, alter terram fecundans.

Doctrinæ librũ manu gerit ad iuuentutis educationẽ.

Alter est Orbis Atlas quem fulcit humeris doctrinæ & pietatis.

bus rebus, quàm Dei maiorem gloriam vestigaret. Hunc Ignatium, suum Pontifices armarunt quasi Propugnatorem Reipublicæ Christianæ, eumque Ducem constituerunt nouæ Militiæ, quæ de Cælo lapsa est, signatæ Sanctissimo Nomine IESV; vt aspectu suo, ipso fulgentiori Sole, & iubare suæ doctrinæ, atque scientiæ tenebras omnium dispelleret errorum; collocarunt pedes Ignatij quasi duas Columnas igneas; dextrum supra mare, pro Indorum, & Paganismi conuersione; sinistrum supra terram, vt eam fecundaret seminibus virtutum, & salutaris doctrinæ post eradicatas spinas ignorantiæ, errorum, atque hæresum; dederuntque Ignatio in manibus librum, vt à prima ætate bona ingenia erudiret, omnique optimâ literatura, diuina, atque humanâ excoleret. Quamobrem Patres Concilij istius, dum attentius perpendunt merita huius Ducis Ignatij, quem Numen singulari prouidentia his temporibus Ecclesiæ dedit, vt velut alter Atlas Orbem fulciat humeris Doctrinæ, & Pietatis; æquum duxerunt, *&c. Hæc Tarraconense Concilium in summam Societatis, & fundatoris laudem, apud P. Scherlog. Tom. 3. Cant. vestig. 34. num. 35. ex Relat. edita à nostra Ribadeneira Hispano idiomate de processu Beatif. eiusd. S. Parentis Ignatij, quæ excusa est Matriti anno 1609.*

CLAS-

CLASSIS III.

A CARDINALIBVS.

1. A S. Carolo borromæo : *Cuius mens extat in Diplomate Gregorij pro fundando Collegio Mediolanensi*: Solicito (*inquit*) considerans animo, quantam Reipublicæ Christianæ afferre consueuerint vtilitatem Collegia dilectorum filiorum Presbyterorum Societatis Iesv optimè in pluribus Christiani Orbis partibus sanctissimè, & piè instituta. Ipsi enim nullam prætermittentes occasionem, qua in proximum charitatem suam exercere valeant, per totam terrarum orbem dispersi, neque sacculum, neque peram assumentes, & afflati spiritu, qui dat cuncta bona timentibus eum, non solum hic, & per totius Italiæ oras, verum etiam ab Aquilone ad Austrum retia tendentes; & iam non piscium, sed hominum piscatores effecti; eius ductu, qui summa charitas, & bonitas est, quotidie non cessant ministerium suum adimplere, fideles & infideles in vias, & semitas rectas adducendo, ac populos vbique dispersos, tam exemplo boni operis, quàm doctrina confirmando: tantaque in eos inualuit proximi charitas, vt ad Indos, & regiones incognitas secedentes, & per Martyrij palmam infideles ad Christi fidem reuocare non dubitauerint; ita vt meritò cum exultatione referre possint: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum, *&c. Ita Eminentiss. Cardinalis apud P. Nigron. in Comment. Regul. Soc. Tit. Par. 3. num. 12.*

Commendatur Societas ex Collegiorũ vtilitate.

Et ex filiorum erga proximos charitate.

Qui diuino afflati spiritu incessanter suum ministerium adimplent.

Hominum piscatores effecti.

Eorum charitas ad incognitas Indorum regiones penetrauit.

Matth. 25. 20.

Ab Eodem, *præter donatam Aronensi tirocinio domum, tria condente, dotanteque Collegia, Mediolani vnum, per Heluetiam duo*: Futura (*vt putabat*) non tam suæ munificentiæ testimonia, quam Religionis per eas oras firmamenta. *Ita apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 2. cap. 4. fol. 209. ex Glussano in eius vita.*

Societatis Collegia Religionis firmamenta.

S. Caroli in Societatem beneuolentiæ signa.

Item non modicam beneuolentiæ significationem erga Societatem præ se semper tulit Borromæus Sanctissimus, & hoc propriè primum Mediolani, quo die S. Felicis Templum apertum est, post Sacrum in eo magnificè factum, conuiua se Patribus, cum suorum honestissimis commodato, deinde Romæ post addita per benigne cetera Societatis Domicilia, Collegij cohonestata mensa, illud addidit beneficium, quod iam dudum petebatur, vt Seminarij Mediolanensis procuratione Societatem exoneraret. Ita Par. 4 Hist. Soc lib. 7. n. 54.

Et exercitiorum æstimatio.

AB EODEM, *mire vim, & energiam Exercitiorum S. P. Ignatij commendante: Cum Dux Mantuanus eius bibliothecam visisset, mirificeque laudaret, conuersus ad illum Carolus,* Paruulum (*inquit*) in pulpito libellum habeo, è quo plus haurio, quam è reliqua bibliotheca, quia nempe purius, & plenius tanquam ex ipso fonte. *Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. cap. 10. fol. 381. sic sanctus ille Mediolanensis Archiep. de aureo illo exercitiorum libello sentiebat.*

Socij in puerorum educatione ceteris præferuntur.

2. AB INTERPRETIBVS. *Concilij Tridentini in obseruat. declarat. eiusdem Concilij ad sess. 23. de Reformat. cap. 18 n. 33.* Ante omnia (*inquiunt*) in Seminarijs constituendus est Grammaticus, & Musicus, qui pueros instruant, & si reperiantur IESVITÆ ceteris anteponendi sunt. *Ita illi. Grauis sane laus: tum quia ab Eminentiss. Principibus profecta, tum etiam quod hac in re nostrorum operam præ ceteris absque vlla exceptione commendat.*

Societas per orbem cum maximo animarum fructu patet.

3. A PRÆSIDIBVS. *Eiusdem Concilij*: Religio (*inquiunt*) Presbyterorum Societatis IESV, quæ iam latissimè per Christianorum, & Gentium etiam prouincias (Deo quod cœpit Opus promouente) cum maximo animarum fructu patet, instituta in Ecclesia Dei, & approbata per Sedem Apostolicam fuit. *Ita in Diplomate dat. Trident. 1. Nouemb. ann. 1561. apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 10. fol 666. Item pro Societatis innocentia in quadam persecutione ijdem Eminentiss. Cardinales affirmarunt,* Nunquam neque sanctissimum Dominum, neque ipsos de sinceris studijs, innocentiaque Societatis dubitauisse:

De eius innocentia Pontificis, & Cardin. iudicium.

bitauisse: non potuisse tamen non magnopere gaudere, quod post tot, tamque accuratas impugnationes non modo nihil de existimatione eius imminutum esset, sed probatior etiam, & conspectior integritas euasisset. Quapropter hoc nomine vehementer Patribus gratulari, cum Sanctitatem summi Pontificis, tum ipsos de Reformationis Concilio Cardinales, pariterque hortari, vt pergerent bono animo, quales hactenus præbuerant se, tales in futurum præstarent. Prouisum esse, ne quid amplius, à quo oppugnabantur, timerent, nunquam gratiam Sedis Apostolicæ, nunquam benignitatem desideraturos. *Ita Par.2.Hist.Soc.lib.8.nu.28.*

Sedis Apost. gratiam ei pollicetur.

4. A ZACHARIA DELPHINO, ET IOAN. FRAN. COMMENDONO *legatis etiam Apostolicis, quos circumire Ciuitates, Principesque Germaniæ, & ad Tridentinum Concilium Pontifex Pius IV. inuitare iusserat, mandataque addiderat protegendæ, & quamplurimis locis collocandæ Societatis, & illi quidem diligenter, summaque benignitate executi mandata rescripserunt*, Aditas abs se quamplurimas Ciuitates, obitasque Prouincias, & perspectum quam strenuè, quamque feliciter IESVITÆ vbique laborent: nec apparere aliam commodiorem, vel conseruandi integra, vel recreandi perdita viam, quam si multa eorum Collegia disponantur; idque se sedulo curasse. *Ita 2. Par.Hist.Soc.cit.lib.5.n.159.*

Iesuitæ feliciter, & strenuè laborantes.

Quanta ex Collegijs vtilitas?

AB EODEM COMMENDONO: *Qui secum in legatione sua per septentrionis Prouincias Lambertum nostrum circumduxerat, adiutore ad regendos familiæ mores, & in rebus Religionis, quas Hæretici in controuersiam reuocarent disceptatore vtens; eique viro Lambertus, cunctæque eius familiæ vsque eo sapientiam, sanctitatemque probauerat, vt laudibus eius plenam, & actionibus gratiarum Epistolam ad Latinium Commendonus dederit.* Præ ceteris (*ait*) nunquam in celebrem se venisse locum, quo non multo ante præcurrisset fama, cum Legato, Iesuitam aduenire: sique nihil aliud, id certè lucrifactum, quod sit ostensum Hæreticis Catholicorum specimen Sacerdotum, ac Iesuitarum. *Ita Ibidem lib.5.*

Societas ex Lamberto filio commendatur.

*lib.5.num.*178. *Et postea n.*179. *dicitur, quod rursus à legatione sua Commendonus Lambertum Moguntiæ reddidit, ipseque Coloniam profectus, Societatem Archiepiscopo, & Senatui enixè commendauit, affirmans*, Nescire ipsos quantum haberent Thesaurum: *&* *Romam scripsit*, Ideo minus placuisse sibi Colonienses, quod Societatem recipere, certumque ei domicilium, ac Templum tribuere cunctarentur: *Sic socij, sic Societas commendabatur à Commendono.*

Vt Thesaurus æstimanda.

Iterum in Canisio commendatur.

5. AB OTHONE TRVCHSESIO *Cardinali Augustano, cuius in Societatem, & socios animi propensio vix credi potest: Nec omitti fas duxerim insignem eius aduersus Canisium nostrum pietatem. Ex Alsatia redeuntem exceptum Dilingæ non modo omni honore, ac benignitate tractauit, sed etiam voluit vel inuito manibus suis lauare pedes, & in eo Societatis. Ita Par.*2. *Hist. Soc. lib.*2. *num* 11.

Et in Lainio Generali.

Mortuo Generali Lainio idem Cardinalis Augustanus eum exequijs honorificis honestauit, in ijsque quas ei apparatu magnifico celebrauit Dilingæ Cenotaphium non pulla veste (vti mos est) sed purpurea insterni iussit: quod tanti viri memoriam (*vt aiebat*) non luctu, sed gaudio prosequi, æquum esset. *Cumque laudationem funebrem adiici voluisset, vbi Orator finem dicendi fecit, protinus ipsemet Cardinalis è suo solio fari exorsus in magna ciuium frequentia, inter cetera*, Verissima sunt (*inquit*) quæ commemorauit Orator, sed prætermisit haud pauca. Tria ergo superaddam, quæ gesta sunt mecum. Discessuro in Galliam cum equum generosum, atque percommodum ei obtulissem, perpelli bonus Pater vt vteretur, nunquam potuit, atque eius verba hæc erant: Equus quidem optimus est, sed pauperi aptus non est. Deinde cum à Paulo IV. in Cardinalium Collegium coaptandus, ad me adiit lacrymantibus oculis; instititque vt ad summum Pontificem intercederem, & nihil intentatum relinquerem. Quod si illi certum esset perstare in sententia, sibi quoque certum esse fugam arripere, atque abdere sese. *His postremo adiecit Cardinalis, de subita à Cardinalium Conclaui fuga, vbi inaudiit de summo honore sibi demandando quosdam agere.*

De quo Pontifice creando agitur.

Ita

Ita Par.2. Hist. Soc. lib.8.n.206. Non tamen hæc Laini fuga (scribitur Ibidem lib.3.n.47.) Cardinalium consilia repente discussit, sed duodecim è grauissimis iam ad summum illi honorem demandandum consenserant, haud incepto facile desituri, nisi vel sanctiones reuerititi essent, vel inueterata iam exempla non aliunde Pontificem, quam è sacro Collegio assumendi. Hæc Otho in exequijs relatis publicè prædicauit. Sic tantus Cardinalis Societatis filios honorabat, quid Matrem Societatem?

Per Italiam extraque sparsi libelli famosi contra Societatem: illico gestientes arripiunt Hæretici; Germanicè vertunt, quam possunt latissime fundunt: ad Imperatorem Maximilianum, ad alios Principes, & præ ceteris ad Othonem nostrum Cardin. Augustanum, tum Augustæ agentem peruenerunt, is rei indignitate, communique detrimento commotus, quid stragis ea fœditas in Germania edat, quam Catholicis vniuersis à Patrum maxime doctrina pendentibus fracti animi, hæreticis vero quam inflammati sint, Pontificem edocet, horrtaturque, vt mature Apostolica ope succurrat. Pontifex id vt cognouit, vehementer excanduit. Auctorem libellorũ muneris, cui ante præerat, administratione priuat, & sportula, quæ è Pontificio penu dabatur: iubet comprehendi, darique in vincula, ac seuerè puniri. Nec sane graue effugisset supplicium, nisi adnitente summo studio Societate. Ita Ibid.lib.8.num.33. Et ita per Cardin. Othonem fama, & innocentia Societatis restituta. Et tandem Par. 4. Hist. Soc. lib. 1. num.51. proponitur eiusdem Othonis Card. erga Societatem ingens studium his verbis: Haud enim se aliter vnquam tulit, atque vnum è numero Sociorum. Non Dilinganam solum Academiam Societati tradidit, plurimumque de Collegio Augustæ statuendo certauit, atque vbicumque vsus fuit singularia Officia præstitit; Sed plane cura, solicitudine, lætitia, mœrore nihilo secus, atque sua in re, in prospero aduersoue statu nostro commouebatur. Hæc ibi Sachinus.

Defensa contra libellarios Societas.

Cuius infamia quã pernitiosa Catholicis, & opportuna Hæreticis.

Othonis Cardin. erga Societatem studium.

6. A Fran. Maria Taurusio *etiam Archiep. Senensi, qui in testimonio de sanctitate, ac miraculis S.P.N. Ignatij, sic ait*: Omnibus, & singulis has nostras literas lecturis salutem in Domino. Beatus vir Ignatius Loyola Societatis Iesv fundator

Et Taurusij celebre testimoniũ de sanctitate Ignatij, & filiorum.

Ij vera huius sæculi lumina, omnium virtutum, ac disciplinarum genere præditi.

dator firmiora quidem suæ gloriæ testimonia habere non potest, quam quæ per eius instituti sectatores vera huius sæculi lumina, omni virtutum, ac disciplinarum genere præditos, Deus ipse euidenter exhibet. Quomodo enim ij strenuè dimicantes tam præclara in fide Catholica propaganda, in Hæreticis conuertendis, & in Christianis moribus vbique terrarum reformandis, cum summa omnium admiratione præstarent, nisi Deo Duce, idem B. Ignatius cælesti clamide indutus, militibus suis præfulgeret, æterni Regni vexilla præferret, animum, vires, armorumque præsidia suppeditaret. *Quid hoc testimonio illustrius! quod refertur apud P. Danielem Bartoli in vita, & Instit. S. Ign. fol. 592.*

Strenuè dimicantes profide propagãda, & Hæreticis conuertendis.

7. A Bartholomæo Gvidicciono: *Ille, qui nouarum Religionum sub Paulo 3. tam acer, & tam pertinax insectator, vt non verbo tantum, sed scripto etiam (vt fertur) ex Lateranensi, & Lugdunensi Concilio, lapsam potius veterum Ordinum disciplinam erigendam esse, contenderet, quam instituendam nouam; Societatis fine percepto, sic animo commotus est, vt diceret:* Nouas Religiones non probo, hanc tamen non probare non audeo: sic enim interius afficior, eos motus animi diuinitus sentio, vt quo me summa ratio non ducit, eò voluntas inclinet, & affectu quodammodo inuitus complectar, quæ argumentis anteà repũdiabam. *Ita apud Imag. 1. sæc. Societ. lib. 5. cap. 10. fol. 666. ex Par. 1. Hist. Soc. lib. 2. n. 114.*

Diuina prouidentia in confirmatione Societatis.

Socij charitate pleni, & magna doctrina exornati, &c.

8. A Carolo Gvisano *Affirmante*, in Gallia Patronum Societatis, ac defensorem se fore, nequaquam alium sibi Patronum adsciscere. *Ita ille in eadem 1. Par. Hist. Soc. lib. 10. num. 108.* * *Qui rursus eiusdem Societatis homines appellabat,* Plenos charitate, exornatos magna doctrina, & prudentia, efficaces ardentissimosque in confessionibus audiendis, & in omni Ecclesiastico ministerio. *Sic apud Euseb. in vita parua S. Ignatij cap. 40.*

9. A Francisco Maria *Episcopo Portuensi, Cardinali à Monte in Actis Canonizationis S. Francisci Xauerij, vbi agens de*

eius

eius Apostolico munere, sic in ipsius, & Sociorum laudem erupit: Glorioſum Nomen Apoſtoli, quod fidelis Dei ſeruus Apoſtolicis factis, & ſanctitate non ſolum ſibi, ſed etiam ſuis: vnde qua Luſitanum Imperium per Europam, Africam, Aſſiam, & nouum patet orbem, omnes de Societate IESV Apoſtoli nominantur. *Sic in Imag. 1. ſæc. Soc. lib. 5. cap. 2. fol. 603.*

Ij cum Xauerio Indiarum Apoſtolo, Apoſtoli nominantur.

10. A IACOBO SABELLO: *Qui (cum Romæ hæc opinio percrebuiſſet, ad corrigendos mores, reſtituendamque religionem haud aliud præſentius oblatum eſſe remedium, quam hominum Societatis, quàm plurimum operâ vti:) hac ductus opinione, vbi à Pio IV. eius in Vrbe Vicarius conſtitutus eſſet, accerſito Lainio Generali ait,* Id ſe oneris ſubijſſe minimè inuitum, ſperantem eâ viâ in diuini cultus ornatum, & incrementum nonnihil collocaturum, idque adiumento in primis Societatis. Et quoniam recta populi inſtitutio emendatioque à Sacerdotibus idoneis pendeat, decretum ſibi, deliberatumque eſſe neminem ad Sacerdotalem gradum efferre, qui ab hominibus noſtris non probaretur. Proinde duos legeret à pietate, prudentiaque, ac doctrina idoneos viros, qui de initiandorum doctrina, & facultate periculum facerent, quorum iudicio ſtaretur. *Hæc ille Par. 2. Hiſt. Soc. lib. 4. num. 8.*

Card. Sabellus Societati initiandorum examen committit.

11. A VINCENTIO LAVREO *Epiſcopo Montis Regalis in ſubalpinis, ac demum Cardinali, Turnonij Cardinalis nomine ad Generalem Lainium ſic ſcribente:* Incolumis (*inquit*) Dei gratia Cardinalis Turnonius in Gallias venit: ſed cum magno animi ſui dolore religionis res ita perturbatas inuenit, nullus vt propè in hoc Regno ſit locus, quem non aliqua ex parte hæretica lues contaminarit. Cum vero aduentu ſuo partim ſeditiones graues, vel iam ardentes extinxerit, vel orientes oppreſſerit, partim Chriſtianiſſimo Regi per literas malorum remedia, viaſque ad vim ac fraudes ſeditioſæ huius, & conſceleratæ ſectæ repellendas propoſuerit; nequaquam deeſſe Turnoni vult ſolo ſuo natali. Id cum oppidum ſit octingen-

Litera ad Gener. Lainium, in quibus Turonenſe Collegium Societati defertur.

tis circiter domicilijs frequens ad Rhodanum situm, ac sapientiæ studiosos non pauciores mille ducentis habeat propter opportunitatem Collegij, quod suis ibi impensis Cardinalis ædificauit, proximè ab tetræ huius pestis periculo abest. Quam id loci haud quaquam effugisset, nisi & popularium aduersus Cardinalem amor eximius, & obseruantia defendisset; & vigil prudensque fratris filij custodia, qui Turnoniæ domus generosa stirps, vel cum vitæ discrimine maiorum suorum illustria premens vestigia, noua hæc pietatis inuenta eorumque fautores propulsare, & oppugnare nunquam destitit: adeo vt ab inimicis fidei ad contumeliam (vt ipsi rentur) monstretur digito, & Papista vocitetur. Iam vero Cardinalis pro optima opinione, quam semper de sanctimonia vitæ, doctrinæque integritate sacratissimæ Societatis IESV habuit; persuadet sibi suam hanc patriam contra impetum quemuis, fraudemque tartaream reddere inexpugnabilem posse, si præsidium ei de Vestris hominibus imponat, suumque Collegium custodiæ Societatis fidæ, sanctæque committat. Neque vni tantum oppido, sed toti Regno sperat se ingens commodum allaturum. Etenim Collegium per opportunum cum sit tum situ, & opulentia oppidi, tum ædium magnificentia, & bis mille francorum annuo vectigali, præterquam quod discendi cupidos eo vt commeent, allicit; potest etiam multos è Societate præstantes enutrire viros, quos per Gallias sparsos certa spes est vbique innocentia vitæ, ac Dei verbo eiecturos, iugulaturosque Catholicæ fidei hostes, & in pristinum Religionis splendorem Regnum omne restituturos. Nec leue erit commodum tam multos adolescentes, ex quibus deinde Antistites, Religiosi viri, magni Cancellarij, Præsides, Consiliarij, Senatores, ac ceteri Magistratus, Regnique administri creantur; à primis annis in sancto Dei timore educari, & Catholicæ custodia pietatis. Atque adeo haud mentiar, si huius mali originem ab talibus personis affirmem esse. Feciset Deus vt omni Gallia Societatis structa

Optima Cardinalis opinio de sanctimonia, & doctrina Societatis.

Qua Præsidium est inexpugnabile: & commoda toti Regno Galliæ.

Propter præstantes viros, quos enutrit.

Fidei Catholicæ hostes iugulaturos & iuuentutem in Dei timore educaturos.

Eius Collegia desiderantur in Gallia.

cta Collegia essent: non ita laborandum Pontifici summo esset ad populum olim pietate inclytum in sanctæ Sedis obsequio, & Matris Ecclesiæ gremio retinendum. Id adeo experimentum apertè monstrat, quod Billomum atque Apamiæ Gallicanæ Vrbes, quamuis regionibus vitio contactis vndique obsideantur; tamen & se, & multas circa oras ab infanda contagione liberas seruauerunt. Huius rei gratia quiuis fidelis Christi cultor diuinæ bonitati gratias debet agere, quod in hisce summis calamitatibus, quasi è cælo dimittere ad nos hanc verè Cælestem Societatem, dignata est. Cui cum Tu, Pater summe obseruande, merito præsis, cuius magnam incorruptamque sapientiam, prudentiam, & sanctos mores cognitos habet, plurimique, vt debet, facit Cardinalis, tanto actius confirmat suum honestum hoc votum, atque inflammat. Ideoque iusit me tibi nomine suo, quod his literis facio, significare, mentem hanc eius esse, vt suum illud Collegium sanctæ huius Societatis sit. *Hactenus Vincentij literæ datæ Kalend. Octobris. Ita in ead. Par. 2. Hist. Soc. lib. 4. n. 85.*

Ad populum in Sedis Apost. obsequio retinendum.

Quæ seruant Vrbes ab hæresis contagio.

Verè cælestis Societas, ac sancta.

12. A CHRISTOPHORO MADRVTIO *Cardinali legato: is cum in assignandis reditibus Collegio Materatensi difficultatis aliquid interueniisset; & cum ab Oliuerio, & dicti Collegij Rectore inuiseretur, magna voce (& aderant plurimi) velut concionabundus extollere miris laudibus Societatem aggressus, præter cetera,* Gratias, *dixit,* ab omnibus Deo agendas, quod tali tempore, talem orbi terrarum hominum cætum dedisset: *ac bonam deinde de pecunia sua stipem ad Collegium misit suum mittentis nomen quamquam frustra, cupiens ignorari. Ita Ibid. lib. 5. n. 85.*

Cætus, ob quem Deo agenda gratia.

13. AB ALEXANDRO FARNESIO, *cuius tanta in Societatem benignitas, vt diceret Generali Laimio, cum quo multa ad animum suum spectantia æger decumbens communicauit,* Societatis causa quamplurimum agere ad neminem omnium, quam ad se prius pertinere, eo nimirum Officio, quo gloriosa stirpis facta tueri gentiles, & cumulare pietas iubet. *Ita Ibidem lib. 5. n. 145. Innatus sane tanto Principi amor, & benignitas insignis, &*

Card. Farnesij in Societatem benignitas.

Eius filij Pontificij Milites.

peculiaris aduersus Societatem, adeo, vt dicere soleret Farnesius, cum quis ingrediebatur in Societatem, Debere ei Pontificem tanquam suo militi stipendium pendere. *Ita Par. 4. Hist. Soc. lib. 5. n. 159. Grande sane dictum breuibus licet caracteribus expressum in sociorum, & Societatis laudem.*

14. A CAROLO LOTHARINGO, ET TVRNONIO: *Billomensium pro suo Collegio fundando ingens erat studium: dum autem ad prædictos duos Cardinales supplicem super ea re libellum Billomæi deferrent, lumina illa, & propugnacula Ecclesiæ Gallicanæ lætissimè accepto libello addidisse orationem talem feruntur:* ô vos beatos, quos diuina Maiestas temporibus his horum virorum dono dignata est! vtinam eius misericordia fieret, vt singulæ huius Regni Prouinciæ tanto potirentur bono! Tenete vos, quibus concessum est: amplexamini Sodalitatem hanc Iesu Christi, & vestigijs eius, ac monitis inhærete. Nos & vestro nomine, & pro Officio nostro dabimus operam, vt Gallia tanto Dei munere nequaquam priuetur. *Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 5. num. 196. & statim additur: Interfuisse huic actioni quidam procuratorum testamenti Episcopi fundatoris, qui vel pietate, vel verecundia ducti, suum continuò libellum supplicem adiunxére. Postremo die in Conuentu Cardinalis Lotharingus verum se Patronum Societatis, ac Parentem probaturus de suscipienda ea retulit: postque sententiam suam multis cum eius laudibus explicatam accuratas preces adiecit. Secundum eum Cardinalis Turnonius, Quanta Deus per nouum hunc Ordinem, non in terris modo Christianorum, sed etiam apud Indos, & barbaros populos efficiat, cum fusè percensuisset;* Hoc etiam (*inquit*) si quid pertinere ad rem putatis addam. Ego his Patribus ob eorum cognitam mihi vitæ probitatem, sanctorumque doctrinam, Collegium illud meum, quod non sine magnis sumptibus apud meos ædificaui, perpetuo habendum cum Vniuersis vectigalibus dono dedi. *Hæc ille: & tres alij Cardinales Armeniacus, Guisius, Borbonius eiusdem fuere sententiæ.*

Societas facit beatos.

Est magnum bonum, & munus Dei.

Eius opera apud Indos, & barbaros.

Sociorum probitas, & doctrina.

AB EODEM LOTHARINGO, *Illud disertè asserente*, Se ipsi Societatis Præposito (*talis tunc erat Lainius*) in amanda, tuendaque Societate nihil cessurum, suisque humeris etiam in Gallia, & vbique gentium posset, sustentaturum. *Hæc Cardinalis coram Lainio locutus. Ita ead. 2. Par. Hist. Soc. lib. 7. n. 4. Idemque dixerunt ceteri, qui Concilio Tridentino interfuerunt totius Orbis Antistites, vt videre est in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 9. fol. 655.*

Amata quantum à Lotharingo Cardin. Societas?

Quam suis humeris in Gallia sustentaturũ dicebat.

15. A GABRIELE PALEOTTO, *appellante Ignatium Parentem*, Lumen Ecclesiæ, virumque à Deo excitatum ad cogendam Societatem, quo velut reuiuisceret, nouaque sanciretur rei Christianæ disciplina. *Ita in cit. Imag. lib. 5. cap. 1. fol. 590.*

Ignatius Ecclesiæ lumen.

16. AB STANISLAO HOSIO: *Qui cum Borgia renunciatur Præpositus Generalis, ipsi Francisco gratulatus est his verbis.* Etsi pridem allatum huc fuerat R. D. Vestram cuius insignis pietas toto celebratur in Orbe summa cum voluntate omnium, & incredibili quodam consensu sanctę Societatis IESV Generalem esse designatum; quoniam tamen ex Vrbe nullas ante mensem Decembrem ea de re literas acceperim, differendam esse duxi meam gratulationem in id vsque tempus, quo certius aliquid hac de re cognoscere licuisset. Deo gratias ago, cuius beneficio factum est, vt non solum huic Sanctæ Societati, verum etiam Ecclesiæ vniuersæ de viro tanta vitæ integritate, grauitate, prudentia prædito prospiceret: cuius cura, & diligentia prouideri possit Ecclesijs omnibus, vt ne careant Verbi ministris, qui non magis doctrina, quàm exemplo ceteris præeant. Quibus quò magis hæc mea diœcesis indigere videtur; hoc impensius munus, hoc R.P.V. delatum illi gratulor, mihi vero gaudeo. Nam illius opera futurum confido, vt nec alijs Ecclesijs, nec meæ desint fideles Operarij, qui laborent in Vinea Domini. *Hæc Hosius Cardinalis, ac Vermiensis Episcopus in Borgiæ, & Societatis laudem erupit. Sic refertur Par. 3. Hist. Soc. lib. 1. num. 33.*

Gratulatio de Borgia in Generalem electione.

Socij fideles in vinea Domini Operarij.

AB

Societas nata ad Ecclesiæ bonum: & vtilis contra hæreticos.

Ab Eodem: *Qui etiam aliquando asseruit*, Societatem ad Ecclesiæ bonum natam esse, vtilemque Regno Poloniæ in hæreses fore. *Ita in Synopsi Soc. lib. 3. cap. 4. fol. 161. Et (vt refertur Par. 2. Hist. Soc. lib. 8. nu. 114.) Idem Cardinalis Hosius Tridentino in Diœcesim suam Vermiensem reuersus locupletissimos quosque, ac Senatores ante alios rerum nouarum cupidos deprehendit, contraque Religionem Catholicam multa aperte, multa occulte molientes. Quare quod diu cogitauerat minime prolatandum ratus, aduocare Præsidium ex hac Cohorte statim decreuit. Cuius industria Poloniæ Regnum Societati cœptum est aperiri.*

Poloniæ Regnum Societati aperitur.

Honorificæ Alani literæ ad Euerardum Gener.

17. A Gvilielmo Alano, *Cuius honorificæ pro Societate extant literæ ab Euerardo Generali postulantes, vt Collegij Anglicani Duacensis curam suscipiat.* Etsi (*inquit*) calamus meus apud te iam diu cessauit; tamen animus meus, & corda meorum apud communem Dominum, pro te, lectissimoq; grege tuo non silent vnquam. Cum enim in his diurni exilij, & difficillimorum temporum continuis calamitatibus omnibus facti sumus per Christum debitores; vestræ tamen sanctæ Societatis in nostros homines merita, ceterorum Officijs vniuersis antiquiora, gratiora, ac sane salutariora semper extiterunt. Meministi etenim, colendissime vir, nisi forsan (quod facile crediderim) alijs à te tuisque præstiti beneficij Christianè obliuiscēris: alioquin in Belgio tum degens, & exules Anglos summopere complectens meminisse posses, (& Ego lubens sane recordor) iam tum ab initio desolationis nostræ, plerosque ab illa perditione ereptos, vel ad Sacrum Ordinem vestrum receptos, vel Ecclesiæ Matri vestrorum studio, ac opera restitutos: vel sequentibus deinde annis Louanij primum, tum Duaci, tandem etiam Romæ consilio, charitate, consolatione, auctoritateque inprimis vestra fuisse seruatos. Vt de hoc quantulocumq; agri Dominici relicto semine post Deum, ac sanctissimum Patrem Gregorium, eiusque summos ministros, vobis patria nostra, si quam vnquam habituri sumus, primas gratias debere videatur. Inter cetera tamen re-

Societas lustißimus grex.

centis-

centiſſimum eſt illud, & plane ſingulare, priora omnia beneficia veſtra complectens, quod ad noſtrorum iſtic ſtudiorum inſtitutionem non ita pridem ex Societate, alioquin varijs charitatis muneribus occupatiſſima, homines commodiſſimos conceſſeritis. De quo cum multa mihi domum ad me nuper rediens, Gregorius Martinus meus iucunde narrauit, plurimaque lætè ac libenter ex Vrbe Reuerendus Dominus Archidiaconus Audoënus, & ij ipſi, ad quos hæc felicitas maxime pertinet, ſæpe ad me ſcribant. Ego qui nihil in orbe illorum iuuenum ſalute, & ſancta educatione charius habeam, intimum de Reuerendiſſimæ Paternitatis tuæ beneficio ipſis præſtito, animi mei gaudium celare non potui. Equidem mi Pater quoad in hoc ſæculari, quo viuimus ſtatu fieri potuit, & licuit, dedi operam ſemper, vt noſtri non alijs, quam veſtris ſtudijs, inſtitutis, moribus, quibus nihil eſt hodie, vel ad doctrinam expeditius, vel ad veritatem ſincerius, vel quod maximè nunc requirimus ad zelum lucrandarum animarum accommodatius, præcipuè imbuerentur. Et illi ipſi neſcio qua animi inductione, ſed diuinitus, vt interpretor, indita longè libentiſſimè veſtra vbique, & gymnaſia conſectati ſunt, & mores imitati. Ad quam rem non quantum optamus, ſed quantum conſequi tum potuimus, vicina nobis ſæpe Collegia veſtra commoditatem præbuerunt. Sed nunc cum id ſit à Deo nobis per ſuam Sanctitatem tributum, vt in illo Eccleſiæ, ac orbis principe loco, Collegium habeamus, & per tuam pietatem porro conceſſum, vt id hactenus veſtrorum opera, atque prudentia gubernetur, & inſtituatur; omnia ſanè mihi meiſque in Chriſto donata ſunt. Neque aliud deſideramus, quàm vt eius iſtic, noſtrique hîc Collegij, totiuſque gentis noſtræ cauſa, ſua gratia, & auctoritate apud ſanctiſſimum Dominum noſtrum continuò fiat commendatior: atque vt hoc tuum etiam, Patrumque beneficium diuturnum eſſe velis: vt velis autem (mi Domine colendiſſime) Alanus omnibus vitæ ſuæ Officijs filius, & famulus tuus, tuorumque

Varijs charitatis muneribus occupatiſſima.

Ad doctrinam expeditior, & ad animarum zelum accommodatior.

Commoda ex Collegijs.

Expetit Alanus vt Societas Collegij Anglicani curam ſuſcipiat.

rumque sincerus amator per Christum rogat, vel Respublica potius, ac patria nostra rogat: illiusque charitatis, & solicitudinis, quam in omnes gentes Christianas, ac barbaras geris, partem aliquam supplex postulat. Nec repellas iustissima petentes, Pater; & qui per tuos apud extremos Indos, oues Christo colligis: perditam ouem Britanicam nobiscum quęrere, ne dedigneris. Si onus est; Christi onus est: qui & augebit vires, vt possitis, & charitatem vt velitis ferre. Et quidquid sit, omnium nostrorum, qui vbique gentium sunt, exulum precibus, operis, oblationibus tolerabilius fiet. Quo loco nunc Orbis Christianus (sapientissime vir) sit, & quantopere nitendum sit, ne impiorum hominum conspiratione, & scelerata diligentia, fides, & religio prorsus pereant, nemo te melius videt, aut magis curat. Nec sunt multi, cum armis & potentia iam pridem aduersarij propter peccata nostra superiores esse videantur, qui non iam labentibus, sed ruentibus rebus, ita vt vos, succurrere velint, aut possint. Habetis nunc optimas, aut maximas rei bene gerendæ occasiones. Talem Pontificem, qualem fortassis sequentia tempora non dabunt, diuinitus certe his Ecclesiæ calamitatibus concessum nobis: & ita rebus humanis, his maximè institutis Seminarijs consulentem; vt nesciam, an vlla alia æquè expedita ratione religioni succurri queat. Sub tali Patre, & Pastore vobis, mihi, omnibusque zelum Dei habentibus, niti, laborare, instare, vrgere, facere, pati, mori pro communi fide periucundum esse debet. Sed indignitas horum temporum, gentisque meæ, longa, & coacta calamitas, ac meorum amor effecerunt, vt maximarum occupationum tuarum oblitus tam multa non necessaria Tuæ R^mæ. Paternitati dixerim, cum sciam tuam pietatem hæc omnia videre, & multo plura facere, quam ego desiderare, aut postulare ausim. Christus ergo IESVS Tuam R^mam. Paternitatem diutissimè Ecclesię, suis, nostrisque seruet incolumem, ac dignetur nostram paruitatem suorum sanctissimis Sacrificijs commendare, inprimisque R^mum. Patrem Domi-

Socij apud Indos oues Christo colligunt.

Vrria ad Collegij curam suscipiendam motiua.

Dominum Oliuerium à me multum salutare. Rhemis septimo Kalendas Nouembris 1578. Addictissimus seruus Guilielmus Alanus. *Hucusque præcipuæ nobilitatis Anglicanæ, sapientiæ, ac virtutis vir admirandus. Par. 4. Hist. Soc. lib. 7. nu. 19. Et postea lib. 8. num. 87. additur, Quod cum Romæ esset idem Alanus Pontifici Catholicorum Anglorum vota exposuit,* quàm auide cuncti aliquos è Societate Sacerdotes expeterent. Ipsos esse, qui suorum Anglorum Duaci, ac Romæ Magistri, atq; institutores fuissent. Ergo si tantum afferrent solatij atque emolumenti ij, quos instituerant; liceret ipsos intueri Magistros, & audire, quorum etiam regendis, consilioque iuuandis, ipsis Seminariorum Sacerdotibus, valitura esset auctoritas. Adire Indiam Patres, ac profiteri suæ vocationis esse inferre Christi cultum in omnes terras, ac restituere inter Hæreticos. Cur ergo prætermitterent Angliam, vbi amplissima esset parata messis. *Quam Orationem cum probasset vehementer Gregorius, agi cum Euerardo iussit.*

Societas ab Anglis expetita.

Eius vocatio inferre Deicultum in omnes terras.

Ab Eodem: *Contra nefarium Edictum Elisabethæ Angliæ Reginæ, & in nostrorum commendationem asserente*: Patiuntur (*inquit*) odia, & Hæreticorum indignationes, quod D. Hieronymus loco summæ gloriæ ducebat. Nam sancti illi viri, qui à Deo olim ad congrediendum cum Hæreticis excitati fuerant, tam hostibus odio erant, quàm isti modo à Deo ad Lutheri, Caluini, & reliquarum pestium ruinas reparandum ad nos missi. *Ita ille Cap. 6. apud Paul. Leonard. Apolog. pro scient. Med. Par. 2. n. 83. Et postea Ibid. Par. 3. nu. 54. Idem Alanus addit.* Horum Virorum Ordo quidem, & ratio viuendi noua est, sed fides, & doctrina eadem plane, quam Patres antiqui, & Ecclesia vniuersa habuit semper, & colit modo. *Hæc ille in doctrinæ Iesuitarum commendationem.*

In filijs patitur Hæreticorum odia.

Eius ratio viuendi noua, sed doctrina veterum Patrum.

18. A Cæsare Baronio *in Annot. ad Martyrol. Rom. 29. Decemb. fol. 619. Vbi postquam de S. Thoma Cantuariensi disseruit Cardinalis doctissimus, hæc pro Societatis gloria, eiusque Martyrum triumphis mire suppeditauit.* Videre meruit (*inquit*) sæculum

Societas Martyribus coronata.

noſtrum hac ex parte quam plurimos Thomas, Sanctiſſimos Sacerdotes, alioſque nobiliſſimos viros Anglicanos, ampliori (liceat dicere) Martyrio coronatos, dupliciſque tituli coronis auctos: cum non ſolum vt Thomas, pro Eccleſiaſtica libertate, ſed pro fide Catholica tuenda, reſtituenda, ac conſeruanda nobiliſſimo Martyrio occubuerint: vt inter alios, quos nuper Sancta Societas IESV velut agnos innoxios in ſacris ſeptis, ſanctis eruditionibus ad Martyrium acceptiſſimas Deo hoſtias ſaginauit: quos Romanum, quos Rhemenſe ſacra Collegia (quæ dixerim Celſas Turres, à facie Aquilonis, & fortiſſima Propugnacula fidei) emiſerunt ad triumphos, & prouexerunt ad Coronas. Macte animo, macte virtute Anglicanorum nobiliſſime, & glorioſiſsime Cætus, cui tam illuſtri Militiæ nomen dediſti, ac Sacramento ſanguinem ſpopondiſti: æmulor ſane vos Dei æmulatione, cum vos Martyrij candidatos, ac nobiliſſimos purpuræ Martyres deſignatos aſpicio. *Hæc eleganter Baronius.*

Eius Collegia celſæ Turres, contra Aquilonem, & Propugnacula fidei fortiſſima.

AB EODEM: *Qui P.N. Ignatium Sanctiſſimum non modo coluit ipſe, ſed qua valebat in ſacris ritibus auctoritate depictam eius imaginem in Eccleſia Nominis* IESV *publica religione colendam primus omnium ſuis manibus parieti affixit, atque propoſuit. Et teſte Imag. 1. ſæc. Soc. lib. 3. cap. 8. fol. 372. Memoranda illa eiuſdem Cardinalis vox, breuis illa quidem, ſed prolixam Societatis laudem complexa, cum Societatis Templum* Anaſtaſiam *(non inani ad Conſtantinopolitanam Baſilicam alluſione) appellare non dubitauit; propterea quod Sacramentorum vſum, qui vita quædam eſt, & anima Chriſtianæ perfectionis, à ſæculis iam multis intermortuum videret in Templo illo, velut priſco vigore recepto feliciſſime reuiuiſcentem. Et teſte Auendaño noſtro in ſuo Epithalamio ſacro diſſert. proæmiali num. 74. vbi reſcribens Baronius Staniſlao Corneouio Archiep. Gneſnenſi Poloniæ Primati, Societatis alumnos vocat,* Viros religioſiſsimos, eruditos, & maximè pios, & Apoſtolicos.

Baronij Card. cultus in Ignatium.

Sacramentorum vſus per Societatem propagatur.

Eius filij religioſiſsimi, & Apoſtolici.

19. AB

19. AB VVANDINO: *Qui cum cum Pontifice Greg. XV. de Sanctitate, & miraculis Ignatij Parentis Sanctissimi sermonem haberet, sequens testimonium dedisse fertur*: Quotquot sunt vbique terrarum Societatis IESV in hanc sanctam Sedem, & religionem Catholicam egregia merita, tot profecto habemus B. Ignatij Loyolæ miracula, tot argumenta Sanctitatis. *Hæc ille. Elogium sane breuissimum in Parentis, ac filiæ Societatis laudem, sed longissima vtriusque commendatione, ac existimatione plenum. Ita refertur apud Danielem Bartoli in vita B. Ignatij lib. 5. fol. 592.*

Quot Societati in Ecclesia egregia merita, tot Ignatij miracula.

20. A LVDOVICO LVDOVISIO *In Panegyrico S. Ignatij habito in Metropolitano Bononiæ Templo, Romæ typis edito anno* 1630. *Vbi sic ait*: Quænam ætas, qui sexus, quæ hominum conditio, quæ gens vel barbara, longeque disiuncta inficiabitur, infinita propemodum esse, quæ debet Ignatio? Puerilis ætas Christianæ doctrinæ institutionibus informata, quarum vsum cum immenso Christianorum hominum emolumento ipse primus inuexit. Iuuentus in apertis gymnasijs erudita, efficacissimo inuento ad inserendam in animis, cum integritate bonarum artium, pietatem, ac morum probitatem. Maturi ætate viri tot in Oratorijs, & Congregationibus, veris pœnitentiæ, ac vitæ Sanctioris Academijs instituti. Tot piæ domus erectæ pro Virginibus, pro conuersis ad castiorem vitam fœminis, pro Orphanis, pro Cathecumenis. Maior Templorum cultus, Sacramentorum, concionum, Sacrarum lectionum, piarum exercitationum frequentia, ac Veneratio; virtutis exemplum, ac sanctitatis æmulatio apud alios Religiosos Ordines excitata. An non hæc omnia beneficia zelo, ac pietati debentur Ignatij? de quo possumus affirmare quod de se Paulus apud Chrisostomum hom. 22. in 1. Cor. Innumerabilia machinari, & excogitare mei est studij, & diligentiæ. Si vero per varias Mundi partes oculos circumferamus, Moschouiam, Persidem, Dalmatiam, Libani Montis plagam, Æthiopiam, excultas ab Ignatio

Omnes Ignatio, & Societati debent.

Pueri Christianam doctrinam.

Iuuenes eruditionem.

Viri sanctioris vitæ præcepta.

Virgines pias domus.

Templa, maiorem cultum.

Sacramenta, frequentiam.

Totus orbis missiones fructuosissimas.

Germania, Polonia, &c. hæresum profligationem.

tio fructuosissimis Missionibus agnoscemus. Germaniam, Poloniam, Galliam, Belgium, Angliam, Scotiam, Hiberniam pluribus locis ab hæresi propugnatas, ac releuatas Ignatij opera; earumque multas Collegiorum, Domorumque præsidijs, arcibusque communitas. Indias ad Orientem, atque ad Occidentem Solem sitas, locis, moribusque disiunctissimas regiones, omnes in capacissimo Ignatij pectore coniunctas, eiusque, ac Sociorum beneficio ab Ethnica superstitione, aut à Sede Romana defectione ad vnum Christi ouile, Pastoremque deductas: adeo vt sola Francisci Xauerij Apostolica manu millia millium, ac bis centena hominum millia fuerint Baptismi salutaribus aquis abluta. Verum vt hæc omnia Missa faciamus; an non infinita sunt erga Christianam Rempublicam, ac Mundum Vniuersum Ignatij merita, quod tam præstantis Religiosæ Familiæ conditor fuit; quæ vel ab ipsis natalibus peculiari voto Apostolicæ Sedi obstricta, inter Christianos, & Ethnicos tot laboribus, tot cruciatibus, ac periculis continenter, ac generosè pro Christiana fide bellum gessit? Inspiciantur ex hac Societate primi, ac nouissimi; illud vsurpare de illa licebit, quod in re simili scripsit Cassiodorus Epist. 7. lib. 3. [Tot annis continuis simul splendet claritate virtutis: & quamuis rara sit gloria, non agnoscitur in tam longo stemmate variata: sæculis suis produxit nobilis vena primarios: nescit inde aliquid nasci mediocre: tot probati, quot geniti: quod difficile prouenit electa frequentia.] Testis esto ingens copia Sanguinis ab ijs bellatoribus effusi, quos huiusce Societatis acies eduxerunt. Et vero eorum nouem in Iaponia nuperrimè igni lento cremati vix dum suum peregerunt holocaustum. Et segnior fuit ignis qui foris vsit, quam qui intus accendit. S. Leo ser. de S. Laur. Quare mirum non est huius Ordinis initijs ac progressibus animaduersis, si communis hominum sententia fuit: quemadmodum olim in Africa D. Augustinus in lucem prodiit, quo tempore natus erat in Anglia Pelagius: ita

Vtraque India ab Ethnica superstitione conuersionem.

Societas præstans Familia: Apostolicæ Sedi peculiari Voto obstricta.

Bellatrix generosa pro Christiana fide.

Splendens claritate virtutis.

Acies suorum bellatorum sanguine purpurata.

ita planè statim atque Tartareum illud monstrum Lutherus erupit, vt tenebras importaret, singularem Dei prouidentiam Ecclesiæ suæ Ignatium, eiusque Aciem vere igneam protulisse. *Hæc ab Eminentissimo Ludouisio in dicto Panegyrico à fol. mihi 42. ad 48. Et postea concludit*: Eumdem Ignatium fuisse commutatione vitæ alterum Paulum, pœnitentia Baptistam, Humilitate Franciscum, Aquinatem Thomam Castimonia, paupertate Martinum, Abrahamum Obedientia, Thaumaturgum miraculis. *Et vt se velut filium Ignatij tenerrimum exhiberet (& consequenter Societatis) Sacram illi, & bene longam Panegyrim allegatam, sua ipse voce pro concione recitauit, in vno è præcipuis Sacellis Metropolitanæ Bononiensis Ecclesiæ, cui Archiepiscopus præsidebat, cum illud S. Ignatio solemniter dedicasset, ea pompa, quæ conueniret Principi, & pietate, quæ deceret Cardinalem. In qua Panegyri postquam sanctissimis ab omni retro memoria Patriarchis æqualem, quin & ipsi Christo quam simillimum ostendit Ignatium, professus suum ab ipso dicendi exordio studium, atque, vt inquit,* Deuoti cordis obsequium, quod iam inde ab ineunte ætate ingentibus meritis celeberrimi Societatis IESV Conditoris Ignatij dedicarit, & ardentissimam, qua flagraret cupiditatem, vt eius tutissimo patrocinio salutem quisque suam, animumque commendet. *Ita denique velut orando perorat.* Opto, ac vehementer oro cunctos, & hortor, vt communem Orbis Thesaurum Ignatium in suo quisque corde, amantissimo pietatis sensu complectantur. *Hucusque in citata Panegyri tot titulis commendabili. Quem quidem Optimi Parentis animum erga Ignatium Parentem, amorem, & existimationem erga Societatem: vel ingentia saxa Romanæ molis, me tacente testantur. Inter quæ lapis ille, quem rite consecratum sua ipse manu primum in fundamenta deposuit, altera sui parte Verba hæc pauca, sed illustria habet insculpta.* Erit lapis iste in signum meæ erga sanctum Ignatium, eiusque Ordinem pietatis. *Hæc apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 1. fol. 591.*

Acies vere ignea contra Lutherum.

Multiplex Ignatij elogium.

Est Orbis communis Thesaurus.

21. A BOR-

Iesuitarum causa eò æquior, quòd ab Hæreticis impugnata.

21. A BORBONIO, *In Tolosani Collegij causa, quæ multum habuit dimicationum, ita fauente, vt Hæreticorum quemdam in Senatu ipso coram Rege, ac Parente grauissimis castigarit verbis: adiiciens*, Inde constare Iesuitarum causæ æquitatem, quod eam Hæretici impugnarent. *Ita ille Par. 3. Hist. Soc. lib. 2. nu. 64.*

Doctrina ad ignorantiæ remedium nulla præstantior Societatis.

22. A IACOBO SPINOSA *Seguntino etiam Episcopo, qui iam dudum cognitam inter exercitationes Spiritus Compluti Societatem benigne complexus, cum Ecclesiam suam monitu summi Pontificis (vt Episcopos ille omnes monebat) diligenter visisset, latiusque opinione dominari rerum bonarum inscitiam, & scientiam malarum, actionesque comperisset; habito de remedij viâ consilio, cum assensu Canonicorum, & Cleri decreuerat*, Nullam præsentiorem offerri, quam Societatis doctrinam. *Quod cum fetisset non rogatu modo, sed modesto prope imperio confestim voluit antecursores mitti, nostris vtens ad lustrandam suam Diœcesim. Ita Ibid. lib. 5. n. 200.*

Et Collegia Ciuitatum decus.

23. A BEVILACQVA, *etiam Legato Apostolico Perusino, cuius amor in Societatem prope singularis: de qua is ita sentiebat magnificè, atque ita honorificè, cum priuatim, tum publicè loquebatur, vt dici vix queat. Ergo cum de illa, vt fit, sermo incidebat, libere profitebatur*, Collegia nostra vbicumque essent, decus esse Ciuitatum. *Sic in liter. Annal. Soc. ann. 1600. fol. 32.*

Se ac suam purpuram in Societatis commodum offert Rupefocalda.

24. A RVPEFOCALDA, *Qui, cum purpuram recens à summo Pontifice ipsius meritis delatam nostri Scholastici Oratiuncula, triplicique dramate gratularentur, illas Scholasticorum recitationes concluſit ipse eleganti clausula, verbisque grauissimis in nobili conſessu significauit*, Si quid hac dignitatis accessione sibi accederet facultatis, id omne ad Societatis nostræ commoda collocaturum. *Ita in Annal. Soc. ann. 1607. fol. 597.*

Gerardus Card. Sociorum adspectu quasi Angelorum lætabatur.

25. A GERARDO GROSBEQVIO *Eburonum etiam Antistite, & de Purpuratorum Patrum Senatu. Is Belgas Patres Louanio in ditionem suam inuitare solitus, adeo præsentium lætabatur adspectu, quasi* non Homines, sed Hominum Tutelares Angelos accepisset. *Tum demum ponebat curas, quas pro religionis incolumitate maximas gerebat, satis ei consultum arbitratus quandiu adessent*

adessent Patres. Ita in Imag. 1. sæc. Societ. lib. 6. cap. 5. fol. 882.

26. * A DIDACO GVZMANO, *etiam Patriarcha, & Archiepiscopo Hispalensi, vna cum toto suo Capitulo Ecclesiastico, in Edicto professo Sanctiss. P. N. Ignatij recipiendo, à se promulgato ann. 1628. die 28. Iun. scribendoque infra Class 6.* A Sacris Senatibus. *Consule ibi dicenda: & hic adde; Cardinalem hunc eminentissimum asseruisse*, Societatem fructum facere magnopere copiosum, & sua virtute; literis, doctrina, & exemplo cumulatum. *Ita apud P. And Luc. in vit. S. Ignat. lib. 4 cap. 18. Idem in vita Margaritæ, quam aureo scripsit calamo Par. 2. cap. 23. dicit*, Societatem ab Imperatoribus Patribus, Auisque Reginæ Margaritæ singularibus fauoribus & gratijs honoratam. *

Societatis fructus copiosi, virtute, ac doctrina cumulati.

Ab Imperatoribus honorata.

27. * AB AVGVST. SPINOLA, *etiam Hispalensi Archiepiscopo, qui viuus amorem, mortuus corpus nostræ Societati in Professorum Domo dedit: quam Societatem vocauit aliquando*, Plantam generosam, & cælestem per omnem terram ramos breuiter extendentem, dantemque fructus copiosissimos per totum Orbem prædicatione, doctrina, literis, & exemplo. *Ita apud And. luc. cit. vit. S. Ign. lib. 4. cap. 18.*

Planta generosa, ac cælestis:

Per totum Orbem copiosissimis fructibus dilatata.

28. A BERNARNO SPADA *Cardinali dignissimo, qui in Sacra, particularique Congregatione ab Innocentio X. Pontif. Max. deputata, in Monitorio, seu Decreto vltimo ad fauorem PP. Societatis Angelopolitanæ, Ioannem de Palafox Antistitem Angelopolitanum ad eius amorem adducere, suo, ac Eminentissimorum nomine, his verbis contendit.* Te etiam, atque etiam hortamur, vt ea qua decet in tam laudabilem, proficuumque Ordinem existimatione, Religiosam hanc Familiam in Vinea Domini summo cum fructu ac labore desudantem paterna charitate amplectaris, ac foueas, *&c. Ita pag. 1. dicti Monitorij Societati perquam honorifici, vt videre est in Processu, & fine Causæ Angelopolitanæ, Romæ typis edito, die 5. Nouembris ann. 1653.*

Commendatur Episcopo Angelopolitano.

Religiosa Familia in vinea Domini summo cum fructu, ac labore desudans.

29. * A BALTHAS. MOSCOSO, SANDOVAL, *Inter Purpuratos Ecclesiæ Patres meritissimo, etiam Archiepiscopo Toletano, vtroque multis nominibus Societati Colendissimo. Is in Edicto pro eius Missionibus à se pronunciato, & Mexici typis edito ann.* 1647. *hæc inter alia multa scribit.* Considerans (*inquit*) magnas calamitates, quibus Hispanica Monarchia premitur, tot bellis, totque inimicis rebellibus impetita, *&c.* ad quorum omnium remedium, cum ipsa experientia Nos doceat, singulari nostra consolatione, spiritualem fructum, & animarum profectum, quem Religiosi Societatis IESV, Missionum vsu, & exercitio, maxime ad culparum, & peccatorum emendationem, morum reformationem, doctrinæ Christianæ, ac ceterorum mysteriorum nostræ Sanctæ fidei Catholicæ instructionem, ac educationem, faciunt: Visum est Nobis, ab illis affectuosè petere, sicut fecimus, & vt hoc Sancto Missionum exercitio, omnes Ciuitates, Villas, & loca totius nostri Archiepiscopatus percurrant, *&c. Tanta de Societatis Nostræ Missionibus tanto Principi opinio erat, vt illas vnicum præsentiusue totius Regni pene collabentis subsidium fore, iudicaret.*

Eius Missiones laudantur.

CLAS-

CLASSIS IV.

AB ANTISTITIBVS.

1. A S. Thoma a Villanova *Archiepiscopo Valentino Augustiniano, qui nunc ab Alexandro VII. in Sanctorum Pontificum adscriptus Catalogo, eximia vitæ Sanctitate, & miraculis, & doctrina illustris. Is Valentiæ fundatum Societati Collegium adeo amauit, & in pretio habuit, vt si quem ex nostris Patribus amoueri Valentia cerneret, amanter expostularet,* Auxilia sibi detrahi. *Ita Par.1. Hist. Societ. lib.15. num.78. Eo quod (prosequitur noster Nicolaus Lancicius) nostrorum hominum opera ad omnes Episcopalis muneris functiones, cum Sacerdotibus communes, perpetuò magna cum commendatione, & suarum ouium ingenti vtilitate, ac profectu vteretur, & sua cum illis consilia communicaret, ac si non Antistes esset doctissimus (libris præclaris typo vulgatis celebris) sed vnus ex infimo Cleri gradu. Moriturus vero cum quamdam haberet in nominibus pecuniam (nam fere aliam non habebat quàm pauperum manus) eius partem ampliorem Collegio Valentino legauit: ratus illi hominum Cœtui copiosiorem eleemosynam donandam, per quos viderat, & plures adduci ad Christianam pietatem animas Catholicorum, & Hæreticorum ad Christi Ouile. Ita Lancicius cit. Tom. 2. Opuscul. Spiritual. Opusc. 17. cap. 4. num.198.*

Societas Auxilium Antistitum.

2. A Francisco Bandinio *Archiepiscopo Senensi, qui de Paschasij nostri virtute, & industria celebre testimonium dedit, auxiliumque ei, Ciuitatique ab Ignatio Parente Sanctissimo petit his literis.* Ea est (*inquit*) Paschasij Vestri, at potius nostri vitæ integritas, & morum suauitas, vt omnibus gratus, iucundusque sit, mihi vero gratissimus: & in eo munere, quo hîc fungitur, est adeo vehemens, vt summa eius cum laude, oculos omnium in se conuertat. Nam verbis hortatur, exemplis iuuat, humilitate allicit, charitate ad bene, beateque viuen-

Laudatur in filio Paschasio: & alij desiderantur.

Matth. 9. 37. viuendum inflammat. Verum quia, vt ait Dominus, messis quidem multa est, operarij autem pauci, optarem summopere vt eum vos, quemadmodum par est, adiuuaretis: quod facile consequemini, si duos, aut saltem vnum ex Socijs Vestris huc miseritis. Quapropter Vos etiam, atque etiam rogo, vt huic honesto meo desiderio morem geratis. Hoc si feceritis profecto cognoscetis vos huius Ciuitatis saluti, Deique honori consuluisse. Quod vos summopere cupere certo scio. Reliquum est, vt sciatis me vobis quibuscumque rebus potero nunquam defuturum. Valete. Senis 18. Kalend. Septemb. 1540. *Hæc ille Par. 1. Hist. Soc. lib. 2. num. 92.*

Consulit ciuitatum saluti, Deique honori.

3. A PETRO GVERRERO *Archiepiscopo Granatensi, qui nostra Instituta cognorat, multumque probarat Tridenti, & Academiæ, & Ordinibus omnibus gratum fuisse Societatis aduentum. Is vbi cum ex Academia esset nemo qui pollitioribus iuuentutem literis erudiret, hanc scilicet Prouinciam Societatis hominibus reseruabat, quibus in eam Vrbem ingressis Curiones Archiepiscopus omnes, & qui Sacerdotijs, & fortunis Ecclesiæ sese alebant conuocauit, affatusque, monuit,* Societatem IESV tum potissimum à Deo excitatam, cum refrixisse charitas videbatur: proinde studendum esse cuique suas vt accuratè partes ageret, ne ad eas agendas desideraret externos: quos ipsos cum pro sua Deus bonitate Granatam quoque misisset dandam esse operam, vt eos imitari studerent. *Deinde Patrum tenuitati, inopiæque cognitæ re frumentaria ac nummaria prospexit tam prompta benignitate, vt præcepto obedientiæ imposito, ab se peti quidquid necessarium foret, iuberet. Potestatem insuper Sacerdotibus fecit ea condonandi peccata, quæ suæ de more cathedræ reseruarat, maiora præter hæc beneficia, & adiumenta pollicitus, quod cumulatissimè præstitit. Orandi viam de Ignatij formula vsque eo probauit, vt publice eam deprædicaret: ac pro concione quondam de secessu disputans Christi Domini in desertum tanquam ad exercitia spiritualia dixerit secessisse. Ita Par. 1. Hist. Soc. lib. 14. num. 86. Et Par. 2. Hist.*

Excitata à Deo cum refrixisse charitas videbatur. Matth. 24 12.

Imitanda proponitur Granatensibus Ecclesiasticis.

Eius Orandi via probatur.

eiusdem

eiusdem Societ. lib. 4. num. 179. lego ab Eodem Archiepiscopo Granatensi Societatem, esse Arborem ex bonis fructibus cognoscendam.

Arbor ex fructibus cognoscenda.

Ab Eodem: *In vexatione Societatis tanquam confessiones retegentis. Granatæ hæc exorta tempestas occasione Concionis Ramirezij nostri. Consulitur in tam ancipiti, cæcaque causa à bonis viris Archiepiscopus Guerrero: is quæ docuerat Ramirez, disertè affirmat, imò sponte sua Præsides omnes sacrorum Ordinum, ac doctissimum quemque tota ex Urbe conuocat, in eoque concilio doctrina eadem approbatur, vt refertur Par. 2. Hist. Soc. lib. 2. num. 131. * Sed dolens maximè Præsul pientissimus, quod plebs blateronum Societati semper infensa, cum ei nihil labis posset inurere, quæ in eius moribus euinceretur, labes criminosorum hominum velut fracto sanctioris confessionis sigillo, seu aggere, effusas sacrilego ausu, & euulgatas conaretur impingere; ideoque tum nominis, tum agnominis omen implens zelo æquè ac potestate armatus, effusam perditorum infregit audaciam, & de suggestu ingestam Societati calumniam diluere aggressus in hæc verba, suam plene Panegyri planè mentem aperuit.*

Defenditur ab Archiep. Granatensi.

Quidquid (*inquit*) de criminum ad aures sacratissimè creditorum euulgatione vulgatum est, palmare mendatium esse certò comperimus, ijque de quibus insolens eiusmodi calumnia disseminatur, ij sunt, ac tam probatæ virtutis, vt ausim dicere, confundat me Deus, ni optimi sunt, ex omnibus, quorum vel à primis annis consuetudine vsus sum. Agitate iam, cum ijs agite, ad eos accedite, quam vitæ exerceant rationem, qui demum ipsi sunt penitus perscrutantes agnoscite, ac ipso discetis experimento, quam verus, & absque fuco vos sim allocutus in præsens: calumniam vero palmarem adeò, qua viros tanta pietate insignes perperam incessistis, quomodo diluetis, & quo tandem pacto eorum existimationi, ac nomini facietis satis, quos tanti sceleris, qualis est auricularis confessionis sacrilega euulgatio infectos esse voluistis. Faxit Deus, vt qui à superiori loco iniurioſi imposturam execrandam adeò in bibulas audientis conciones

Eius filij optimi, & probatæ virtutis.

Et pietate insignes.

aures infuderunt, effusam diuini iudicis iram experti ad inferiora, seu inferna Tartari non deturbentur. Non enim ignoranter peccant, qui cum bene norint, & coram nobis quem protulimus sensum amplexi sint, & citra quæstionem esse ingenuè professi sint, eumdem pro concione dilacerant, & nobis inuitis, & inauditis alienam famam, sed propria infamia, discerpere contumelioſi ac prorsus falsi contendunt. *Hæc ille apud Euseb. Tom. 3. vir. Illustr. Soc. fol. 219. in vit. P. Ioan. Ramirez §. 5.*

4. A LEONARDO MARINO, *tum Episcopo Abbæ, dein Archiepiscopo Lanciani, Nuncioque Apostolico ad Hispaniarum Regem, ex Sacro Prædicatorum Ordine, qui ad consolandos socios in vexatione relata, sequentem ad Borgiam Epistolam dedit*: Multum (*inquit*) doloris attulit mihi res Granatensis, non Confessarij Societatis causa. Is enim quod Deo debebat, præstitit, vt remedium tot Sacrilegijs afferretur: neque aliter agere poterat, cum ea sit Dei ipsius regula, quæ nequaquam, vt aduersarij calumniantur, auocat homines à confessione, sed ad eam aduocat. Non enim recta est via aduocandi ad Sacramenta, si patiaris, aut dissimules, vt peccata, & Sacrilegia per ipsa Sacramenta committantur; sed si coneris, vt per administrationem rerum à Deo sanctarum à peccatis Christiani liberentur, & iustitiam, sanctitatem, gratiam Dei consequantur. Quod mihi dolorem attulit inconsiderantia fuit concionatorum, qui quod laudare, ac fouere debuerant, id deformare, & opprimere maluerunt. Ceterum, Pater, memineris nunquam Dæmonem in Ecclesia non seminasse Zizania, vt inter se ipsos Christi sectatores committeret, idque non per manifestam impietatem conatum, sed zeli obtentu, & simulatione pietatis. Quemadmodum in præsentia zeli specie moueri videntur Christiani quidam, Religiosique professi ad Societatis tranquillitatem turbandam. Quod mea quidem sententia nihil est aliud, quam opponere se præsidijs, quæ in hæc tam periculosa tempora comparauit Deus Ecclesiæ suæ. Iste vero

Epistola Nuncij Apost. consolantis Societatem in vexatione Granatensi.

Matth. 13 25.

vero aduersantium zelus, haud quaquam zelus est Domini, sed admodum carnalis: cui quantumuis personam spiritus velint imponere, reuera zelus est contentionis, non quærens quæ Dei sunt, sed quæ per Societatis existimationem detrahi putant sibi. Itaque & hîc locum habet, quod dixit Apostolus: cum sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis? & secundum hominem ambulatis? Nunquid diuisus est Christus? *Cor.*3. Quid est Paulus, quid Apollo! quid Dominicus sanctus, quid sanctus Franciscus? Nonne ministri Dei sunt, cuius & ipsa Societas est? Proinde absistant dissidium facere inter Societates, Sodalitatesque vnius & eiusdem Domini. Recordentur quod dixit Dominus Apostolis, qui prohibebant alios dæmonia eiicere in nomine IESV, Qui non est aduersum vos pro vobis est. Mar. 9. & illud Apostoli: siue per occasionem, siue per bonam voluntatem, Christus annuncietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. Philip. 1. subeat & inconsulta Iosue æmulatio pro Moyse, cum monuit eum, vt duos illos prophetare in castris prohiberet. Cui Moyses dixit: Quid æmularis pro me? quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum? Num. 11. Si bene Sanctorum in Schola horum Magistrorum didicissent, scirent profecto Societatem foueri debere: eique fouendo obsequium præstari Deo. Ceterum nolo hæc viros Societatis commoueant: nolo quidquam eorum intepescat ardor. Sustinuit semper Ecclesia, electique eius hoc bellum, non à Tyrannis modo, & confessis Christianæ religionis hostibus, sed ab ijs quoque, qui sanctitatem profitebantur. Proinde teneant locum suum, neque hæc exagitatio, quamuis ab hominibus Religiosis orta videatur, perturbet. Plura dicerem, si per otium liceret. Quanquam scio à Deo exercitatis hominibus nihil esse opus exhortatione mea. Dominus noster in gratia sua te conseruet. Oliuarij V. Kalendas Iunij anno Domini 1558. seruus R. V. & filius Episcopus Marinus Nuncius. *Ita Par.2.Hist.Soc.lib.2.n.133.*

1. Cor.3. 3.

Mar.9. 39.

Ad Phil. 1.18.

Num. 11. 29.

Societas contra falsos rumores propugnatur.

5. * A FERDIN. VALDES *Supremo tunc Quæsitore, dein Archiepiscopo Hispalensi, literis ad Cæsaraugustanos Quæsitores*: Quoniam (*inquit*) rumor increbuit hic, alibique Cæsaraugustæ, alijsque in Vrbibus Aragonij Regni aliquos è Societate IESV viros apud Sacræ fidei Quæsitores in vinculis detineri, mendatium, quo pietas, & potestas eorum Ordinis impotentius impetitur ad fraudem, & pernitiem plurimorum, è re esse censuimus in id enixius incumbatis, vt Præsules, ceterosque viros primarios, quos monendos esse censebitis sine strepitu, sed omni data opera moneatis, à veritate alienum omnino, quod vulgus immurmurat Societatis viros nostris carceribus mancipatos, quin imo ij sunt simul omnes, ac eorum singuli, vt tum moribus, tum operibus sibi glorioſi, Deo obsequentes in studio, studioque absolutissimæ sese virtutis exerceant. Datis Vallisol. Pridie Idus Iunij, anno à partu Virg. 1558. *Ita apud Euseb. vit. B. Borg. lib. 2. cap. 31. fol. 172.*

Socij operibus sibi glorioſis, & Deo obsequentes.

De Societatis innocentia testimonium.

AB EODEM: *Qui cum in Hispaniæ Regnis aliqui spargerent Theatinos (ita Societatis homines vocabant) Luthero ipso deteriores; auctoritate publica diluendam infamiam ratus, egregium de pietate Societatis edidit testimonium. Id è falsis rumoribus Deo lucrificante, vt familiæ huius innocentia ad abolendas & præsentis, & præteriti suspiciones temporis, seueriſſimi illius iudicij testificatione tum maximè palam fieret. Ita Par. 2. Hist. Soc. lib 2. n. 124.*

Societas emissa cælitus ad horum temporum ruinas reparandas.

Eius filij Antistitum coadiutores primaque Instrumenta diuinæ gloriæ.

6. A BARTHOL. DE MARTYRIBVS *Archiepiscopo Bracharensi ex generosa S. Dominici familia illustri germine, Præsuleque omnibus Euangelicæ sapientiæ luminibus claro. Is vt primum designatus Antistes est ad Lainium Generalem ita scripsit*: Se multis ab annis sanctæ eius Familiæ summa deuotione & dilectione deuinctum esse: quam proculdubiò crederet cælitus emissam ad horum miserabilium temporum ruinas & calamitates reparandas. Itaque cum primum adactus esset (*vere enim adigendus ex obedientia fuit*) à Præside suo onus Ecclesiæ Bracharensis subire, mentis oculos coniecisse in Patres Sacræ Societatis,

tatis, tanquam in primos Coadiutores suos in opere Domini, primaque instrumenta diuinæ gloriæ in partibus illis egentissimis. Proinde precari ne sibi Pater in hac re velit deesse. Ecclesiam Bracharensem, sicut primatum obtinet in Lusitania, ita latitudine regionis, & innumera multitudine Ecclesiarum Parochialium primam esse : atque adeo quamplurimos populos in summa egestate doctrinæ, & exempli, & ipsum Cleri Ordinem nimium iacere. Aliquot igitur, nimirum decem, aut duodecim, & ad pueros edocendos, & ad conscientiæ nodos explicandos, & ad concionandum attribuat, donec Collegium numeris omnibus pro opibus suis absoluat. *Ita in eadem Par. 2. cit. lib. 4. num.* 150. *Et num.* 151. *additur: His ad Lainium perscriptis Sacerdotes duo, vnum non Sacerdotem à Patribus Lusitanis impetrat, & Bracharam præmittit: Antistes enim Olysippone tunc erat, vbi demum consecratus est, administrationemque sui muneris ad lustrandam Diœceseos partem, quæ propter locorum asperitatem maximè laborabat, inchoaturus comitem secum Ignatium Azebedium, (postea Martyrem inclytum) cum altero Patre duxit: in eaque peregrinatione, ita Ignatius, itemque socius priuatæ virtutis studium, publicæque salutis industriam intelligentissimo probarunt Antistiti, vt vbi Bracharam venit, rem Collegij maturarit, cum ibi nulla vsque tunc admissa esset Religio, ne dum Dominicana.*

Desiderantur ad puerorum educationem, & ad alia munia.

7. AB HISPALENSI *Archiepiscopo, qui præ ceteris laudibus Societatis* Mirari se, *dixit*, quod inter tot ex ea Concionatores tam lubricis temporibus, nemo vnus eorum deprehensus esset, minus orthodoxum quid docere. *Sic Ibid. lib.* 5. *num.*8.

Eorum constantia in orthodoxa fide docenda.

8. A DANIELE BRENDELIO *Archiepiscopo Moguntino: Qui cum affigeretur publice libellus, quo ciues admonebantur, vt cauerent* IESVITAS, *qui per nomen instituendæ iuuentutis ad eam deprauandam venirent, & cum multi è Dynastis, & Canonicorum Concilio nostrum in Vrbem reluctarentur ingressum, aureisque Archiepiscopi assiduè obtunderent, omnibus hoc ille responsi dabat:*

Societatis in Moguntiam ingressum contra oppositores propugnat Archiepis.

Vos non fertis vt quisquam præscribat vobis, ne quos libitum vobis est, ditione vestra recipiatis. Quæ igitur ratio est, præscribere vt vos velitis mihi, ne ditione mea, quos animo meo placet, excipiam. Deinde, vos fertis me, qui tamen agnosco, nec inficior, multis modis meo muneri me deesse; & hos igitur ferte, quos recte suo munere functuros speramus. Postremo quid iniquius est, quam sparsis incerto auctore voculis infestis aurem præbere, cum tam multa læta, ac fausta auditoribus certis audiantur? Aliquid, si potestis, firmum, ac verum proferte, tum viderimus, quid facto sit opus. *Hæc Moguntinus Antistes Ibidem lib. 5. num 177. Et diuina benignitate fauente, & præter omnium opinionem, summa etiam Canonicorum Voluntate tandem exceptum Collegium est.*

Eius laus, & æstimatio.

9. Ab Hieron. Loaysa *ex sacro Prædicatorum Ordine, doctrina, virtuteque nobili, primo Peruuiæ iam tum ante Societatem natam Archiepiscopo. Qui cum eam recentem, vt prorsus incognitam, Peruuiæ aditu arcuisset; iam palam se errore deceptum profitens*, Vehementer (*aiebat*) formidare, ne pœnas Deo, ob eam iniectam moram persolueret. *Quæ præterea de ipsamet Societate, deque vtilitate per eam publicè allata deprædicaret, quia supra modesti scriptoris materiam sunt, nihil est quod scribantur. Ita sachin. Ibid. lib. 4. num. 340.*

Morientis Silicæi de Societate iudicium.

10. A Ioanne Silicæo *Archiepiscopo Toletano, qui licet Societati dum viueret infensissimus, tamen fama erat, eum cum animam ageret, quo tempore incorrupta solent esse iudicia, aperte professum*, Se ad eam diem falsis præoccupatum sermonibus in errore versatum, sique vita maneret longe aliter posthac Societatem habiturum. *Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 2. num. 139.*

Mutat suorum exemplo Ciuitatum mores.

11. A Petro de Castro *Archiep. Granatensi qui non sine magna Societatis commendatione aliquando affirmauit*, Ciuitatis faciem præclaro Sodalium nostrorum exemplo mirum in modum mutatam, prauasque consuetudines in præclara iam pietatis abijsse opera. *Ita in Annal. Soc. ann. 1603 fol. 177.*

12. A Bra-

12. A Bracharensi *Archiepiscopo, Præfecto Ecclesiæ nostræ monente*, Vt nostrorum in Catalogo, qui sacrum maiori in sacello facturi erant, nomen quoque suum adscriberet. *Et cum ad operandum tardius aliquando accessisset, culpæ reum se fassus, veniam supplex postulare non erubuit. Ita Ibid. fol.99.* *Archiep. Bracharensis in Societatem benignitas.*

13. A Ioanne Borgia *Noui Regni Granatensis Archiep. & B. Fran. Borgiæ nepote, vna cum Regio Senatu, à Rege Philippo enixè petente,* Triginta illuc è Nostris mitteret, qui barbariem, inscitiam, Idolorumque cultum penitus insitum ex multarum Nationum animis stirpitus euellant, non aliter ac ipsam Ciuitatem Regni totius Caput Nostri, auspice Deo, ab improuisissima in optimam conuerterunt. *Sic in Annal. Soc. ann. 1606. fol.230.* *Expetitur ad Noui Regni reformationem.*

14. A Leopolitano *Archiepiscopo Polono non semel profitente*, Se si quid in studio pietatis profeciſſet, Societatis institutionibus profeciſſe. *Ita in Annal. Soc. ann. 1596. fol 57.* *Sub eius Institutione in pietate profectus.*

15. A Ivlio Casare Richardo *Archiepiscopo Barensi, Nuncioque Apostolico in Sabaudia, qui summum Pontificem de statu illorum tractuum certiorem faciens, magnam se offerre opportunitatem rei bene gerendæ, dixit*: Si aliquot è Societate viri docti eò proficiscantur, qui manantem in dies latius Caluinianam pestem reprimant, & labentem, aut iam pene collapsam rem Catholicam restituant. *Probauit Pontifex Consilium, octoque in eam expeditionem postulauit. Ita Ibidem fol.769.* *Societas reprimit Caluinianam pestem.* *Et labentem rem Catholicam restituit.*

16. A Gilbert. Genebrardo *Archiepiscopo Aquensi, virоque, ac Scriptore doctissimo lib.4. Chronic. Vbi asserit*, Excitatam à Deo Societatem ad ædificandum, quo tempore Sathanas ad diruendum, socios præclara pro Religione gessisse, quotidieque gerere. *Ita apud Paul. Leonard. Apolog. pro scient. Med. Par 2.n.84.* *Excitata à Deo ad ædificandum quæ Satanas diruit.*

17. A Mathia Hovio *Archiepiscopo Mechlinienſi, Cum in Concilio Mechlinienſi, cui intererant Prouinciales Episcopi, inter cetera decretum esset, vt Catechismus conscriberetur vnus per totam deinceps Prouinciam explicandus, Houius id negotij commisit*

Societati. Illa vero optimi Antistitis desiderio per Ludouicum Makeblidium impigre, cumulateque satisfecit. Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. cap. 3 f. 354. Et postea cap. 6 f. 771. affertur celebre eiusdem Houij testimonium de nostro Catechizandi studio, quod huiusce modi verbis luculenter commendat. Docet tristis experientia per bellorum, & hęresum tempestates præteritas, rurí præsertim, deperditam esse rerum diuinarum, & ad salutem necessariarum cognitionem, maxime in pueris, & iuuenibus hac tempestate natis. Quare pergratum nobis accidit studium Venerandorum Patrum Societatis IESV, quos intelleximus pro suo in animarum salutem zelo, ad pagos, qui tuto accedi possunt, passim excurrere: & rudem populum, ac præsertim iuuentutem, doctrinis ad integritatem fidei, & probitatem morum instituere. Quod vt pium est opus, & hoc tempore, hisque locis pernecessarium, optimis quibusque Pastoribus, & populi Præfectis acceptum esse non dubitamus. Vt autem maior hinc fructus surgat, & plures Deo per dictos Patres lucrifiant, obsecramus in Domino, & nihilominus districte præcipiendo mandamus, omnibus Pastoribus quorumcumque locorum Diæcesis nostræ, ad quos forte dictos Patres venire contigerit, vt ipsos benigne suscipiant, & in suas Ecclesias gratanter admittant, populum, & præsertim iuuentutem ad eosdem audiendos conuocent; & tam ipsi, quam Domini temporales eosdem in hoc pio Officio adiuuent, quandocumque, & quibuscumque poterunt modis.

Testimonium Houij de studio nostrorum in catechizando.

Laudatur Societas in Borgia Generali.

18. * A IOANNE DE RIBERA *Archiepiscopo Valentino ac Patriarcha Antiocheno, literis ad Nuncium Apostolicum, quibus ille commendat electionem B. Borgiæ in Generalem Societatis, cum ingenti vtriusque laude.* Cum (*inquit*) de P. Francisci Borgiæ sanctitate mecum ipse cogitarem, non vulgarem fuisse mihi persuasi, eumque venerari, ac colere quamuis indignus optaui. Sic enim existimabam Deum non sine causa illum tam illustris Ordinis Prępositum Generalem constituisse, eo maxime tempore, quo Societas IESV postquam instituta recens fuisset

Eius pia, & prudens viuendi ratio.

fuisset confirmanda erat, atque in sua tam pia prudentique viuendi ratione stabilienda. Haud enim Christiani pectoris est credere, Deum cum tam vigili prouidentiæ oculo in omnes religiosas familias, quæ sunt veluti quædam publica doctrinæ, & sanctitatis æraria, excubet, has veraſque diuitias, quibus Societas IESV maxime affluit, ei commissurum, qui non eas prudenti, fidelique cura administraturus esset. Nam vt pro certo habere debemus, B.P. Ignatium singulari diuinæ gratiæ munere in publicam mortalium vtilitatem huius Ordinis fundamenta iecisse, ita nefas est dubitare, ad ipsum perficiendum, expoliendumque eadem diuina gratia minime fuisse destitutum, cum vtrumque Dei Opus sit, & postremum hoc maioris momenti ac ponderis, quam primum; vt eiusdem Societatis incrementa testantur. Apte enim de illa dici potest illud Prophetæ, vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam. Plurimum quidem B.P. Ignatius laborauit in huius vitis palmitibus quærendis, at non minoris laboris fuit eam in rebus aduersissimis conseruare, atque ab hostibus, qui in illam vndique veluti facta manu concurrerunt, tueri, atque defendere, dum tam latè radices extenderet, vt totum plane terrarum Orbem impleret, quod certe iam cernimus. Quod si absque Christianæ pietatis, ac prudentiæ iniuria in dubium reuocare non licet sanctitatem eius, qui Ordinem hunc primus instituit, ac veluti genuit, peperitque, nihilo minus certe eximiam eius virtutem, qui illum cum in tenera adhuc ætate esset, educauit, & glorioſissimè auxit, atque amplificauit, &c. *Hæc Archiep. & Patriarcha, Societatis, & Francisci nostri amantissimus literis ad Nuncium datis* 23. *Augusti. ann.* 1608. *ex Hispano idiomate Latine fideliter conuersis.*

Est publicum doctrinæ & sanctitatis Ærarium.

Cuius fundamenta in publicam vtilitatem iecit Ignatius.

Vitis est filiorum palmitibus aucta, Psal.79.9.

Et licet ab hostibus impetita,

Radices per totum orbem extendit.

19. AB STANISLAO CORNEOVIO *Archiep. Gnesnensi, legato nato, Regni Poloniæ Primate, primoque Principe in Epist. ad Baronium, quæ habetur initio 4. Tomi Annal. Vbi probat Societatem contra Lutherum erectam, Equique Troiani instar his verbis.*

Ordo clarissimus.

Contra Lutherum instar Equi Troiani erectus.

Cum Lutherus hæresis suæ virus effundere cæpisset, quo maxima Europæ pars infecta fuit, quodque sectas innumeras inter se admodum dissectas peperit: excitatus fuit clarissimus Societatis IESV Ordo, qui cum alijs pro Ecclesia laborantibus hac pestifera lue mortalium animos liberaret, ex qua plurimi viri Dei spiritu pleni, omnique genere scientiæ, ac doctrinæ instructi tanquam ex Equo Troiano prodierunt. *Hæc ille apud Auendañ o in Epithal. Sacro disser. proæm. n. 74.*

Inuitantur Socij ad scribendum contra Arianos.

Societas in scribendo præclara:

Bellatrix strenua contra hæresim.

Excitata ad id diuinitus in Ecclesia.

AB EODEM (*vel fortè Altero*) *Gnesnensi Archiep. qui non semel ad Rectorem Vienens. ac Prouinc. Austriæ datis literis hortatus est, vt stylum aduersus impietatem Arrianam passim à Polonia reuiuiscentem restringerent, his præter cetera magnificis ad literam verbis*: Nos sane à Societate vestra, quæ hactenus non pauca præclare scripsit, tanquam bellatoribus strenuis, & ad certamen hoc decertandum diuinitus in Ecclesia Catholica excitatis, furorem, ac rabiem insanorum hominum rectius, quam à quoquam alio retundi, ac reprimi posse existimauimus. Itaque Prouinciam illam Ordini vestro, nostro iudicio maximè propriam ad vos deferendam nobis esse statuimus. *Ita Par. 3. Hist. Soc. lib. 1. n. 106.*

Lætitia Archiep. Gnesnensis ob admissũ Collegium Callisiense.

Ad nouos errores confutandos, Ecclesiasticamque disciplinam restaurandam.

AB EOD. STANISLAO: *Qui vbi probatum à P. Generali Collegium Callisiense cognouit, mirus lætitijs exultans, eique gratias perstudiosè agens, inter cetera hæc adscribit.* Nihil mihi hoc tempore gratius, nihil iucundius accidere potuit. Nunc demum enim sperare incipio vberrimos in Archidiœcesi mea fructus tam ad confutandos nouorum dogmatum errores, ab eorumque tenebris plurimos hominum ad veritatis lucem reducendos, quam ad Ecclesiasticam disciplinam, quæ ex suo cursu plurimum recessit, noua ista quasi plantatione restaurandam, atque conseruandam. *Ita Par. 5. Hist. Soc. Tom. 1. lib. 3. num. 64.*

Societas commẽdata in Ignatio Parente.

20. A IOANNE BAPTISTA CORDOBA *Episcopo Vichensi (cuius in Diœcesi Minoressa sita est) & electo Dertudensi, qui Minoressæ in Ecclesia B. Luciæ, antea valetudinario pauperum, vbi* SOCIETA-

CIETATIS IESV *auctor Ignatius pœnitentiæ duxit exordium ad memoriam pœnitentiæ illius sempiternam, & eiusdem* SOCIETATIS *gloriam, lapideam pyramidem præclara cum inscriptione erigendam curauit in hunc modum.* Ignatio de Loyola Bertrandi filio Cantabro, Clericorum SOCIETATIS IESV Parenti: qui anno ætatis suæ trigesimo in arce Pampelonensi cum Gallis acriter pro patriæ defensione pugnauit; & acceptis mortiferis plagis, ijsque singulari Dei ope curatis, incensus desiderio adeundi loca sancta vrbis Ierosolymorum, dedit se in viam voto castitatis obstrictus, & relictis armis, quæ tanquam miles secum portarat, ijsque in æde B. Virginis Montis-serrati suspensis, sacco vestitus, ac penè nudus, cœpit superioris vitæ peccata deflere, & vt nouus Christi miles inedia, lacrymis & oratione semetipsum vlcisci. In memoriam tantæ rei, Deiq; gloriam, honorem, & splendorem SOCIETATIS eius Ioannes Baptista Cordoba Valentinus Episcopus Viehensis, ac Dertudensis electus pro suo in ipsius Patris sanctitatem, atque eius Ordinem amore hunc lapidem hoc in loco collocandum curauit, vt sanctissimo viro, cuique vniuersa Christiana Respublica multum deuincta est. Sixto 5. Rom. Pont. & Catholico Rege Hispaniarum maximo Philippo II. *Sic in vt. S. Ign. Latino græca per P. Georg. Mayr cap. 3. fol. 27.*

Cuius vitæ primordia Minoressæ sculpuntur in marmore.

21. A Bno. CONVERSINO *Electo Britouorienſi, Vicecamerario Almæ Vrbis, eiusque districtus Generali Gubernatore, qui, reclamantibus, strenueq; repugnantibus aduersarijs in primæuam* SOCIETATEM, *perhonorificam de Ignatij, & sociorum Innocentia sententiam tulit, in hæc verba.* Vniuersis, & singulis, ad quos præsentes nostræ litteræ peruenerint, salutem in Domino. Cum Reipublicæ Christianæ multum intersit, vt eos, qui in agro Dominico vitæ exemplo, & doctrina plurimos ædificant in salutem: & item illos qui è conuerso potius superseminare videntur Zizania, publicè notos esse: & nonnulli rumores sparsi essent, & delationes ad nos factæ, de dogmatibus, & conuersatione vitæ, & spiritualibus exercitijs, quæ alijs conferunt,

Sententia Præfecti vrbis de Ignatij, & sociorum innocentia.

ferunt, Venerabilium Virorum, Dominorum Ignatij de Loyola, & ſociorum videlicet Petri Fabri, Claudij Iaij, Paſchaſij Broët, Iacobi Laynez, Franciſci Xauier, Alfonſi Salmeronis, Simonis Roderici, Ioannis Codurij, & Nicolai de Bobadilla Magiſtrorum Pariſienſium, presbyterorum ſæcularium Pampilonenſis, Gebennenſis, Seguntinenſis, Toletanenſis, Viſcenſis, Ebredunenſis, & Palentinenſis reſpectiue Diæceſis. Quæ quidem eorum dogmata, & exercitia, à quibuſdam dicebantur erronea, ſuperſtitioſa, & à Chriſtiana doctrina nonnihil abhorrentia. Nos pro Officij noſtri debito, ac ſpeciali etiam mandato ſanctiſſ. D.N. Papæ, circa hæc diligenter animaduertentes, quę viſa ſunt ad pleniorem cauſæ cognitionem opportuna inquiſiuimus, ſi forte de quibus prædicti culpabantur, vera eſſe deprehenderemus. Quocirca examinatis primum quibuſdam oblocutoribus contra ipſos, & conſideratis partim publicis teſtimonijs, partim ſententijs de Hiſpania, Pariſijs, Venetijs, Vicentia, Bononia, Ferraria, & Senis, quæ in prædictorum Venerabilium Virorum Dominorum Ignatij, & ſociorum fauorem aduerſus eorum criminatores prolatæ fuerunt: & adhæc examinatis iudicialiter nonnullis teſtibus, & moribus, & doctrina, & dignitate omni exceptione maioribus tandem omnem murmurationem, & oblocutionem & rumores contra eos ſparſos, nulla veritate ſubnixos fuiſſe comperimus. Quamobrem noſtrarum eſſe partium iudicamus pronunciare, & declarare, ſicut pronunciamus, & declaramus prædictum D Ignatium, & ſocios ex prædictis delationibus, & ſuſurris non ſolum nullam infamiæ notam, ſiue de iure, ſiue de facto incurriſſe; verum potius maiorem vitæ, atque doctrinæ ſanæ claritatem retuliſſe: cum certe videremus aduerſarios vana & penitus à veritate aliena obieciſſe, & contra, optimos viros, optimum pro illis exhibuiſſe teſtimonium. *Ita Par. 1. Hiſt. Soc. lib. 2. num. 52.*

22. A PHI-

Eximius Archinti amor erga Societatem.

22. A PHILIPPO ARCHINTO *Salassiorum Episcopo, & Almæ Vrbis Vicario, ad quem cum Ioannes de Vega Siciliæ iam Prorex in Ignatij, Societatisque commendationem scripsisset, sic ipse rescripsit* : Pergratum quidem sibi fuisse commendationis Officium; sed ita si suum vicissim, cum commendaret Ignatium, & eius familiam, pari animi affectu, voluntateque susciperet; venia insuper postulata, si cum eo de Societatis amore certaret. *Sic Ibid. lib. 7. n. 1.*

Turriani Episcopi Exercitiorũ libelli commendatio.

23. A BARTHOL. TORRES *Episcopo Canariensi cuius aurea est de Exercitiorum libello sententia, & de Societate opinio, & existimatio.* Testis (*inquit*) est Deus, quam ex voluntate mea acciderit, vt de Societatis IESV Exercitijs sententia mea postularetur. Cupio enim simpliciter, & Christiane quid in hac re sentiam, palam facere toti orbi terrarum. Ac primum ne quis existimet ex priuato me quopiam affectu loqui, aio me hominem de Societate IESV non esse: quanquam si serio essem virtutis cupidus, dudum in ea, vel in alia sanctarum Religionum versarer. Aio deinde, quamuis Doctorum è numero ipse sim indoctissimus, posse me tamen satis interrogationi propositæ respondere; cum & Societatem ab eius exortu nouerim, & pridem Salmanticæ cum Ignatio, deinde cum eius disciplinæ alumnis perfamiliariter egerim, diligenter obseruans, quo res Ordinis huius euaderent, oculis assiduè ipsa in facta coniectis, quæ minime patiuntur diuturnam fieri fallaciam. Aio præterea, ex qua die sanctam hanc Societatem noui, nullum vnquam errorem, crimenque compertum in hominibus, qui quidem verè ex ea essent. Nam rerum imperiti, vbi de Sacerdote quopiam forte rumor minus commodus exiit, de Societate esse eum loquuntur. Super hæc, nego quempiam verè ac perfectè exercitiorum posse vim existimare, nisi in ijs se ipse exerceat. Etenim cum tota referantur, ad inserendas virtutes in animis, & vitia extirpanda, nemo est, qui possit virtutis percipere vim gustumque sentire, nisi in ea prius elaboret. Vidi ipsemet homines doctos, qui Exercitio-

Ad quorum rectam intelligentiã necessarius eorũ vsus.

citiorum res, cum tam claræ, Catholicæque sint, ex Euangelio depromptæ, sanctisque Doctoribus, intelligere non possent; quas tamen, qui eas ad vsum referunt, negotio nullo intelligunt. Nimirum longe aliud est, scire literas, ac res percipere spiritus, quæ præter literas actionem, orationisque vsum, ac virtutum postulant ceterarum. Me quidem profiteor Compluti ad eam formam exercitum, ac Deum testor, triginta annis, quibus versor in studijs sapientiæ, & permultis, quibus Theologiam doceo, nunquam ad meam vtilitatem didicisse tantum, quantum me exercitia diebus paucis docuerunt. Quod si cuipiam Doctorum, cui sua placeat scientia, mirum fortasse accidat, experimentum appello; tentet idem, atque existimabit idem. Neque in obscuro est ratio quod priora videlicet studia ad docendum, exercitia vero ad agendum referebam: valdeque interest scire, vt doceas, ac scire, vt facias. Addo cognitos mihi permultos, qui exercitationes illas susceperе, multisque me meorum auditorum cum Religiosis, tum sæcularibus persuasisse, vt susciperent, nec tamen cognitum quempiam, qui non pietatis magnum inde profectum retulerit, palamque prædicaret nihil omnino è mortalibus rebus se voluisse ijs antelatum. Atque vtinam quanti est ille thesaurus, tanti æstimare nossemus. Nam cum tanti sit momenti oratio ac meditatio, propter rationem, ac viam, quæ commodissima ibi traditur, multi per ea plus breui consequuntur, quam longo alij tempore ac labore, eo præsidio destituti. In summa, qui cupiat nosse, quid exercitia sint, pronuncio, aliud nihil esse, quam considerare attento, & quieto animo capita fidei, legem, ac præcepta Dei, eiusdemque beneficia, vitam, & mortem Christi: recognoscere anteactam vitam, statuere de futura. Hostem vero gentis humanæ, cum videat ingentia eorum ad pietatem emolumenta, machinas admouere omnes, vt è rerum natura tollat. Verum vel inde apparet negotium esse diuinum, quod infectationibus proficit: quantoque acrius oppugnatur, tanto fortius

Omnes qui experti sunt, laudant Exercitia.

Quid illa sint!

fortius conualescit. Simulque pronuncio Exercitia, quæque in eis continentur vniuersa & singula, auctoritate Apostolica comprobata esse, adhortante insuper Pontifice fideles, vt ijs vtantur, planeq; indignum esse viro sapiente affirmare Pontificem id comprobare, & ad id adhortari fideles, quod errores contineat. Nec dubito, quin si homines Societatis, quibus pro Christi amore gratiæ sunt ignominiæ, ad Sacrum Quæsitorum Consilium aduersariorum referrent nomina in eos seuere animaduerteretur. Ceterum cum Sedes Apostolica Exercitia comprobarit; aio, ac pronuncio nemini fas esse, asserere in ijs errores esse, neque id agere, vt emendentur. Verum si quid forte (quod tamen non est) difficile deprehenderetur, id modo curandum, vt declaretur. Omnia ergo quæ in ijs sunt, vera & Catholica sunt: & contraria ijs, errores. Quæ vero obiiciuntur, vt alio in loco singillatim refutans ostendo, plane inania, multa etiam ridicula esse confirmo. *Hæc Torres, & alia multa, præsertim de hominibus in Societate doctis, fructuque per eam in Hispania, ac ceteris terrarum orbis parto, cum disputasset*: Illud (*inquit*) postquam nomen meum huic disputationi subscripseram, mihi succurrit. Qui se deprehendisse in Exercitijs errores dictitant, sine dubio diligentiam in ijs expendendis adhibuere, at non minorem adhibuit Pontifex. At isti condemnant, Pontifex commendat. Respondeant ipsimet, vtrius auctoritatem me deceat sequi? Hæc ratio mea, *inquit*, sententia quemuis, qui modo sapiat, cohibere potest, ne posthac nisi ad commendationem libelli huius verbum audeat facere. *Hucusque ille in Eadem Par.* 1. *Hist. Soc. lib.* 13. *à n.* 34.

Nefas est asserere, in eis quidquam erroris esse.

Quia commendantur à Pontifice.

AB EODEM TVRRIANO; *Ille vir, doctrina nescio, an Sanctitate maior, qui vt primum Canariensis Episcopus nominatus est, litteras ad Borgiam Generalem tales dedit.* Aueo vehementer, maxime venerabilis Pater, ne ignores, te à me deamari. Ita enim res habet. Nemo omnium est, in quem magis affectus sim, cui plus cupiam, tribuamque. Cæterum tempus

Literæ Turriani ad Borgiam.

In quibus Sociorum opem ad Canariam postulat.

incidit mihi permoleſtum: in quo conſolationem & opem expeto ab Sancta SOCIETATE, quam ſuauiſſime ſemper dilexi. Res autem aſperæ ſunt, in quibus neceſſe eſt ad amicos confugias, eos maximè, quorum beneuolentia vno nixa eſt Chriſto IESV. Vere affirmo tibi, Pater, nunquam auſum me deliberata ſententia Epiſcopatum optare, quamuis, vt hominem inanem, tentamenta eiuſmodi & me vellicarent: quæ propitio Chriſto, perinde vt fæda irritamenta, repuli. Sed tamen ita factum eſt, vt Philippus Rex noſter ac Dominus Canarienſem mihi Eccleſiam imponeret. Aſſenſum ego complures dies ſuſtinui, dum venerarer Deum, vt vtra pars honeſtior illi, & glorioſior futura eſſet, in eam inclinaret cor meum. In quo ſanè indulgenter accepit me, & in ſummâ quadam animi æquabilitate conſtituit. At poſtremus timens, ac tremens ceruicem ſuppoſui, orans Chriſtum Ieſum, vt ea ſuſceptio fieret mihi materia laudandi eum, & ipſius crucem ſequendi in ſancta Canarienſi Eccleſia. Illuc adire ſine SOCIETATIS præſidio equidem nunquam auſim. Certum quippe habeo, amplius vnum ex ea Sacerdotem, quam triginta qualis ego ſum, Epiſcopos profuturum. Ingens meſſis eſt, & ingens ad legendam apparatus. Siquidem Prætor, Iudices Quæſitores, qui recens decreti ſunt, mecum omnes amore ſunt coniunctiſſimi. Mihi autem decretum eſt, SOCIETATIS Patres in oculis ſemper ferre: quæque ad humanos vſus pertinebunt, in me procurationem recipio. Quin & duces mihi eos, rectoreſque in rebus omnibus deſtinaui. Quod niſi præſtem; tum me omnino vanum habeto. Accedit quod & earum apud Regem procuratores Inſularum idipſum ex me inſtiterunt, SOCIETATEM vt eò ducam. Itaque, Pater, intelligis, vbi Ordinum ſimul laici, ſacrique conſpiret gratia, & præeat Antiſtes; non poſſe non centeſimam redire frugem. Equidem ſic arbitror, me Canariæ Epiſcopum ab vna SOCIETATE factum: non ſtudio apud homines, ſed meritis apud Deum. Qui quamuis vitia in me innume-

Sine quorum præſidio illuc adire non audet.

Quantum vnus è Societate profit?

Socios ſibi duces ac Rectores deſtinat Turrianus.

innumerabilia viderit, quæ solus emendare ipse potest; tamen & amorem videns, quem mihi erga SOCIETATEM idem ipse indidisset; voluit eo loco statuere, vel vile adminiculum, per quod gradum illa inde in cunctas Occidentis Indias faciat. Ergo per affixum Cruci Christum IESVM, obsecro te, summè Venerande Pater, ne me indignum hoc beneficio ducas, ne miserrimus hominum viuam. Quin ita censeo nequaquam id mihi negari fas esse, quin sancto Spiritui repugnetur. Sacerdotes quinque, duos adiutores eorum velim. Ac precor istos Patres, Fratresque Dominos meos apud Deum agant, suam mihi vt opem ad ministerium tam grande largiatur: ac nominatim supplicent tuam mentem ad vota inflectat mea. Nihil euenire mihi infelicius, nihil nunciari tristius posset, quam has abs te preces repudiari: iterumque affirmo talem repulsam aduersus sanctum Spiritum fore: qui Tuæ Paternitati bonus inspiret, nosque omnes efficiat seruos suos, atque perdoceat omnia, præter Iesum, vel quod propter Iesum sit, nihil esse. *Ita Præsul benignissime. Par. 3. Hist. Soc. lib. 3. num. 204. Et postea num. 209. Morbus & mors Optimi Episcopi describitur. Et ad finem additur. Non vnum, sed multa Societati Collegia meditabatur: & in eam rem quam optimo iure potuit, donatione, ac testamento rerum suarum pleraque destinauit.*

Quos ardentissime postulat.

Quod si repellatur, repulsam fieri Spiritui Sancto affirmat.

24. A GREG. VIRNEBVRGIO *Episcopo Azotensi, qui dum maxime turbas Hæreticus rabula aduersus Treuirensis Collegij principia excitaret, populum è loco superiore, & in cunctis conuentibus adhortari ad constantiam non cessabat admonens, vt bono animo esset, quod effusus in ea Vrbe sanctorum Martyrum sanguis coram diuino conspectu ciuibus opem suis implorans clamaret.* Quin etiam propediem affore pollicebatur, viros qui fidem, religionemque illam prædicarent, quam ad eos Princeps Apostolorum Petrus per SS. Eucherium, Valerium, & Maternum transmisit. *Ergo is iam homines Societatis monstrans, hæc verba (vti scribit P. Euerardus) præ lætitia animi prope cantitans*

Societatis aduentus ab Episcopo Azotensi prædictus.

tans vsurpabat passim. En hi sunt quos aliquando dixi vobis venturos. *Id coniecturane, an diuino tactus spiritu ante prædiceret, non equidem affirmarim. Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 4. num* 104.

Eadem à Virdunensi desideratur.

25. A NICOLAO PSALMÆO *Episcopo, & Comite Virdunensi, qui eò impatientius flagitabat Virdunensis Collegij inchoationem, quod specimen fructus iam manibus tenebat è Scholis, quas accitos Colonia Sociorum quosdam, in condito abs se paucis ante annis Collegio habere iusserat. Cognouerat rationem Ordinis nostri, & dilexerat in Concilio Tridentino: perspexerat postea inter viam Ingolstadij præsertim, obseruaratque instituendæ iuuentutis formam, atque felicitatem. Itaque domum reuerso nulla prior, ac potior cura inerat, quam vt tale munimentum gregi suo, tum maxime ob temporum iniquitatem periclitanti, lupisque Vallato circumdaret. Inchoatum igitur, & receptum Virdunense Collegium. Ita Par. 3. Hist. Soc. lib. 1. n. 86. Et postea Ibidem lib. 7. nu* 82. *dicitur, pestilentiæ occasione dissipatum, & tandem restitutum ab eodem Antistite Nicolao: qui cum Parisios eam ob rem veniisset, testificans (quod & in tabulis fundationis apposuit)* Carendo potuisse cognosci, quam necessarium esset, *&c. Et cum totus esset (additur n.* 85.) *in renouando Templo S. Nicolai instruendoque Collegio, & benignitate vijs omnibus promerenda in Patres; die eiusdem S. Nicolai, quo primum die in Templo instaurato salutis immolata est victima, non solum prandium ijs, quale indulgentiam eius decebat, misit; sed ipsemet cum familia sua in Collegium venit, & prandentibus ministrauit ab exordio ad finem, repræsentans eam Domini reuertentis à nuptijs erga vigiles seruos benignitatem, de quo scriptum legimus Luc.* 12. Præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. *Dei famuli nulla ratione potuerunt euincere, ne modestiam suam hoc rubore perfunderet. Ita ibi.*

Quam sit necessaria, carendo noscitur.

Summa Virdunensis Episcopi in Societatem benignitas.

Literæ perhonorificæ pro Vilnensi Collegio stabiliendo.

26. A VALERIANO *Vilnensi Episcopo, ex Vrbe Vilna magni Lithuaniæ Ducatus Principe: qui pro Collegio Societatis ibi stabiliendo ad Cardinalem Hosium sequentes literas dedit.* Illustrissime, ac R^me. in Christo Pater, ac Domine. Partim Officij

mei

mei memor, quo Ecclesiæ Christi & me ipsum, & omnia mea debeo, partim illius sanctissimi, & saluberrimi Consilij haud oblitus, quo me Illustrissima, & R^ma. Paternitas vestra, pro sua in me singulari beneuolentia, amicissime dignata est commonere, vt sanctis, & pijs vestigijs vestris insistens, omnem meam operam darem, quo Fratribus Societatis IESV Vilnæ aliquod certum domicilium quamprimum posset constitui: ostendens breui tempore futurum, vt res Christiana quæ his temporibus infelicissimis in hoc magno Ducatu Lithuaniæ admodum vehementer nutat Hæresibus in dies alijs, atque alijs pullulascentibus, eorum opera Deo optimo aspirante, in tranquilliorem statum posset redigi: & si is non sum Ill^me. ac R^me. Antistes, qui me tantis angustijs circumcluſum amplitudinem, & maiestatem clarorum gestorum, & factorum R^mæ. Paternitatis Vestræ, quibus iam pene toti orbi inclaruit, sperem, vel saltem aliquam similitudinem posse assequi; tamen dictis causis permotus pro ea rerum mearum tenuitate, in quam sum militum, & Hæreticorum maximis iniurijs redactus, quod potui præstiti. Emi igitur inprimis domum cæmentitiam olim Dominorum Lassinski cum alijs multis commodis Collegio piorum istorum, & doctorum virorum satis aptam, tum vel eo maximè, quod eò loci sita est, vt & Episcopi Vilnensis Curiæ sit valde vicina, & ab omni strepitu Opificum longe semota. Habeo iam & prædium ære meo ibidem emptum, vnde singulis annis centeni aliquot floreni Polonici in eorum necessaria redire potuerint. Nunc illud mihi restare videtur, vt Illma. & R^ma. Paternitas Vestra pro suo in me valde propenso animo vnum atque alterum virum prudentem ex hac SOCIETATE Bransbergensi dignetur ad me Vilnam mittere. Et quia sic afflictæ sum valetudinis, vt in dies impendentia pericula timeam, cuperem tales mihi mitti, qui ad capessendam possessionem istorum bonorum omnium essent apti ac idonei: vt eos statim Dominos, & hæredes eorum omnium constituerem. Quod vt Ill^mam. & R^mam. Paternita-

Ad pullulantium hæresum remedium.

Ad quod aliqui è Societate in Vilnam expetuntur.

ternitatem Vestram pro sua in Ecclesiam Christi vigilantia, facturam non dubito; sic ego præter hoc, quod tot, & tantorum beneficiorum semper sum futurus gratus, etiam Deum Optimum Maximum continuis votis sedulo orabo, vt illam ad suæ Ecclesiæ sanctæ incrementum & augmentum in multos annos seruet saluam, & incolumem. Cætera ex eo, qui has perfert litteras, facile cognosces. Valere Ill^mam. ac R^mam. Paternitatem Vestram diutissimè felicissimèque percupio. Vilnæ ex curia mea Episcopali 20. die Augusti anno Domini 1568. *Hæc in eadem Par. 3. Hist. Societ. lib. 4. num.* 180.

Aliæ litteræ eiusd. Anti. in Societatis commẽdationem.

Quæ veneranda, ac celebris proclamatur.

Et diuitem omnium disciplinarũ Scholam aperit.

Ad depellendas ab ouili Christi grassantes hæresum pestes.

Expetuntur aliqui socij ad Vilnense Collegium.

Ab Eodem *Epistolæ altera ad Patres Bransbergenses.* Cum pro meo, *inquit*, Pastorali Officio subinde mecum cogitarem Reuerendi Patres, quibus modis res Ecclesiastica in hoc magno Ducatu Lithuaniæ ob infinitas fere hæreses valde labascens, possit quoquomodo erigi, & attolli, venit mihi in mentem, Deo sic procul dubio volente, Veneranda hæc, & celebris Societas vestra. Quæ cum pro suo instituto, & eam rationem vitæ sit amplexa, vt & verbis facta valde cohæreant, & omnium disciplinarum optimarum tam diuitem Scholam aperiat, vt ex ea, tanquam illo diuite cornu, quilibet in vsum suum necessaria facile queat depromere; in eam spem sum adductus, vt credam his vestris sanctissimis armis, quibus vos audio satis abunde esse instructos, omnes has pestes grassantes ab ouili mihi à Christo commisso depelli posse. Quo vero hoc per vos Christi operarios strenuos commodius agi possit: primò domicilium satis commodum vestro instituto iam curaui: deinde & prædium, vnde necessaria Societati vestræ non aspernanda esse potuerint. Verum, vt de his, quæ sunt iam parata, & de cæteris, quibus opus adhuc esset, tanto melius & certius possit constitui. R^das. Paternitates vestras obnixe peto, vt pro vestro in Ecclesiam Christi zelo sancto, vnum atque alterum virum doctum ex Collegio vestro ad me Vilnam ad certum tempus quàmprimum mittere dignentur:

tur: qui quasi prodromi vna mecum omnia ea præparent, quæcumque ad professionem SOCIETATIS vestræ videbuntur requiri: simulque eorum bonorum, quæ iam sunt parata possessionem capiant. Quod, vt vos, pro vestro in Ecclesiam Christi amore, facturos non dubito; sic ego dabo omnem operam, vt & hi viri boni, quos mittetis, satis abunde habeant omnia: & de reliquis ex eorum Consilio sic constituam, vt Venerabili SOCIETATI vestræ satis commodum domicilium hîc figi possit. De qua re etiam ad Ill^mum. Dominum Cardinalem Episcopum Varmiensem scripsi, Dominum meum obseruandum. Qui etiam pro sua in me beneuolentia, non dedignabitur quod possit huic rei vsui esse, in commune consulere. De reliquis meus hic famulus, qui R^dis. Paternitatibus vestris has litteras reddet, vobiscum aget. Valere vos diutissimè, felicissimèque percupio. Vilnæ ex nostra Curia Episcopali 20. die Augusti anno Domini 1568. *Sic Ibidem n.* 181.

AB EODEM: *Cuius vt in conspectu religiosa cohors Vilnam venit (& Pontificali fulgens amictu, aurea circum collum fluente torque, circumstante Canonicorum, & virorum nobilium præclara corona, compositus ad maiestatem in sella constiterat) incredibilis gratulatio, atque vberes fuerunt lacrymæ. Magius noster ornandam etiam verbis magnificam Antistitis Valeriani pietatem, & SOCIETATIS in eum obseruantiam ratus, grauissimam habuit Orationem. quæ videri potest Ibidem lib. 6. n. 117. & postea n. 119. dicitur. Talia differente Magio, Venerabilis senex, graui suauitate vultus, & decoris lacrymis approbabat. Et vbi ille conticuit, haud item sine lacrymis respondit;* gratias agens Deo, qui iam se proxime ad finem votorum suorum perduxisset: sæpiusque confirmans, nunc demum sperare se gregi suo bene consultum fore, nunc vineam Vilnensem, situ squallidam, vepribus horrentem, & ab Syluestri apro deuastatam redintegrandam, & in eam speciem excultum iri, vt nulli pulcherrimarum cederet. *Tum paterna indulgentia cunctos prandio excepit, eorum se spectaculo pascens:*

Vilnensis Episcopi latitia in aduentu Societatis.

Perhonorificè excepta à Vilnensibus.

Quia vineam vepribus horrentem in talem speciem, vt nulli cederet, excultura.

pascens: Sacram illam coronam, quasi filios, quasique nouellas oliuarum in circuitu mensæ suæ contemplans, breui fructiferas in Domo Domini futuras oliuas.

27. A DOMINICO BOLLANO *Episcopo Brixiensi, Duce, Marchione, & Comite, litteris de Collegij Brixiensis innocentia, vniuersis & singulis eas inspecturis.* Cum autem (*inquit*) aliquot annos nonnulli probatæ vitæ, & doctrinæ Sacerdotes, propria pietate & Christianæ religionis zelo commoti, in hac Vrbe conueniissent, & quoddam Clericorum veluti Seminarium & Collegium nostra primùm auctoritate, nec non Sedis Apostolicæ postmodum approbatione accedente, in Ecclesia D. Antonij, à Gubernatoribus maioris Hospitalis huius Vrbis illis concessa, instituissent, magna cum piorum hominum ædificatione simul viuentes, & sua in commune conferentes, ac bonorum morum, & doctrinæ informationi in ciuitate, & diœcesi nostra, cum multorum fructu incumbentes, diuinaque fideliter administrantes: nec non prædicto Hospitali benè, & diligenter in spiritualibus inseruientes, vt à pluribus eiusdem Hospitalis Gubernatoribus certa relatione percepimus. Ij omnes partim Sacerdotes, partim inferiorum Ordinum Ministri, superioribus diebus cupientes in Domino certiorem bene viuendi regulam, & perfectiorem religionis statum nanciscì: magno ipsorum omnium consensu, & nostro cum gaudio, piæ IESV SOCIETATI, ac Religioni se iunxerunt, atque in eius Generalis Præpositi obedientiam, Domino, vt credimus, inspirante, se dederunt. Quo tempore antiquus humanæ salutis hostis fortasse prospiciens ex huiusmodi suscepto instituto vberiorem animarum fructum in hac Vrbe prouenturum, maiores & ipse insidias præparauit: ac, vt est ab initio calumniator, incertas quasdam in nonnullos ex prædictis Sacerdotibus voces excitauit, quæ multorum animos commouentes, nobiles aliquot huius Vrbis viros præfati hospitalis Gubernatores induxerunt, ad se diligentius de illorum vita informandum. Quæ res non tam aduersus duos,

Litera Bollani Episc. de Brixiensis Collegij innocentia.

Vt fructum ex Societate sequendum impediat, maiores insidias præparat Dæmon.

aut

aut tres (tōt quippe erant ad quos res tota ſpectabat) quam aduerſus præfatum Collegium, materiam multis præbuit obloquendi. Quod quidem Collegium cum paucis ante diebus Societati IESV vnitum eſſet, vt dictum eſt, inde arripuit diabolus occaſionem huius tam ſanctæ Religionis nomen in multis Chriſtiani orbis partibus, prout multorum literis didicimus, inuadendi, falſiſque criminibus non ſine ſcandalo, & animarum iactura impetendi. Quod nos ſummo cum cordis dolore cernentes, vt huiuſmodi Satanæ inſidias detegeremus, prædictas informationes, prout apud ipſos dicti Hoſpitalis Gubernatores, velut pro negotio ſuo priuatim inquirentes, abſque vllo prædictorum ſacerdotum interuentu ſcriptæ fuerant, nobis tradi fecimus, eaſque legimus quanta potuimus diligentia perquirentes, ſi quid eſſet tandem quod ſaltem ad legitime aduerſus aliquem de prædictis ſacerdotibus procedendum iure mouere nos poſſet. Quale nihil cum inueniſſemus, ne falſis rumoribus ſeruorum Dei fama periclitetur, neue puſilli ſcandalum patiantur de prædictis omnibus, & dictorum fratrum noſtrorum, & Conſacerdotum innocenti, & immaculata vita, totiuſque prædicti Collegij, nunc primum Societati IESV vniti integritate, quam nos iam diu nouimus, fidem facere decreuimus, facimuſque præſentibus literis ſubſcriptione, ſigilloque noſtro communitis. Sic illos Deus in ſuo ſancto ſeruitio confirmet, & roboret: præſertim vero ipſam IESV Societatem, toto corde, & totis charitatis viſceribus amplexamur, non minimum huic gregi noſtro commodum, quorumdam eius ſacerdotum opera acceſſiſſe videntes: qua & nos, maiorem ex ea in dies fructum ſperantes in lectionibus, & prædicationibus, quibus noſter hic populus frequens intereſt, libentiſſime vtimur. Datum Brixiæ in noſtro Epiſcopali Palatio die 21. Iunij. anno 1568. *Ita in eadem Par. 3. Hiſtor. Societ. lib. 5. num. 76.*

Societas ignorantiæ tenebras illuminans.

28. A GAVINO MANCONI *Episcopo Alensi in Sardinia ser. in Canonizat. S. Ignatij fol. mihi 60. vocante Societatem*, Religionem ignorantiæ tenebras illuminantem. *Et fol.64.* Singulariſſimam: *& fol.65.* Præclaram, doctiſſimam, prudentiſſimam, nobiliſſimam exemplo, virtute, literis: *& fol. 68.* Electam à Deo, & IESV.

Præclara virtute, literis, & exemplis.

Eius filij Apoſtolis quam ſimillimi.

29. AB ANTISTITE ÆTHIOPIÆ: *Qui viſis inibi Societatis Hominibus dicebat*, ſe affirmare id certo poſſe, vidiſſe ſe viros Apoſtolis quam ſimillimos, qui ea ſolum quærerent, quæ Dei ſunt, non quæ hominum, aut quæ ſua. *Ita in Imag.1. ſæc. Societ. lib. 5. cap.12. fol.681. Ex Annalibus Æthiopiæ ann.* 1607.

Ridicula Hæreticorum in noſtros calumnia.

30. A SECCOVIENSI: *Dum haberetur Græcij Prouincialis Styriæ conuentus, agereturque à Noſtris de ſtabiliendo, & corroborando Societatis Collegio, ab Hæreticis vehementer certatum, qui niſi inde* IESVITÆ *pellantur, negant in bellum Turcicum ſe pecuniam collaturos, nec quidquam attulere, quod criminis ſpeciem haberet, ſed id dumtaxat vniuerſe: Nullam ſe bonam fortunam poſt eorum aduentum expertos: imo ob receptos eos, apparere, & Deum, & Turcas iratos. Quæ cum dicerentur non deſuit, qui inepto ioco, ſeu per ſocordiam diceret id factu optimum fore, ſi Ieſuitæ ipſi mitterentur ad Turcas. Quo loco Seccouienſis Epiſcopus ſtultum dictum irridens:* Profecto (*inquit*) Domini Prouinciales non bene ſibi conſulunt hoc modo. Nam ſi Ieſuitæ, qui ſunt viri mirabiles, & plurimum valent ad homines conuertendos mittantur ad Turcam, nihil habebitis certius, quàm fore, vt conuertant eum ad fidem Papiſticam. Quod ſi fiat, malum capitibus veſtris. Idcirco magis expedit vobis, vt veſtros verbi Miniſtros ad eum mittatis, qui perſuadeant illi Lutheraniſmum veſtrum: atque tum vobis Turca erit clementior, & vobiſcum contra Ieſuitas pugnabit. *Quæ in tempore dicta, cumque multorum riſu excepta, aduerſarijs pudore ſuffuſis, quauis ſeuera oratione grauius calumnias diluére: vt iam ipſoſmet pigeret, puderetque incepti. Ita Par.4. Hiſt. Soc lib.3.num.* 111.& 112.

Acute redarguta à Seccouienſi Epiſcopo.

Viri mirabiles Ieſuitæ ad homines conuertendos.

Vel ipſum Turcam.

31. A

31. A PADERBONENSI *Antistite ex Prouincia Rhenana existimante*, Ex nostro Collegio quasi ex quodam Reipublicæ Seminario piorum, & eruditorum virorum examina proditura, qui sincera imbuti doctrina Ecclesiæ ruinas restituant. *Ita in Liter. annuis Soc. ann.* 1596. *fol.* 275. *Societatis Collegia Reip. Seminaria ad Ecclesiæ ruinas restituendas.*

32. A QVITENSI *In Peruuio, diploma Regium impetrante, ne aut ipsius obitu, aut vlla rerum commutatione, vel Capitulo, vel ei, qui sibi successisset, quidquam immutare liceret eorum, quæ ad Seminarij regimen cum Societate transegerat. Et quidem nihil sibi opportunius accidisse existimabat ad dicti Seminarij vtilitatem, quam Societatem illius administrationi præfuisse. Sic Ibid. fol.* 895. *Quitensis Episcopi de Societate existimatio.*

33. A BELGICIS *Antistitibus asserentibus, & planè fatentibus*, Seminarium Religionum Societatis Scholis contineri. *Elogium breue, sed grande admodum. Ita in liter. Annuis Soc. ann.* 1600. *fol.* 519. *Eius Scholæ Religionum seminaria.*

34. A VENSIENSI, *Tanti vel Societatis Sodalitates æstimante, vt diceret:* Plus se gloriari, quod scriptum nomen Sodalitati nostræ haberet, quàm Mithra sua, & Episcopatu. *Ita in liter. annuis Soc. ann.* 1602. *fol.* 318. *Et Sodalitatibus inscribi insula gloriosius.*

35. AB AVGVST. BARBOSA *Episcopo Vgentino Scriptore Lusitano vbique gentium Iurisconsulto celeberrimo*: In Hæreticis (*inquit*) & infidelibus ad Catholicam fidem reducendis, & maximè in remotissimis regionibus, plurimum, & laudabiliter elaborarunt strenuissimi huius Sanctæ Societatis milites. *Hæc in sum. decission. Apostol. Collectan.* 169. *num.* 23. *Socij in Hæreticis & infidelibus reducendis milites strenuissimi.*

36. A SECCOVIENSI, *Pro concione non semel dicente*, quam vtile futurum Ciuitati Plagenfurtensi, si in ea Societatis Collegium exigeretur pro iuuentutis institutione, quam felices cuiuscumque conditionis personæ, dum in suis necessitatibus Nostrorum consilio, auxilioque frui liceret: qui nullo facto discrimine, in captiuos, pauperes, ægrotos, quæcumque charitatis opera, tam benigne soleant exercere. *Ita in* *Societas vtilis Reip. ad iuuentutis institutionem.* *Et ad omnia charitatis opera.*

Annal. Soc. ann. 1604. fol. 545. Et postea fol. 547. additur de Eodem Antistite, quod quamuis ille nostrorum aduentum multum desudarit in concionibus habendis, tamen vel vno præsente, nullis precibus potuit adigi, vt Cathedram conscenderet, affirmans, se vbique locorum hoc muneris Societati semper detulisse, ac deferre velle, quin etiam, si esset in conscensu cathedræ, tamen audiens ex nostris adesse Concionatorem, se paratum fore loco cedere. *O ingens Societatis æstimatio?*

In concionandi munere prælata à Pastore.

37. A FERDINANDO TREJO. *Franciscano Episcopo Tucumanensi, qui Concione ad Templum aduocata, multis Vrbis iacturis enumeratis,* Nullam, *dixit,* adeo grauem ciuitati (*videlicet S. Iacobi del Estero eius Cathedrali*) posse contingere, nec quam ipse magis pertimesceret, quam si Nostri, vt ipse subodorabatur, Vrbem desererent. *Sic Ibidem fol. 278. & in Annal. eiusd. Soc. ann. 1606. fol. 223. additur, Eumdem Antistitem pallam asseruisse,* Si Societas Prouincias illas desereret, illico se suo Pontificio munere abdicaturum. *Tanti fecit Illustriss. hic Præsul Societatem nostram, ac præcipue Prouinciam hanc, in qua hæc scribimus: quin corpus suum in nostro Cordubensi Templo humari voluit, vt quem viuens habuerat, vel mortuus testaretur amorem.*

Eius discessus grauior ciuitatis iactura.

Et qui obligaret ad Episcopatus abdicationem.

38. AB ALBER. BARANOVIO *Episcopo Pultouiensi, in Cutauiæ ampliorem Episcopatum discessuro, dum in refectorio vnus è Nostris totius nomine Collegij valediceret, & gratias ageret, quod in publico Regni conuentu nomen Societatis contra maleuolorum linguas protexerit, subintulit laudatissimus Præsul:* Quidquid fecisset, minus laude nostra esse: quæcumque in se bona animadverteret, quæcumque in administrando Officio præstitisset, ea omnia ex Nostrorum omni obseruatione digna cura, & studio profecta. Insuper in defensione Ordinis Nostri vbicumque locorum esset, effusè liberalem futurum Patronum. *Hæc ille lacrymans dicebat. Ita in liter. Annuis Soc. ann. 1607. fol. 468.*

Societas contra maleuolorum linguas protecta.

Et æstimata ab Episcopo Baranouio.

39. A

39. A CREMONENSI *asserente*, Neminem vnquam aut Papam, aut Episcopum bonum futurum, qui Societatem IESV non coleret, & amaret. *Ingentia sane verba, & nisi ex ardentissimo in nostrum Ordinem amore prolata sine rubore haud referri possent. Ita in Annal. Soc. ann.* 1607. *fol.* 17. *Nemo bonus, qui eam non colat, & amet.*

40. A IVLIENSI *In Prouincia Veneta statuente*, vbi sine graui offensa Religiosorum aliorum Ordinum fieri posset, se neminem illuc ad conciones, & alia ministeria Societati congrua, præter homines Societatis aduocaturum. *Ita Ibid. fol* 58. *Ad conciones, & alia ministeria sola aduocanda.*

41. A ZEBVANO *In Philippinis*: *Qui videns Bachanalia in sanctimonialia per triduum conuersa*, Sanctæ Societatis (*sic Nostros appellabat*) sanctam inuentionem, excogitationemque ad arcenda ex hominum mentibus peccata, *dicebat. Sic Ibidem. fol.* 281. *Bachanalia in sanctimonialia conuertit.*

42. A BARGINONENSI: *Qui pro collatis erga Societatem beneficijs, cum à P. N. Generali literas accepisset, quibus eum participem Spiritualium Societatis bonorum faciebat, hanc ille communicationem tanti fecit, vt* Episcopatui ante ferre, *non dubitauerit. Ita in liter. annuis Societ. ann.* 1608. *fol.* 59. *Communicatio suorum spiritualium bonorum Episcopatui antefertur.*

43. A PERPINIANENSI (*alias Elna*) *asserente*, Se ita paratum ad munia Societatis promouenda, vt victum, & quibus tegebatur indumenta sibi detrahi facile pateretur. *Ita in Annal. Soc. ann* 1606. *fol. Quanta sint æstimationis eius ministeria.*

44. A MVRCIANO, *tanti Missionum Societatis operam faciente, vt publicè in Templo nostro populum adhortans, ad Nostros conuersus dixerit*: Agite Patres, & his excursionibus negotio vtilissimo impigre vacate: certoque vobis persuadete, quod & ipse teneo, hoc inter cetera ministeria Ecclesiæ Catholicæ longe esse fructuosissimum, adeoque præcipuum. *Ita in Annal. Soc. ann.* 1610. *fol.* 124. *Societatis Missiones præcipuum & fructuosissimum Ecclesiæ ministerium.*

45. A LVCEORIENSI *in Polonia, diplomate etiam cauente*, Ne quisquam alius in Vrbe conscientiæ controuersias publicè doceret, præter Societatem. *Ita Ibid. fol.* 417. *Solis Socijs conscientiæ controuersias publicè docere permittitur.*

46. A

Quanti Societatem faceret Segouiensis Episcopus?

46. A SEGOVIENSI *in Philippinis*: Gratiam (*inquit*) mihi velim libenter indulgeri, vt P. Rector, & ceteri sanctæ huius Societatis Patres, & Fratres, me suo Cætui fratrem adnumerare velint. Quod ergo beneficium quanta possum animi contentione efflagito. Ego vero quoad potero viribus omnibus conabor, vt istius Societatis sanctas constitutiones, ac leges religiosissimè obseruem. Quidquid denique à vobis speciatim erit nobis impositum, obsequenter effectum dabimus. Tua porro singularis erga nos beneuolentia non patitur dubitare, quin filij, & fratris loco in vestra Societate enumeremur, & reipsa simus. *Ita amantissimus Societatis Præsul. in Annal. Soc ann.* 1612. *fol.* 147.

Inter cuius filios enumerari ardenter expetit.

Quanti Eluacensis.

47. AB ELVACENSI *in Germania Superiore asserente*, Vbi Pontificium Tribunal sibi decerneretur, Sedem quoque Societati omnino futuram. *Tanta illi erat Societatis existimatio: tantus erga eam amor. Ita in Annal. Societ. ann.* 1613. *fol.* 240.

Eius innocentia à Leodicensi Episc. contra impugnatores asserta.

48. A LEODICENSI, *Sic Nos aduersus criminantes, propugnante*: Alieno vel iudicio, vel auctoritate, nil sibi opus esse in Societatis æstimanda innocentia, cuius à puero, quam exploratissimam haberet probationem. *Ibid. fol.* 354.

Summa Iesuitarum modestia.

Peragentium summa cum laude, quæ ad proximorum salutem, & Dei gloriã spectant.

49. A IOANNE DE VALDES, *Archiep. Nouæ Cantabriæ, & Galleciæ in Regno Mexicano Epist. ad P. Prouin. Soc. quæ sic se habet*: Et mei Officij ratio, & summa Patrum, qui in his oris versantur, modestia, & singularis, quam ex eorum colloquijs percepi, voluptas postulat, vt cum vestra Paternitate ea communicem, quæ à Societatis hominibus vere Religiosis in his vltimis terræ angulis ad Dei gloriam, proximorumque vtilitatem, summa cum laude peraguntur. Ego vero de me ipso hoc affirmare possum, adeò me eorum familiaritate fuisse recreatum, vt longissimi, eiusdemque difficillimi itineris molestijs non grauarer, vt horum Patrum religiosissima, & omni ex parte perfectissima fruerer consuetudine. Ea de illorum summa virtute cognoui, quæ vix credi, scribi certe, aut ex-

Summa eorum virtus, quæ vix possit explicari.

plicare

explicare nullo modo possim. Ex quo vestra Paternitas liquido intelliget quanti interfit, tales diuinorum mysteriorum Magistros, in his barbaris, incultisque regionibus versari: sed quoniam contineri non possum ad V. Paternitatis aduentum reseruabo. Interim de me hoc possum polliceri in posterum horum me Patrum (Apostolos verius nominassem) Patronum futurum vigilantissimum, & summe eorumdem mirabilisque virtutis laudatorem, *&c. Ita in citatis toties literis annuis Soc. ann.* 1611. *fol.* 868.

Sunt diuinorum ministeriorum Magistri.

Et Apostoli,

50. AB ALBERGATO, *qui scribens ad Greg. XV. de S. Ignatio sic loquitur:* Beatus iste (*inquit*) eam Societatem Ecclesiæ Catholicæ peperit, quæ velut murum se opponit vniuersæ impietati pro Domo Dei. Testis oculatus loquor, & sceleris arguerer, si tacerem: pugnauit sanguine, pugnatque adhuc constantissime. *Ita apud Euseb. in doctrin. Ascetic. lib.* 1. *cap.* 60. *fol.* 50. *col.* 2. *Et in Testimonio ad eumdem Gregorium idem Episcopus:* Glorioſissimum (*inquit*) censeo Beatum Ignatium, qui Choros Confessorum, Doctorum, & Martyrum Ecclesiæ peperit. *Ibidem fol.* 51. *col.* 1.

Societas Murus pro domo Dei.

Pro illa sua sanguine constantissime pugnas.

Choros Confessorum, Doctorũ, & Martyrum Ignatius Ecclesiæ peperit.

51. A BAYENSI *In Brasilia nostrorum tolerantiam publicè prædicante. Illis enim nihil maioris lucri per id tempus quàm constantia in tuenda libertate Brasiliorum, & sustinenda patienter eam ob rem inuidiæ mole, & obtrectationibus hominum exterorum Quam admiratus constantiam Episcopus integerrimus, palam in Vrbe Bayæ pro concione commendauit: conuersoque ad Patres sermone, & solatus insuper confirmauit,* Ne vnquam ab suscepto patrocinio terrore vllo desisterent. *Ita Par.* 4. *Hist. Soc. lib.* 5. *num.* 294.

Sociorum in tuenda Brasiliorũ libertate constantiam Episcopus Bayæ publice prædicat.

52. A CARNERIO *Macaoensi, qui vehementer instabat,* Vt liceret sibi Infulis Episcopalibus positis vitam sub obedientia Societatis finire: *insigne boni Pastoris documentum ostendens, & Societatis existimationem. Sic Ibidem lib.* 4. *num.* 207.

Sub Societatis obedientia mori Episcopus instat Carnerius.

Societas virtutũ, ac scientiarũ Emporium.

53. Ab Antonio Zara *Episcopo Petinensi, qui sic in nostræ Religionis laudem erumpit, in Anothom. ingenior. sess. 1. cap. vnico.* Quid de Iesv Societate dicam? De illo scientiarum, ac virtutum omnium Emporio? de illa Religionis Arce firmissima? Ad cuius viros cum oculorum aciem conuerto, veram mihi Idæam priscorum illorum, ac Sanctorum Patrum simillimam videor intueri. Hi enim nullum pro fide orthodoxa laborem renuunt, nullas neces, atque clades reformidant: sed semper in campo, semper in Sole fidei versantur, vt armata religio veritate, armatam falsitate vincat, & iugulet impietatem. *Sic apud Paul. Leonard. Apol. pro scient. Med. Par. 2. num. 84.*

Ars firmissima Religionis.

Eius filij Idæa Sãctorum Patrũ simillima.

Qui nullũ pro fide laborem renuunt.

Illis Societas armata impietatem iugulat.

54. A Melchiore Moscoso *Episcopo Segouiensi* inclyta (*inquit*) Societas, quæ Sapientiæ solem, ceu Aquila ita sustinet, vt natorum suorum generositatem de pupillarum audacia iudicet. *Ita ille in Censur. Tom. 1. in Epist. Paul. P. Ant. Velazquez.*

Aquila inclyta sustinens sapiẽtiæ solem.

Est aureus Annulus, cuius Gemma Ioseph us Anchieta.

55. A Petro Leitano *primo Brasilienses Ecclesiæ Episcopo: is eorum fama motus, & experientia, quæ præclara per Socios, & admiranda faciebat Deus, dicere aliquando auditus est*, Societatem in Brasilia aureum esse Annulum, eius Gemmam esse Ioseph um Anchietam: *illum, qui toto iam Orbe notissimus, patratis vbique prodigijs, Brasiliæ iam tunc Apostolus vocabatur. Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 5. fol. 622.*

Mitras, purpuras, sceptra, & Imperia superat.

56. A Neopolitano *Episcopo, qui Insularum, dum vixit, quam Societatis amantior.* O Sancta (*inquit moriens*) Societas, quam antea neque satis cognoui, neque merui? Tu superas, & præcedis Peda Pastoralia, Mitras, Purpuras, Cardinalitias, Sceptra, Imperia, & Coronas. *Quem sensum morientis Episcopi sicut exaggerare non audeo, sic non debeo eleuare. Ita Ibid. lib. 5. cap. 10. fol. 667.*

57. A

57. A PRVDENTIO DE SANDOVAL *ex Sacra D. Benedicti Familia Episcopo Pompeiopolitano Caroli V. Historiographo Cæsareo: is Tom. 2. lib. 24. §. 22. Augustum hoc profert de Societate iudicium.* Intelligant (*inquit*) omnes Catholici curam, qua Ecclesiam suam sponsam sibi vnicè dilectam Deus amplectitur, quamque tempestatibus fatigatam, diuinis fauoribus recreat, nouos in ea spiritus, & generosos milites, industriosque gubernatores euocando, per quos, ne quo casu illa pereat, constituatur in tuto. Cum à septentrionalibus Europæ partibus suum secuti Lutherum plures alij emergerent brutales Hæretici, ferarum instar coniurati omnes æquare solo vineam Domini; ipse ab Oriente glorioſum excitauit Ignatium, qui abstractus à militia, armisque terrenis, arma inter alia, & opera magis heroica poneretur, adeoque cum ceteris armandis ab se socijs, in ipsum Apostolorum, & Ecclesiæ primæuæ munus, Officiumque succederent: itaque per illos sua demum fides diuino constaret oraculo: in omnem terram exiuit sonus eorum Ps. 28. Quod certum nunc, & ipso expressum opere nostris nos oculis contuemur, quando Patres illius sanctæ Societatis orbem ex hoc vniuersum circuiuêre, Deique legem annunciando mortalibus, eò demum, quò nec ipsi penetrarunt Apostoli, peruenerunt. Illis nempe nouos Orbes vtriusque ad Orientem, & Occidentem Indiæ, maiorem certe partem eorumdem, veluti destinato seruauit Deus, vt ibidem gens illa benedicta Apostolorum sociorum munere fungeretur. *Ita refertur in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 11. fol.* 680.

Excitatur Ignatius contra Lutherum, & asseclas,

Qui Socios in Ecclesia, & Apostolorum munus successuros armat.

Euangeliũ etiam quo ipsi Apostoli non peruenerunt, annuntiantes.

* AB EODEM: *Qui in eadem Hist. Caroli V. Par. 2. lib. 24. §. 25. agens de nostri Instituti excellentia, sic ait*: Institutum, & ratio gubernandi, quâ Sacra hæc Societas vtitur à S. Ignatio tradita, & à filijs egregiè obseruata, è præclarissimis, prudentissimisque, & charitate plenissimis est, quæ in aliqua vnquam floruisse Republica cognoscuntur: idque manifestum facit incrementum, quod tam breui temporis spatio, toto

Societatis Institutum laudatur.

Ex eius obseruantia.

Ex Collegiorum incremento.

Ex Alumnis. terrarum Orbe accepisse cernitur : tot millia Collegiorum, ac Domuum, quas habet, homines Collegiorum Alumni, qui citra hyperbolem doctissimi appellari merito possunt. *Ex Martyribus.* Prouinciæ, quas ad Religionis Christianæ imperium adiunxerunt, sudor, ac sanguis tot Martyrum fusus, libri sapientia ac solida scientia refertissimi, quos edidere, & alia sexenta munera, quæ obiere, ac perpetuo obeunt, quæ quia huius loci non sunt, & ego ijs scribendis impar, prætereo. *Ex libris scientia refertissimis.* *Sic illius ex Hispano idiomate perhonorificum testimonium Latinè redditum.*

58. Ab Henrico Cvyckio *Episcopo ad Albertum Archiducem sic in Scholarum Societatis commendationem scribente.* Meliorem nunc cogitationem suscepimus requirendæ à Patribus Societatis Iesv literariæ Scholæ, quæ non Ruremundanæ tantum Ciuitati, sed toti huic supernæ Geldriæ, Vuertanæ quoque, & Iuliacensi nobis conterminæ, & Cliuensi Prouinciæ magno vsui, adeoque necessaria est futura. *Quam vtiles Societatis Scholæ.* *Hæc Ruremundanus Antistes in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 6. cap. 3. Sess. 1. fol. 772.*

59. A Lævinio Torrentio *Antuerpiensi Episcopo vere magno, qui præcipua Patrum nostrorum vsus opera, vltimis quatuor vitæ suæ annis septies mille à fide alienatos Ecclesiæ conciliaunt. Quantum in eo Patronum haberet Societas manifestum fuit in Louaniensis Collegij fundatione, quam ei dissuadendam quibus nescio rationibus Academia susceperat : sed frustra, vt constat ex Torrentij literis peregregijs, quas super hac re dedit Antuerpiæ ad Academicos pridie Nonas Maij, anno sexquimillesimo nonagesimo quarto.* *Literæ super Louaniensis Collegij fundatione.* Cum ab eo tempore (*inquit*) quo primum instructus literis Louanij, alias quoque Prouincias accessi, ac tandem diuino fretus auxilio in Patriam reuersus sum incolumis ; nihil magis desideraui, quam occasionem aliquam dari, quo accepti memor beneficij, de Louanio vicissim benemererer, atque animi gratitudinem aliquam ostendere possem. Successit res non omnino infeliciter. Quod enim ex peculio honeste parto superfuit,

id

id erigendo apud Patres SOCIETATIS IESV Philosophiæ Gymnasio cœpi impendere, in magnum Academiæ Vestræ, vt mihi visum est, commodum & bonum; nihil cuipiam detrahens, sed serio dans operam, vt toti corpori benè esset. Nam cum de Republica in vniuersum agitur, non quod singulis, sed quod in vniuersum profuturum sit omnibus, considerari consueuit. Accidit tamen, vti plerumque fit in naturali quadam hominum ad dissentiendum inclinatione, vt nonnulli ex facultate Artium, quam vocant, acriter se opponerent. Dico nonnullos, quia mandatum de se opponendo legitimè conceptum nullum hactenus vidi; sed Epistolam tantum, quâ me à proposito deterrere, & aliò inclinare conati sunt; ad quam tunc etsi modestissimè, &, vt puto, non imprudenter respondi; illi tamen pergunt obsistere, & nescio quid moliri, vt auctoritate Regis, eiusque Concilij impeditus, à sententia discedam. Quod vt libere dicam, nullo vnquam modo impetrabitur. Nemo enim quid cui conferam mihi præscribat, rerum mearum qui sim Dominus. Sed efficient fortasse illi sua ingratitudine aliò me conuertam; quod tamen non facilè neque temerè fiet. Nam Louanium amo. Liberum credo erit sanctæ SOCIETATIS Nominis IESV hominibus benefacere, & apud eos nouum Philosophiæ, seu Gymnasium, seu Seminarium erigere: quò tametsi nemo, nisi SOCIETATI iam addictus, accesserit, satis inde magnum commodum toti Orbi Christiano accedet, & præsertim Prouincijs nostris Belgicis; quod quotidiana experientia iam sentimus & quasi manu tangimus. Quæ ergo ista inuidia est, vt tanti boni fructum non percipiant etiam alij, qui ad Patres discendæ Philosophiæ causa confluere & ipsi volunt? Deum testor, quod si aliud occurrisset Consilium, quo Academiæ prodesse plus potuissem secutus id fuissem. Verum sæpè & multum cogitanti, nullum occurrit. Alioqui, non obstantibus quibuscumque Artium Facultatis priuilegijs, docere possunt prædicti Patres intra sepia suorum Collegiosum,

Quæ ab Academia impugnata, ab Episcopo defenditur.

Ob magnum orbi Christiani commodum.

rum, quidquid placuerit, Instituto Ordinis sui non contrarium. An forte Sacram Theologiam docentes Louanij à Philosophia arcentur? Quis ergo horum sese opponentium finis? nempe vt magna cum inuidia nihil proficiant. Vbi si vna mecum ornandæ atque illustrandæ isti Academiæ incumbere velint, Pædagogijs etiam suis profuturum sit plurimum. Quidquid sit, viri amplissimi, ab æquitate vestra impetratum cupio, vt, quoniam Magistratus, atque adeò ciuitas ista tota meum consilium laudat atque approbat, atque, vt pergam in proposito, me rogat, vestram quoque sententiam mihi declarare ne grauemini; idque eo ardentius peto, quod ex quorumdam litteris intellexerim, non solum Artium, quam vocant Facultati propositum nostrum displicere, verum alijs quoque Professoribus primarijs. Quod tametsi ita esset, ægrè tamen desisterem; displiceret tamen vehementer. Durum est enim homini ingenuo inuitis atque ingratis benefacere: ego tamen nullam, nisi à solo Deo, vel gratias, vel mercedem exspecto; cuius etiam clementiæ, quantum possum, precibus vos commendans, vel tribus tantum verbis ad epistolam hanc meam responsum exspecto. *Hactenus soluta Oratione à Torrentio in nostrarum scholarum fauorem proclamatum: referturque in Imagin. 1. sæc. Soc. lib. 6. cap. 5. fol. 882.*

Societas Cælo grata.

AB EODEM: *In Oda ad* SOCIETATEM, *sub sanctissimi Nominis* IESV *gloria insignitam eleganti carmine eius laudes in hunc modum occinente.*

Iesu nomine Illustrata.

O grata cælo sancta Sodalitas
Rex Regum IESVS *nomine quam suo*
Illustrat, exornatque toto
Vt celebris memoreris Orbe:
Non Orbe dico, quem veteres aui
Norunt minorem dimidio, male
Truncatum, & angustis coactum
Limitibus, nec adhuc retectum.

Quod

Quod vstus illic solibus, hic niue
Negaret aptas sospitibus domos,
Nec torridam fas esset vlli
(Sic perhibent) superare Zonam:
Sed Orbe toto prorsus & integro
Quem belluoso dum volitant mari,
Vtroque porrectum sub axe,
Magnanimi reperere Iberi.
Quorum secuti turgida linteа
Pura sed omni mente cupidine,
Pulchro nec argento, nec auro,
Nec nitidis inhiante gemmis.
Armis vt illi sceptra potentium
Fregere Regum, fluminaque & lacus,
Portusque, vicinasque gentes
Indomito subiere ferro.
Sic vos inermes, impauidi tamen — *Inermis, sed impauidæ barbariem pellit.*
Casta inferentes indigenis sacra
Hac impios cultus, & omnem
Barbariem, pepulistis arte.
Qui namque vera luce carentibus
Fas esse notum, vel potuit nefas?
Turpi volutabantur antro
Cimmerijs medij tenebris;
Clausis retentæ ceu caueis feræ, — *Efferatos mores sa-mans.*
Edenda si quæ ad munera publica
Seruantur, vt damnata fluuа
Corpora dilacerent arena,
Quod deprehensos tam misero in statu
Vt mente bruta non minus impia
Committerent, quam sæuus olim
Antiphrates, genus aut Cyclopum.
Sanastis: at non cantibus Orphei
Linique, nec qui mœnia condidit

Thebana

Thebana, facundique voce
Mercurij, fidibusque Phœbi:

Almæ sapientiæ vi.

Fida sed almæ vi sapientiæ
Quæ Missa ab alto vicit vt hactenus,
Sic vincet, æternoque tandem
Omnia subijciet Parenti.
Qui vos ministros quod sibi legerit,
Res gesta clamat, clamat & exitus
Spe maior, adductis opimo
Tam cito tot populis triumpho.

Populorum triumphatrix.

Quos ante nec dum nomine cognitos
Portare CHRISTI *nunc dociles iugum*
Miramur, ingenti re mixta
Lætitia simul, & stupore.
Sed quid volenti non facile est Deo,
Deique Verbo, Virgineo satum
Quod ventre, prognatumque nostri
Credimus ad generis salutem?

Iesu Nomen Sociorum complet pectora, & exundat ab ore.

Hic ille IESVS *progenies Patri*
Æquæua cælo quod fuerat manens:
Humana sed de matre sumpsit
Membra, viam referans Olympo.
Hic ille cuius nomen amabile
Vt vestra complet pectora, sic sacro
Prorumpit exundans ab ore,
Assidua coliturque laude.
Nec parua laudi gratia. Nam pijs
Aspirat Orsis Omnipotens Deus,
Firmatque quas res cumque Nati
Auspicio geritis secundo.

Societas, Caluini, Lutheri, & aliorũ Hæreticorum domitrix.

Nec de receptis gloria Barbaris
Est maior illa quam domiti dabunt
Caluique Lutherique, & omnis
Colluuies simul impiorum.

Fremant

Fremant ſuperbi, nec teneant minas,
Bellumque, cædeſque, & rabiem parent;
Cauſamque, quam ius damnat æquum
Vi vetitis tueantur armis.
Vos iſta prudens ſimplicitas, bene
Morata, ſe ſe nec leuis efferens,
Defendet inſontes. At ipſe
Se rabidus male perdet hoſtis.
Qui quo cruentus ſæuierit magis
Plus iude damni comperiet, videns
Viciſſe quos victos putarat
Et cineri ſupereſſe vires.

Et quo magis vexata, eò victricior.

Ita cecinit eleganter Antuerpienſis Antiſtes, vt refertur in Catalogo Scriptorum Societatis, per Ribadeneiram, & Alegambe initio.

60. *, A PETRO CARRANZA *Epiſcopo Fluminis Argentini, ſiue Boni-aëris in Peruuio, ex Sacro Ordine Carmelitano in Concione Beatif. S. Ignatij fol. mihi 9 col. 2.* Vbi (*inquit*) Gens doctior quam in Societate IESV? Quis Pater filios habuit ſapientiores, quam B. Ignatius? doctos in Cathedris, acutos argumentis, ſapientes in pulpitis. Si filius ſapiens lætificat Patrem, vt diuina canunt oracula: tantus illorum numerus lætitia magna ſanctum afficiant Ignatium neceſſe eſt, vt qui ſunt adeo docti, eâ charitate præditi, vita, & exemplo ita eximij, ijque Operarij in vinea Dei, idque non in ſola Hiſpania, totoque Orbe Chriſtiano, ſed ad barbaras gentes, longe diſſitas plagas, ac incognitas ſuorum filiorum doctrina penetrauit; de quibus non incongruè, aut citra comparationem, aut æqualitatem, quod de Chriſti diſcipulis Dauid, affirmare nobis licet: in omnem terram exiuit ſonus eorum, *&c.* Vbique enim gentium doctrinæ Chriſtianæ Scholæ, Congregationes, præceptiones, Conciones, ac expeditiones ſpirituales Societatis IESV vigent. Hæc Religio illa Turris Dauid eſt adeo celebris in Canticorum libro, armis adeo inſtructa, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Quæ licet

Nulli Ieſuitis ſapientiores in cathedris, & in pulpitis.

Ij charitate præditi vita, & exẽplo eximij.

Ad longe diſſitas, & incognitas orbis plagas penetrarũt.

Eorũ varia miniſteria ad hominũ ſalutem.

Pſ. 18. 5.

Societas Turris Dauidica, armis ad Eccleſiæ defẽſionem, & contra Hæreticos referta.

Cant. 4. 4. licet de Ecclesia dicta sint, Societati hodie accommodamus, quæ Turris est Dauid armis ad Ecclesiæ Euangelijque defensionem referta, impios Hæreticos scientia, ac doctrina lacessendo. Ex hac Turri prodiere armati duces, ac strenui fidei defensores; hinc celebres Salmerones, eruditi Bellarmini, docti Maldonati, ac insignes Toleti, & alij complures, quos referre operosum est. *Hoc eius de Societate iudicium fideliter latine redditum.*

Ex qua armati duces, ac strenui fidei defensores prodiere.

Eius Institutum, munia, vita, moresque laudantur.

61. A GISBERTO MASIO *Episcopo Silueducensi, cui summa eloquentia Ciceronis Belgici cognomentum peperit: is quoties colloquijs priuatis, quoties publicis pro concione sermonibus, nostrum Institutum, munia, vitam, moresque ad ruborem Patrum, ad æmulorum dolorem, deprædicauit? Quo die Ignatij in Beatorum album relati solemnia Societas celebrabat, ipse peracto splendido Sacrificio in Cathedram ascendens, ad pulcherrimam audientium coronam pro sua facundia adeò magnificè de B. Patris, deque Sociorum laudibus verba fecit, vt impatiens tanti præconij inuidia nonnullos in ipsummet concitarit Antistitem, ausos de superiori loco carpere, quæ ille dixerat, argumentisque refellere: quibus mox facti pœnitentibus haud grauatè vir mitissimus condonauit iniuriam. Sic in Imag. 1. sæc. Soc. fol.* 884.

Quanti habita à Remigio Episcopo?

62. A REMIGIO DRVITIO *Brugensium Episcopo, qui Societatem quanti faceret, non obscurè prodidit, cum in summis Reipublicæ angustijs, negante Magistratu, parem se alendo Societatis Collegio, respondit,* Se potius, quam Collegium Vrbe cessurum. *Ita Ibidem.*

Cognita in morte à Lamberto.

63. A MATHIA LAMBERTO, *qui medius inter Rodouanium, Druitiumque insulas gessit, morti iam proximus, quando sublucente alterius vitæ radio clarius apparet rerum color, Sacerdotem nostrum ad sese euocauit, cui omnes anteactæ vitæ noxas aperuit, perpetuamque Societati, quam adhuc* male cognitam habuisse, *fatebatur, eleemosinam donauit. Ibidem.*

Et à Carolo Masio.

64. A CAROLO MASIO *Gandauensi Episcopo, cui eadem ac Lamberti sub extrema vitæ tempora vox fuit, quæ dolentis animi sensum*

sensum exprimebat, de tam sero cognita, amataque Societate. *Idem & voto multis audientibus semet obstrinxit*, Si ex morbo conualesceret, dotandæ in ea Vrbe Societatis. *Ibid.*

Parens Optima: è cuius Instituto velut ex Equo Troyano, religione, ac literis principes viri prodierunt.

65. A FERD. MARTINEZ MASCAREÑAS *Episcopo Algaruiensi, qui singulari illo suo erga nos affectu, & existimatione,* Societatem *appellabat* Parentem Optimam, è cuius sanctissimo Instituto tanquam ex Equo Troyano plures iam religione, literis, ac morum probitate Principes viri prodierunt. *Ita ille in Censura Tom. P. Suarij de Defensione fidei.*

66. A PETRO ALOYSIO *Episcopo Tricaricensi etiam Apostolico Nuncio literis ad P. Drexelium datis* 19. *Aprilis ann.* 1630. Vetus (*inquit inter alia*) mihi cum Societatis IESV hominibus consuetudo est, quam à puero cum literis, & moribus primis hausi, ac semper colui, *&c. Ita Tom.* 1. *Operum P. Drexelij in principio. Idem Antistes literis alteris ad eumdem:* Glorior (*inquit*) me à pueris educatum fuisse disciplina Patrum Societatis, vel ex eo capite, quod is Ordo viris eximijs abundet in omni eruditionis laude, inter quos, *&c. Ibidem initio Eiusdem Tom.* 1.

Societas æstimata.

Et viris in omni eruditione eximijs abundans.

67. * A IOANN. EMANVELE *Episcopo Zamorensi, sic Societatis, & sociorum innocentiam in Concilio Prouinciali Salmantino, propugnante.* Ego (*inquit*) iurabo Reuerendissimi Patres non assistere spiritum sanctum in hoc Concilio, siquidem in illo intentatur tractari res adeo graues, & molestas aduersus tam sanctam Religionem, & quæ tantum fecit fructum suo Instituto, & exemplo in Ecclesia Dei. *Ita Tom.* 4. *Vir. Illust. Soc. in vit. P. Araoz cap.* 1. §. 6 *fol.* 641.

Propugnata eius innocentia in Consilio Salmantino.

Fructus in Ecclesia ex eius Instituto & exemplo.

68. A FRAN. DIOTALLENO *Episcopo S. Angeli, Nuncioque Apostolico Polon. in Decreto quodam aduersus Monita priuata dat.* 14. *Nouemb. ann.* 1615. Cum insigni (*inquit*) labe totius Ecclesiastici Ordinis, impio, & sacrilego conatu sit sparsus libellus famosus contra Societatem IESV, Monita priuata eiusdem Societatis falsò inscriptus, *&c.* Nos & pro singulari nostro affectu erga eumdem Religiosum Ordinem de Catholica

Defensa contra libellarium.

Est Ordo de Catholica Religione optimè meritus.

Republica optime meritum, & vt bonæ famæ (quæ plurimum ad propagandum diuinæ maiestatis cultum vbique valet) status Ecclesiastici vniuersi prospiciamus, &c. *Ita apud Aules in Defensorio Soc. contra Spinum n.* 288.

Iterum defensa contra maledicum.

69. * A CAMILO CAETANO *Nuncio etiam Apostolico in Regnis Hispaniæ, qui Religiosum quemdam de Societate male loquentem perpetuæ reclusioni condemnauit, & inter alia sententiæ verba, hæc nimis honorifica protulit.* Hoc (*dicebat*) non quia iudicemus illum malam doctrinam prædicasse, quia de hoc cognoscere ad hoc Tribunal non pertinet, sed quia sine ratione, nec causa aliqua de dictis Patribus Societatis tantum bonum Christianæ Reipublicæ inferentibus, ac de Religione adeo insigni & vtili diuino seruitio, & Ecclesiæ sanctæ, detraxit, bonamque opinionem, ac existimationem, quam populus iuste de illis habet, læsit, &c. *Ita apud citat. Aules n.* 413. *ex Ribaden. in Hist. Prouin. Hispan. lib.* 7. *cap.* 4.

Religio insignis & vtilis Ecclesiæ Sanctæ.

Ignatius Luthero oppositus.

70. AB HIERON. BAPT. DE LA NVZA *ex Sacro Prædicatorum Ordine, Episcopo Barbastrensi*: Anno ipso (*inquit*) teste Genebrardo, quo Lutherus aduersus Ecclesiam Sacramentorum vsum & præcipue aduersus Sedem Apostolicam, & Romanum Pontificem suis hæresibus bellum indixit, prouidit Deus glorioſum Patrem Ignatium de Loyola, qui primo ab Apostolo Petro, deinde à cælorum Imperatrice visitatus, initium dedit fundationi instituti Sacri Societatis IESV, quæ vna est ex florentibus Religionibus, quas habet, & habuit Ecclesia, in speciali cura persuadendi Sacramentorum vsum, & in Sedis Apostolicæ, Romanique Pontificis auctoritate tuenda. *Sic ille Tom.* 3. *suarum Homil. super Euang. hom.* 43. *num.* 13.

Societas vna ex florentibus, Religionibus, quas habet Ecclesia:

In Sacramentorum vsu suadendo, & Pontificis auctoritate tuenda.

71. * A LAVR. HVRTADO DE MENDOZA *Episcopo Ianuarien si in Brasilia, in Approbat. Thesauri linguæ Paraquariæ Matriti typis editi, ann.* 1639. *per P. Antonium Ruiz, vbi ille Paraquarien sis nostræ Societatis labores, feruorem, ac zelum erga Indorum conuersionem pulcherrimo penicillo depingit his verbis:*

Testor

Testor hac Guaranacia Lingua illos (*Patres scilicet nostros*) suo magno zelo, multis, ac non vulgaribus laboribus, maximum in infidelibus ad diuinum obsequium conuertendis fructum ferre : quos non solum è barbaris suis moribus ad fidem nostram traducunt, sed etiam ad vitæ politicæ mores, magno diuini simul, ac Regij obsequij emolumento, cum illa gens non perinde ac Peruana aliæque in India, eiusmodi sit, à quibus alia sperari commoda possint, aliæue præter eas, quas dixi, diuitiæ. Atque vtinam Prælati, qui hic in Brasilia tam prope à Paraquaria, atque Argenteo Flumine absumus, ita nostris in Diœcesibus eiusmodi spiritum, zelum, ac fructum experiremur. *Sic ille ibi. Et in Approbat. libri Conuersionis Spiritualis Paraquariæ ex Eodem P. Antonio Ruiz typis ibidem mandati, non potuit idem benignissimus Præsul calamum temperare.* Affirmo (*inquit*) non solum nihil contineri, quod à bonis moribus, ac fidei nostræ veritate alienum sit, sed aliquando apparere quæ Deus in conuertendis, & ad Ecclesiæ Sanctitatem reducendis illis Prouincijs, ac tot hominibus plusquam barbaris, Idololatris, Religiosorum Societatis zelo, ac labore perfecerit. Idque cum toto hoc libro manifestum fiat, tum præsertim §. 34. Quæ omnia dictis Religiosis debentur, qui in ijs regionibus Viridarium florum cælestium construxerunt nouamque ac primitiuam Ecclesiam, quam infernalis lupus tot modis vastare conatus est, ac magna ex parte vastauit, coactis illis populis patrio solo abire, ac fugere, iuxta illud, Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam. Plurimarum ergo rerum ex illis, ac præcipuè fructus tot animarum, ac gloriæ Dei, quod Reductiones illæ, meæ Diœcesi conterminæ sint, idoneus esse testis possum. Itaque is solum cui ignotum non est, quantum hoc sit, quæ res gestæ sint, quæ ibi rerum penuria, quæ Indorum ferocitas, quos ij religiosi in immensis illarum terrarum spatijs, tot inter deserta loca, per montium iuga, ac nemorum latebras inuestigandis, ac cogendis humanis illis

Magnus Sociorum zelus, & labor in Infidelibus Paraquariæ conuertendis.

Eorum fructus.

Viridarium florum cælestium in his regionibus construxere:

Nouamque, ac primitiuam Ecclesiam. Ps. 79. 14.

Sociorum laboribus, ac sudore Fundatam.

belluis mutua se cæde saginantibus, vbi nulla neque auri, argentiue emolumenta, nec alia commoda, quemadmodum in reliqua India, subire solent, is solum æquus insignium illorum facinorum, quæ hic referuntur, æstimator esse possit. Itaque illi Prouinciæ, sine aliarum iniuria, illo licebit vti, plus omnibus laboraui. *Hoc tanti Præsulis iudicium de huius nostræ Paraquariæ Socijs: quid iam illis falsa obtrectantium inimicorum iudicia nocere poterunt? quid fabulæ? quid figmenta?*

In Paraquariæ Prouincia plus omnibus laborauit. 1.Cor.15. 10.

72. A PAVLO ARESIO *Episcopo Tortonensi è sacra Regularium Clericorum Familia in serm. de tribus Martyribus Iaponiæ à fol. mihi 12. vbi miris Elogijs Ordinem nostrum commendat, quæ fideliter latine traducta sic se habent.* Societas (*inquit*) IESV est veluti quoddam Viridarium omni fructuum vbertate, ac florum venustate conspicuum, cuius præconia, laudesque ipsius Familię alumni eloquentia exculti tantummodo celebrare valerent, nisi innata ipsorum modestia eruditissimis linguis fræna conijceret. Verum ipse sese prodit tanti viridarij, fragrans odor, fructuumque suauitas. Et quænam Orbis terrarum plaga vtrumque non percipit? vbi nam non diffunditur suorum exemplorum maturitas, suorum verborum tanquam florum suauitas, & pùlchritudo? ô Viridarium pulcherrimum, & vberrimum, in quo vnum plantarum genus, non vna Viridantium, ac suaueolentium herbarum species insita vegetat: sed quidquid pulchrum, quidquid optimum alibi cum laude florere cernitur, id omne in huius Horti areolis consitum, tum oculorum voluptate, tum diuinæ maiestatis præconio cernimus. Hic Eremitarum mores Vernant sanctissimi; hic Mendicantium viget beata pauperies; hic Prædicantium ignitus animarum zelus adolescit; hic Monachorum semper compressa voluntas exurgit, ac crescit; hic Doctorum omnigenæ sapientiæ manat perennitas. Et si è Viridarijs quasi è penu non tantum ad vitæ sustentationem necessaria carpimus, verum etiam oculorum delitias, varia vel herbarum, vel florum, vel plantarum capimus

Societas Viridarium est omni florum, ac fructuum vbertate cõspicuum.

Cuius odor per totum Orbem diffunditur.

In quo Eremitarum, mores, Mẽdicantium paupertas, Prædicantium zelus, Doctorum sapientia vernant.

capimus oblectamenta, pari ratione in hoc florentissimo Societatis Hortulo, non tantum præceptorum iussa completio, verum etiam spiritualium exercitiorum veræ animorum delitiæ vigent. Hortus, vt aliquibus placet, ab eo nomen sortitus videtur, quod in illo semper aliquid oriatur. In hoc amæniſſimo Societatis IESV Horto, quot, quantaque virtutum incrementa in dies pullulant, & adolescunt? Mirandi tantorum operum fructus, imitanda exemplorum varietas, procera sanctissimorum Virorum quasi plantarum series, medicinalium ad curandos animi morbos doctrinarum folia semper Virentia, nec non ad omnes Orbis terrarum tractus extenſos cernimus tantarum plantarum ramos ad captanda in sacris excursionibus animarum lucra, ad implenda cæli horrea tanta fruge, tanta segete Prædestinatorum. Quapropter, ni fallor, optime de hoc Horto dictum asſero illud Cantic. 4. Hortus conclusus, Fons signatus, emissiones tuæ Paradisus. Cur te non conclusum appellem Hortum, Paradisum, ac delitias Christi Domini? quem exactissimè sacrarum legum tuarum obseruatio vndique claudit, vndique sepit, ac munit ad arcendos Cocytiarum bestiarum incursus? Fons ille vero scientiarum ac doctrinarum tuarum iure signatus asſeritur, cui nunquam non adstipulatur sacræ paginæ auctoritas, & testimonia. Vnde omnis illi firmitas, tutamen ac veritas accersitur, cuius deductis in omnem regionem riuulis, & exculta irrigantur Christianorum arua, & squalentia fecundantur tesqua Paganorum. Nec desiderabile hic vitæ Lignum, vbi IESVS vitæ scatebra, vitæ radix suo Nomine Familiam hanc insigniuit, ditauit, ac munijt. *Hæc ille quàm pereleganter, & honorificè.*

Hortus est amæniſſimus virtutum incrementis, Operum fructibus, & exemplis ornatus.

In quo procera sanctiſſimorũ virorum plantæ exurgunt,

Quorum folia ad sanitatem gentium & rami ad animarum lucra. Cant.4.12

Hortus cõclusus sacrarum legum obseruatione.

Fons scientiarum sacræ paginæ auctoritate signatus. Cant.4.12

Paradisus delitiarum Christi, cuius lignum vitæ IESVS Gen.2.9.

73. * A GASPARE de VILLAROEL *Archiep. Charchensi in Peruuio, Augustiniano, ac Scriptore doctissimo. Is in Concione Canonizat. S. Ignatij fol.6.* Literis (*inquit*) est adeo instructa Societas, vt si Theologia interiret, in ea reperiri posset: vbi omnes eruditi, prudentes omnes, periti; nullus non doctus.

Societas quàm sit instructa litteris.

Concio-

Habet Concionatores præstantes, homines doctrina eximios.

Concionatores (*ait fol.7.*) adeo præstantes in Societate, homines doctrina ita eximij vndenam? vnde doctrina tam multiplex? tanta in docendo peritia, vnde hauriri potest? ex Oratione, ita certè. Oratio tam frequens, meditationis studium, contemplationis diuinarum rerum exercitium, quod in Societate viget, quid aliud, quam reuera disciplinas tradere? ac supremo huic præceptori operam dare? Quę (*subdit fol.*8.) in corrigendis erratis Societatis mansuetudo? leueritas in flectendis quàm mira! ab inferendis ignominijs quàm aliena! in præcauendis periculis quã prouida! Nec ijs, quos euomere cogitur infamiæ notam vellet inuri. Quibus rebus (*ait fol.*10.) ô sanctissima Societas tuos homines non exerces? quibus non experiris? quibus non mortificas? nemo est in te, qui non Cruci videatur affixus. Vestitus vilitas, nulla calceamentorum elegantia, nullus cubiculorum Ornatus, communis literatorum, atque illiteratorum victus, quid aliud est, quam tuam sobolem Cruci perpetuò affixam habere? Glorioßissimus (*addit fol* 12.) Ignatius noui cuiusdam Cæli conditor illustris, cuius incolæ castitate Angeli sunt, cælestem puritatem suam, & Angelicam castitatem, tanquam propriam suis reliquit filijs Ignatius: è cælesti videntur materia conditi: Seraphini quidam sunt: in quouis puero, qui per plateas, & compita vobis occurrit, totius Ordinis huius laus sine maculæ discrimine enitescit. *Et fol.*14. *concludit.* Id vero mirum magis in Societate cum Eam laborare Video in ingratæ iuuentutis moribus excolendis, in rudibus Indis formandis, barbaris Æthiopibus erudiendis, superatis montium iugis, calcatis niuibus, desertis ac remotissimis locis peragratis, magno sibi honore, errantem misellum, ac inter saxa, ac rupes desertum, ipsisque rupibus, ac saxis magis saxeum Indum conquirere. Nec tamen miror hanc animorum magnitudinem, qui omnes omnino, siue pueros, siue viros, siue senes, doctos iuxta ac rudes, vinctos, ægros, improbos quosque complectuntur, sed illud fieri omnia, omnibus, vt omnes Christo

Eius Oratio frequens:

Et mansuetudo.

Aliena ab inferendis iniurijs.

Eius soboles Cruci mortificationis affixa.

Societas est Cælum nouum.

Cuius incolæ castitate Angeli, ac Seraphini.

illa iuuentutem, rudes Indos ac barbaros Æthiopes excolit.

Innumeri eius labores in hoc ministerio.

Omnes cõplectitur, vt omnes lucri faciat.

lucri

lucri faciant: illam sui moris negligentiam, vt suum morem perfectius teneant, solitudinem sibi familiarem deserere, vt eos cum quibus agunt, meliores reddant. Hic vero summus amor est. *Hæc ille latinè fideliter traducta.*

* AB EODEM: *In Censura Tom. 2. Sapientiæ Christiani per P. Franc. Aguado*: Hos (*inquit*) Societatis Patres contemplor totam terram operientes eâ formâ, qua de Apibus dixit Poëta: It nigrum campis agmen: Harum apum exercitibus nigricant campi: eorum examina Germania vidit, Flandria, omnesque deturpatæ Nationes, earum aculeos trepidante semper hæresi. *Vel vt Hispane dixit eleganter Antistes, Temblando de sus aguijones siempre la Eregia.*

Eius filij apum examina.

Quorum aculeos hæresis trepidat.

Strenui pro religione milites, innumeras reportantes victorias.

AB EODEM: *Qui in Commentarijs super Iudices in Indice Euangeliorum pro Sacris Concionibus, Mense Iulij in festo S. Ignatij Parentis nostri sanctissimi*, Certe (*inquit*) huius Angelicæ Societatis homines sunt strenui pro Religione milites, qui innumeras reportarunt victorias. Neque est cur eas ceteri inuideant illis, sed proprias per charitatem faciant, vt contigit Gregorio Magno, qui vincere se dicebat, cum Recarædus victorias reportabat. Certe Nomen IESV huius Religionis insigne, omnes hostium cuneos territat, facileque prosternit. Noluit enim Ignatius se huius Militiæ Ducem dictitare, & ideo illius exercitus fiunt hostibus admodum formidabiles. Missiones huic Religioni consuetæ, summa Religiosorum mortificatio, nam peregrinari durissimum. *Hæc ibi doctissimus Antistes.*

Iesu Nomen Societatis insigne hostiũ cuneos territans.

Ideo fit exercitus hostibus formidabilis.

Eius Missiones laudantur.

AB EODEM: Sancta (*inquit*) Societas mea commendatione non indiget, quæ Seminarium est Sanctitatis, & toto terrarum Orbe bene habita: in qua incomparabilium virtutum ingens virorum numerus: & qui cum ea lites habet, cum sexaginta millibus hominibus litigat: qui omnes vnione, & conformitate vnicus homo est, viribus autem sexaginta millia. *Ita ille in Epist. ad Episcop. Paraquarienſ. D. Bernard. de*

Societas sanctitatis seminariũ.

In ea in rẽs incomparabilium virtutum & virorum numerus.

Eius stylo viribus multi, vnione vnicus homo.

de Cardenas, quæ habetur in 1. *Par. sui Regiminis Ecclesiastici Pacifici. quæst.* 1. *art.* 12. *fol. mihi* 163.

Societas ex fide, ac zelo in animarũ conuersione laudata.

74. * A MELCH. MALDONATO, ET SAAVEDRA *Episcopo Tucumanensi, Augustiniano, eximioque verbi diuini Ecclesiaste, qui in Epist. exhortatoria ad P. Didacum de Boroa Societatis nostræ Prouincialem in Congregatione Cordubæ Tucumanorum, sic in huius Prouinciæ commendationem, aureo, vt solet, calamo scribit.* Cum adeo, *inquit*, nobis probata sit SOCIETATIS fides, ac zelus, quo honori Dei, ac animarum conuersioni studet, nec minus compertum nobis sit, quam operam Ecclesiæ in hac Diœcesi hic Ordo Prædecessorum meorum tempore nauauerit, suam illis opem, ac labores cum Missionibus, cum Infidelibus ad Christum adducendis conferendo, ac vniuersim per Vrbes omnes quouis tempore, diu, noctuque cuilibet hominum generi ad animarum commodum inuigilando, Nosque ipso nostro etiam tempore experti sumus, ac suam præterea Paternitas Vestra nobis fidem obstrinxerit, hæc Christianæ pietatis officia in posterum non intermittenda, eam Regis, seu istarum Ecclesiarum Patroni, ac ipsius diuini Numinis, seu omnium communis Domini, cui soli dignis illa præmijs afficiendi facultas sit, ac nostro etiam nomine hortamur, hoc Deo, & Ecclesiæ suæ obsequium præstare velit, *&c. Ita apud Histor. Conuersionis Spiritualis Paraquariæ, auctore P. Ant. Ruiz de Montoya* §. 78. *fol.* 96. *Et ibidem* §. 79. *fol.* 97. *litteris ad Regem nostrum Philip. IV. subiungit.* SOCIETAS IESV est quæ verè Maiestatis Vestræ, ac Episcopi conscientias exonerat: quia in Vrbibus die ac nocte ad rudium institutionem, ac ægrotorum, præsertim vero Indorum ac Æthiopum expiandos animos, insigni charitatis, ac religiosæ vitæ exemplo incumbit.

Et ex Missionibus & Infidelibus ad fidem adducendis.

Et quia semper in animarum commodum inuigilat.

Episcoporum, ac Regis conscientias exonerans.

Insigni exemplo incumbens in rudium institutionem & præcipue Indorũ, ac Æthiopum,

Litera in Societatis defensionem.

* AB EODEM; *In responsione ad Epistolam D. Fr. Bernardini de Cardenas Episcopi Paraquariæ.* Ad duo puncta, *inquit*, quæ affert Epistola Vestræ Dominationis Illustriss. mihi est respondendum. Primum est vestræ Illustrissimæ ex Prouin-

cia

cia Paraquaria Episcopatu suo expulsio, vbi dicit me, Vicariumque meum, publica præconis voce declaratos fuisse suspensos, seu Pontificia administratione interdictos. Secundum punctum est, Tumultuum illorum causam fuisse SOCIETATEM IESV, quam ad reformandos Episcopos institutam esse affirmarunt, & alia quæ sapiunt hæresim, aut certè sunt hæretica. Ad Primum respondeo, tantam ventorum insaniam, huc inde perflauisse, vt ad plurimorum aures pertulerit, non quidem bonum, nescio tamen ego an verum. At quod eorum causa fuit SOCIETAS IESV, & fœtus tam horrendos pepererit, credo id me legere in litteris Vestræ Ill^mæ. & credo etiam quod in Epistola Domini Francisci Lupertij Prouincialis SOCIETATIS IESV perlegi, quam penes me habeo, & est breuis narratio, modestissima, & summæ reuerentiæ & venerationis erga Vestram Ill^mam. absque vlla criminatione, vel querela, imò absque vel minimo indicio alicuius actionis Vestræ Ill^mæ. Epistolam Epistolæ contuli & inueni in Epistola P. Prouincialis modestiam, & prudentiam viri nobilissimi, & Religiosi è SOCIETATE: cuius Domine mi, neque Vestra Illma. neque ego possumus inficiari, nos fuisse discipulos, & edoctos ab ea multum boni: Inueni autem in Epistola Vestræ Ill^mæ. quod aures præbuerit sinistris relationibus, quas in illa regione fieri arbitror contra meliores: credat Vestra Dominatio Illma. Dæmonem non nisi aduersum se præliantes, illic arma capessere, & bella mouere. Si fecit ibi SOCIETAS, vt ego, Vicariusque meus suspensi promulgaremur, tantum apud me valent actiones istius Religionis in ijs quæ spectant ad diuinum obsequium, & adeo mihi perspectus est zelus illius, vt si fecerit, factum oportuit; sin autem, non oportuit, credat Vestra Dominatio, SOCIETATEM id non fecisse. Domine mi, defensione nostra non indiget Vestra Illma. SOCIETATEM debeo defendere, quia quid sit SOCIETAS IESV noui à puero, sicut & Vestra Dominatio, & ambo debemus tueri iustitiam illius

Eius actiones, ac zelus commendantur.

Persequitur Paraquariæ, eum honoratur Romæ, in Gallia, &c.

communitatis, quæ dum in Paraquaria persecutionem patitur, Romæ filij & fratres Regum, & Limæ Episcopi eam quærunt, quorum alter Regna sua, alter Episcopatum relinquit, vtin eius claustris saluetur: Ecclesia vero Lugonem ex ea ad Purpuratorum Patrum dignitatem Eminentissimam euehit, cuius opera vtatur in rebus maximi ponderis, atque momenti. Rex Galliæ inter brachia Societatis emoritur: ipsamet Ecclesia Brachium suum Dextrum eam nominat: Bibliothecæ totius Orbis non capiunt eius volumina pro defensione fidei Catholicæ, & contra hæresim composita: heri exorta est ista Religio, & hodie referta est Martyribus, quorum nullus passus est vt Hæreticus, *&c.* Ad punctum hæreseos respondeat Vestra Dominatio Illma. homini qui talia refert, mentiris; arripiat flagellum, eum de Templo proiiciat, exturbet, & eliminet ab aula sua, & tandem ab huiusmodi nebulonibus conquiescet, *&c.* Domine, vnum est notatu dignissimum, quod in omnibus istis Regnis, non dicitur de Societate IESV, quod in Paraquaria sese insinuet, & inferat in domos feminarum, & eas sollicitet, neque similia, quæ ad mores pertinent, ad nos perferuntur, quæ quidem cum sint humanæ naturæ ingenita, creditu faciliora forent: verum permisit Deus ea confingi, & adscribi viris Dei, quæ suapte naturâ sunt improbabilia, ab humana fide longe aliena, & quæ quamuis illi conticeant, suomet horrore refelluntur: magna tamen iniuria illata est eis, Hæreticos eos appellando, & cetera commentitia, & vero dissona eis imputando, sed & præclaram admodum defensionem præseferunt, silentium suum in tantis opprobrijs, & contumelijs, imo honorifice & reuerenter loqui de Vestra Dominatione Illma. & de nullo querelas agere, à quo atrociter mordeantur, *&c. Hucusque Epist. tanti Prælati quæ (sicut aliæ fideliter latinè traductæ) refertur in Memoriali ad Philip. IV. Matriti typis mandato per P. Iulian de Pedraza ann.* 1657. *pro Prouin. Paraquaria Societatis fol. mihi* 118. *Cuius innocentiæ propugnaculum firmissimum*

Plena voluminibus pro fide, & contra hæresim.

Referta Martyribus.

Eius silentium in opprobrijs, & contumelijs.

vel

vel hæc sola Antistitis Tucumanensis Epistola vere aurea, esse potest.

75. Ab Ambrosio Viola *Episcopo Laquedonensi ex Ordine Prædicatorum in Approbat. libri P. Sfortiæ Palauisini (iam Cardinalis meritissimi) cui Titulus est, Vindicationes Societatis, sic ait:* Ad omnem securitatem arcem construit munitissimam, atque sanctam Iesv Societatem vineam Domini electam sepe ita circumdat, vt iam amplius serpere insidiantes minime valeant: & quod maius est legentes mirifice allicit, rapitque; fateor (sic me experiente) mira suauitate in Societatis dilectionem cogit.

Ars munitissima, ac vineæ Domini electa. Ier. 2. 21.

76. A Thodoro *Episcopo Paderbonensi, qui cum Vniuersitatem in sua Diœcesi fundasset, eamque Societati traderet, dixisse fertur*, Se affectu, zeloque boni publici, quà religione, quà sapientia procurandi, propagandique, Religioni quidem Templum, sapientiæ vero Gymnasium Academicum, Collegium vero Patribus Societatis Iesv, tanquam fidis vtriusque thesauri dispensatoribus æternum consecrasse. *Ita in Panegyrico, quem Archiducalis Academia Molshensis Leopoldo Archiduci Austriæ, eius Fundatori dicauit lib. 4. c. 6. fol 253.*

Eius filij vtriusque Thesauri religionis ac sapientiæ fidei dispensatores.

77. A Ivlio Spinola *Sedis Apostolicæ Neapolitano Nuncio, qui peste ibi ingruente, hanc Epistolam 4. Septemb. ann. 1656. Italice dedit ad Gosvvinum Nikel Societatis Præpositum Generalem.* Quemadmodum (*inquit ille*) animo concepi semper, quod vnum è maioribus, magisque conspicuis, quæ habet Dei Ecclesia, ornamentis sit Societas Iesv, ita infinite sum gauisus, cum vndique personare audirem applausus, quibus est celebrata, quod in hisce, quas hæc Vrbs perpessa est, calamitatibus operam suam plane singularem, ac præcellentem exhibuerit in exercitatione facinorum veræ ac flagrantissimæ charitatis. *Ita apud P. Ioan. Nadasi in Heroibus, & victimis charitatis Societatis fol 546. vbi ille subdit supersedeo alijs adscribendis, quæ istic laude alios supergressa testatur singularis magni illius Præsulis erga Societatem propensio, & elegans calamus egregiæ erga nos*

Societas vnum ex maioribus, magisque conspicuis ornamentis, quæ habet Ecclesia.

Eius operæ singularis, ac præcellens in exercitatione veræ, ac flagrantissimæ charitatis.

voluntatis interpres Nam ea tametsi authoritatem habeant à manu illa, calamoque profecta; cum tamen tanta sint, vt ea per modestiam referre nobis non liceat, malim nos eam eius laudem potius mereri, quam scribere.

78. AB ERNESTO *Guilielmi Bauariæ Ducis fratre, is Leodiensis Pastor, ac Princeps creatus, tam præclara Sociorum, qui adhuc Leodij egerant, opinione imbutus, vt hæc ipsa verba ad Generalem Claudium scripserit,* Cum autem Vestræ Societatis Patres in dicta nostra Ciuitate concionibus, & Sacramentorum administratione ab eo, quo ibi cœperunt esse tempore, talem in Catholica Ecclesia, & religione profectum per Dei gratiam fecerint, vt omnibus alijs circumuicinis Prouincijs Belgicis in hæresim, & seditiones varias lapsis, sola Ecclesia, & patria Leodiensis religionem Catholicam retineat, nullisque hæreticis locum concedat, omnem adhibere operam tenemur, & desideramus vt id sit perpetuum; Patres vestri tanti boni auctores nullam vnquam è nostra ciuitate, & Prouincia recedendi occasionem habeant, sed ipsis de Ecclesia, & loco professioni ipsorum maxime idoneo, doteque sufficienti prouideatur. *Hactenus ille; qui vrgente Leuino Torrentio insigni viro pietate, ac literis Collegium absoluit. Ita Par. 5. Hist. Soc. Tom. 1. lib. 1. n. 180.*

Principis Ernesti noui Antistitis Leodiensis in Societatem fauor.

Is Collegium absoluit, à Card. Gerardo inchoatum.

79. A VASCO DE QVIROGA *Episcopo Mechoacanensi in Regno Mexicano: Is, perlata illuc fortè primâ famâ confirmatæ per Sedem Apostolicam Societatis* IESV, *institit vehementer, misso etiam ad hoc in Hispaniam vno è suis familiaribus, lecto venerandoque Sacerdote, vt aliquot è socijs ad se mitterentur, quod vbi tum impetrari non potuit, ad reuersum infecta re Canonicum Pius Antistes, Spiritu sancto Auctore, vt viri Sanctitas, & euentuum fides probat, hæc ipsa verba protulit:* Nunc quidem digni non fuimus: sed erit tempus quando huc quoque SOCIETAS IESV veniet ingenti harum gentium bono. *Mortuo deinde optimo Præsule cum esset auditum ab eius Canonicis de aduentu nostrorum in Mexicum, ijs missa statim legatione Pascuariam accitis, ædes ipsa sacra, in qua,*

Aduentus Societatis frustra expostulatur in Mexicum.

Prædictus tamen est ingenti illarum gentium bono.

qua Vascus rem sacram egerat, vbique sepultus erat, cum adiuncta domo, quam inhabitauerat, nostris est tradita. Ita Ibid. lib. 5. num.208.

80. A PHILIPPO SEGA *Apostolico Nuncio: qui aduersus morum, & opinionum monstra, nil prius curandum censebat, quàm vt talia per Germaniam propugnacula (nempe Societatis Collegia) passim disponerentur. Hancque vnam offerri maxime expeditam, & efficacem remedij viam.* Quippe cum (*aiebat*) & recta vita, & casta doctrina esset necessaria, vtramque Dei gratia laudem in Societate constare, vt nihil magis terreret Hæresiarchas, seu confirmaret Catholicos, seu populos per simplicitatem captos explicaret. Quare videri (*subiungebat*) diuinitus ad conseruandam religionem & expugnandam impietatem genitam prouectamque, & roboratam hanc aciem. *Sic Ibid. lib.6.n.46.*

Iudicium de Collegijs Societatis honorificum.

Illa, Acies est diuinitus missa, ad conseruandam religionem, & expugnandã impietatem.

81. * A IOSEPHO GONÇALEZ *Episcopo Palentino, Comite de Pernia ex Illmo. Prædicatorum Ordine ser. in Canoniz. S. Ignatij Vallisol. typis edito ann.1622. vbi probat* IESV *Societatem in Muliere illa Apocaliptica amicta sole, ac stellis coronata, figuratam, & sic eleganter discurrit à fol.4.* Vestis (*inquit*) Symbolum protectionis est: sol Christus Malach.4. Orietur vobis timentibus nomen meum sol Iustitiæ. Societas ergo, IESV sole vestitur, quia sub eius protectione, & vmbra tegitur, ac protegitur: quam protectionem Ignatio fundatori Romam eunti promisit idem IESVS Crucem baiulans, sic alloquens, Ego vobis Romæ propitius ero. Lunam sub pedibus Societas habet, quia omnem mutabilitatem calcat: semper vna, ac sibi constans Societas est, quæ non sicut luna mutatur. Et in Capite eius Corona stellarum duodecim, quia filijs vere Apostolicis tanquam stellis fulgentissimis coronatur, secundum illud Dan.12. Qui ad Iustitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ, *&c.* Erat habens in vtero Mulier illa: Felices partus huius Religionis demonstrat, de qua dixerim quod de sponso sponsus Cant. 7. Venter tuus sicut aceruus tritici. ò felix

Et quæ in Muliere Apocalyptica figuratur. Apoc.12. 1.

IESV Sole vestita. Malac.4.2

Lunam habet sub pedibus, omnẽ mutabilitatem calcãs.

Filijs tanquam fulgentißimis Stellis coronatur. Dan.12.3 Apoc.12.2

Eius partus quam felices. Cant.7.2.

felix Mulier Societas! quæ tantam Sanctorum multitudinem tuis claudis viſceribus, alij iam nati ſunt, naſcituri alij, ſemente adeo fecunda, vt Ignatio gratulari poſſemus verbis ipſis, quæ vnus ex amicis Iobo dixit. Et ſcies quoniam multiplex erit ſemen tuum, & progenies tua ſicut herba terræ, & ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur aceruus tritici in tempore ſuo. Tandem. Cruciabatur, vt pareret. Sic Societas, cui bene conuenit locus ille eiuſdem Iobi cap. 39. Nunquid parturientes ceruas obſeruaſti? dinumeraſti menſes conceptus earum; incuruantur ad fetum, & rugitum emittunt. Et vt de Cerua obſeruat Plin. lib. 8. c. 32. apertum cum ſerpentibus bellum gerit, quos è ſuis ſpeluncis vel ſola reſpiratione trahit. Hæc Cerua Societas eſt, quæ cum Hæreticorum ſerpentibus ſemper belligerat: & quo tempore Lutherana peſtis per Germaniam graſſatur, nata in Hiſpania hæc Religio eſt, vt antidotum contra ipſam & Hæreticos, quos diris illa preſſa doloribus Eccleſiæ parit. *Hactenus inter alia multa Præſul Illuſtriſſimus.*

In quibus ceruam æmulatur: & in aperto bello cum Hæreticorum ſerpentibus.

Quos diris preſſa doloribus Eccleſiæ parit.

CLAS-

CLASSIS V.

AB INQVISITORIBVS.

1. * A SVPREMIS CASTELLÆ *Ex decreto eorumdem sacræ fidei Quæsitorum in vniuerso Hispaniarum Regis Imperio, cum igni publico in foro damnati fuissent Satyrici, quos in Societatem* IESV *ac eius Institutum, & viros effuderant Mag. Franciscus Roales alijque annonymi typis, sed incertis, presso locorum ac Auctorum simul nomine dati libelli, ac ad id re præstandum dies in dicta: vbi ea affulsit, & quidem Apostolorum Principibus sacra 29. Iun. 1634. prono ad Occasum iam sole, solemnis equitatus instructus ex more præcedente non sine maximo circumquaque strepentium tubarum ac tympanorum clangore eiusdem senatus vexillo, deducebant quadrupedem purpureo oloserico insulatam, arcaque onustam sat magna, flammulis in gyrum depictis infecta, vbi spurca illa nequissimorum librorum deliramenta concluſa. Itum per frequentissimas Matritanæ Aulæ vias, effundentibus sese ad spectandum vndequaque confertim populis, vsque dum ad indictum in foro primario locum, vbi iam Babylonicæ dixerim fornacis æmula flamma succensa, ventum est, vt ibi consisteretur. Tunc demum idem quod dum initium pompæ factum fuerat præconis voce relectum Senatus Decretum, sin minus in hæc verba, in hanc omnino sententiam.* Notum sit omnibus, quod cum per hos dies sacro Quæsitorum Senatui innotuerit ab impostoribus, licet plerisq; annonymis in lucem editos, sed flāmis deuotos famosos in Societatem IESV libellos omni impostrarum genere suffarcinatos, quibus Ordo Religiosissimus, eiusque Institutum falso carpitur, acsi politici, nec pij regiminis iura condiceret, in piorum perniciem edocenda, leges sanciret tam Religioso Ordine, imo Christiano quouis homine indignas, ideoque cum ipsis Religiosis in ordinem redigendas, idque præstitum ab eiusmodi veteratoribus, qui vespertilionum more in ipsa luce cæcutiunt, vt tanti

Ordo religiosissimus: cuius claritas ob nubi nequit sine Cath. Ecclesiæ detrimento.

Ordinis claritatem obnubant, eique plausum, quo hactenus eius viri excepti, adimant, & euertant non sine Catholicæ Ecclesiæ, cui diuino obsequentes Numini Societatis viri præsto semper adsunt, & adfuerunt hactenus detrimento. Cum ijdem Quæsitores pœnas exignotis, aut profugis Auctoribus reposcere nequaquam possint, eosdem censuerunt in suis eorum scriptis luculentius puniendos. Quamobrem septimo Idus Martias mandauit pleno senatus consulto, hoc anno publicis addictos flammis carnifice eos in ignem mittente comburi libellos, quibus singulares, & secretas admonitiones *&c.* Item Auisos secretos alos bien entendidos, *&c.* Demum Magistri Francisci Roales, *&c.* Tituli, & inscriptiones appositæ, vt qui calumniarum, mendatiorumque plenissimi, contra Ordinem, viroſque omni Sanctitate conspicuos, ac de Christiana Republica benemerentes, cui toti perpetuis perennibusque in dies singulos obsequiorum incrementis insistunt: quod vt omnibus innotescat, præconis voce præcipitur nunciari. *Vix præco hæc absoluit in foro non procul à flamma succensa cum Carnifex arcam deponit, aperit, & libellos omnes, ac demum arcam ipsam flammis commendat; nec enim aliam commendationem emerita eiusmodi Catholicorum (si tamen reipsa quisquam eorum Catholicus) calamorum inquinamenta. Pompa, inde ad D. Thomæ Aquinatis ædem eodem processit ordine, ibique repositò vexillo, ad sua quisque reuersus, Societate luculentissimè ab impostorum calumnijs vindicata. Hoc summatim sacrorum Quæsitorum Decretum ex Hispano idiomate latinè redditum, & Matriti publicatum die 29. Iun. ann. 1634.*

Viros habet omni Sanctitate conspicuos: ac de Christiana Rep. bene merentes.

Defensa contra maledicos.

Eius Institutũ Apost. Sedi acceptissimũ: Ecclesia laudatissimũ.

2. * AB HISPALENSIBVS: *Qui Vulgato Edicto quæcumque ad Societatis* IESV *encomia, & indemnitatem pertinent, pauciſſimis licet verbis, quibus oblatrantium lucifugarum verberata procacitas, luculentissime edixerunt*; Sanctissimum eius Institutum Apostolicæ Sedi acceptissimum, Ecclesiæque Vniuersæ laudatissimum, tum ex plurimorum Pontificum diplomatibus, tum ex Tridentini Concilij Oraculis. *Hispali sacro velut*

è tripode

è tripode pronunciarunt pœnis haud modicis in refractarios, & contumaces blaterones indictis protinus infligendis. Dat. 7. Mar. ann.1625.

3. A ROMANIS: *Quorum Consilio expendenda dederat Societas Priuilegia, de quibus in Gallia minuendis agebatur. At Sacri Quæsitores causâ Priuilegiorum accuratè considerata, tandem in hanc sententiam conuenerunt.* Priuilegia Patribus Societatis in Vinea Domini operantibus, à summis Pontificibus rectè concessa, & prudenter, vtiliterque ab ipsis exercita, nec reuocanda, nec minuenda, nec vlla præfinitione loci ac temporis videri, nunc quidem limitanda. *Ita Par.5. Histor. Societ. Tom.1. lib.6. num.68.*

Eius Priuilegia expensa, & integra seruanda decernitur.

4. A VALLISOLETANIS: *Cum speciatim vexaretur Societas tanquam Confessiones retegeret, adeo fœda maxime per Hispaniam hæc fama percrebuit, vt Borgia profiteretur, haud seueriores alias in Societatem procellas extitisse. Ille quidem tam diuersis pulsatus sermonibus, Vallisoleti Quæsitores conuenit, rogauitque, ederent ipsi Orthodoxæ doctrinæ Custodes quid tenendum in eo genere videretur. Quippe Societatem neque huic, neque diuersæ affixam sententiæ, id modo cupere recta ire via; proque tenuitate sua fideliter, ac sapienter Deo Domino, salutique hominum deseruire. Cui responsum est:* Qua ratione in Confessionibus audiendis Societas vteretur, eam sancti Officij Collegio vehementer placere: solicitudinem omitterent, suoque ritu cœptis instarent, ipsos aduersis rumoribus occursuros. *Ita Par.2. Histor. Societ. lib.2. num.132.*

Contra calumniatores propugnata Societas.

5. A CÆSARAVGVSTANO: *Qui aduersus Decretum illud Sorbonicum in Societatis, & Apostolicæ Sedis contemptum euulgatum pro potestate edixit, vt* quisquis ea super re scripta haberet, ad sanctum Tribunal afferret: grauiusque de eo negotio obloquentes, tanquam de Pontificia, ac legitima Religiosi Ordinis approbatione male sentientes Sacro Magistratui indicarent. *Ita Par. Hist. Soc. lib.16. num.46. Sic Societatis famam Inquisitoris amor restaurauit.*

Et contra Sorbonicum decretum.

Detenta in Insulis fortunatis publica decreto.

6. * A CANARIENSI, *publico altero decreto statuente sub maiori excommunicatione, alijsq; pœnis puniarijs,* Ne quis Patres Societatis IESV ab Insula extraheret, nec phaselum, aut nauigium ad eorum discessum pręberet. *Ita apud Euseb. in vit. B. Borg. lib. 3. cap. 10. Tanta è Societatis præsentia vtilitas Insulanis emanabat.*

Ex Ignatio Parente laudata Societas.

Illustris literarum eruditione.

Vitæ exemplo celeberrima, & Ecclesiæ vtilissima.

Ignatius S. Inquisitionis affectissimus.

7. A PARAMO *Siciliano, sic Societatem, eiusque Caput ac fundatorem mirificè commendante.* Pater Ignatius Loyola (*inquit*) vir nunquam satis pro dignitate laudatus, siue vitam eius admirabilem, siue ipsum à Deo Optimo Maximo electum ad instaurandam Religionem illustrem literarum eruditione, & vitæ exemplo celeberrimam, siue Ecclesiæ Catholicæ vtilissimam consideres. In hoc ergo Patre tam insigni visus fuit maximus pietatis affectus, & intensum valde sanctæ Inquisitionis Tribunali omnibus in rebus obsequendi seruiendique desiderium, dabat operam, vt huius Tribunalis auctoritatem ad fidem ipsam tuendam apprimè necessariam, quam maximè posset per se, & per suos conseruaret. *Sic ille de Origine Inquisitionis lib. 2. Tit. 3. cap. 2. num. 3. Et cap. 4. num. 12. subiungit.* Nostro autem sæculo missus est Ignatius de Loyola Societatis IESV Institutor, quem anno 1521. glorioſus Deus in Pampelopolitana arce vulnerauit, vt sanaret. Et vt vanitatis vile mancipium, Ducem fortem efficeret, & Luthero tanquam acrem Ecclesiæ suæ Propugnatorum opponeret. Quo in tempore Martinus Lutherus quasi furia quædam exitialis cum perditorum manu ex orco emersit, vt Catholicæ Ecclesiæ statum labefactaret, eodem ipso tempore Deus, qui Ecclesiæ curam vel maximam habet, alterum virum excitauit Luthero dissimilem, penitusque contrarium, Ecclesiæ Defensorem, acerrimum Hæreticorum Hostem, Christiani Imperij Amplificatorem. *Quid hoc testimonio luculentius in Parentis Ignatij, filiæque Societatis commendationem?*

Is acer Ecclesiæ propugnator, ac defensor.

Luthero dissimilis, & Hæreticorũ hostis acerrimus.

Christiani Imperij Amplificator.

8. * A PETRO ALVAREZ DE PAREDES *Inquisitore Olisipponensi, qui sancti Tribunalis Lusitani nomine sequens de Societate testimonium dedit.* Quod de Societate sentio secundum præ-

præsentem iustitiam, id est, Hos Patres esse Ecclesiæ Dei admodum necessarios, maxime temporibus adeò periculosis, ob eorum vitæ sinceritatem, bonum exemplum, quod sua doctrina omni personarum generi incessanter præbent : ab huius mundi strepitu remoti sunt, ac rebus spiritualibus dediti : humiles, ac proximi salutem zelantes : ad Euangelicam doctrinam extendendam nullis laboribus parcunt, & iuxta Euangelij consilium prædicant Regnum Dei, vt homines pœnitentiam agant : à nostra sancta fide apostatas ad Ecclesiæ gremium reducunt : & postquam in hoc lusitano Regno commorantur, multiplices suo sancto zelo fructus fecere ; iam multos reducendo, iam reformando ad melioris vitæ statum. Virtutis amatores sunt, & inter eos viri nobiles, quibus inest viuida virtus : Reipublicæ, & toti Regno proficui ; in hac enim Ciuitate Olisipponensi, Conimbricensi, & Eborensi in tradendis literis latinis, ac Græcis diligenter se exercent. Prædicant, & sua solida doctrina ac continuis confessionibus Prælatos iuuant : vberem fructum perpetuæque laudis dignum inter infideles in Orientali India, Iaponia, Brasilia, Africaque faciunt : ideo nec hostibus carent, qui de illis res omni destitutas veritate euulgant, cum hæc Congregatio, & qui in ea sunt, Euangelicæ legis defensores, ac sal terræ merito possint appellari. Ideo portæ inferi non præualebunt aduersus eos, & merces eorum copiosa est in cælis. Ego firmam in diuina misericordia spem habeo, quod dum hæc beata Societas in hac spirituali harmonia permanserit, & fulgebit in Ecclesia Dei splendor firmamenti, & velut stellæ in perpetuas æternitates permansuræ. *Dan.* 12.3. Ac tandem omnes qui præsunt, debent omni conatu tam vtilissimum, ac bonum statum defendere, filijsq; Belial resistere, qui moliuntur destruere vineã Sabaoth. Ergo nouissima mea eorum similia, & qui benedixerit eis erit benedictus, & qui maledixerit eis, maledictionibus reputabitur, *&c. Hæc inter alia multa, in Societatis laudem lusitanus Inquisitor; apud P. Tellez in chron. Hist. Soc. lusit. l. 6. c. 17. f 578.*

Egregium Inquisitoris testimonium de sociorum virtute, zelo, fructu, &c.

Ij sunt Euangelicæ legis defensores, ac sal terræ.

CLASSIS VI.

A SACRIS SENATIBVS.

Societas in Ignatio Fundatore laudata.

1.* AB HISPALENSI *In Edicto ann. 1628. die 28. Junij promulgato, sub Eminentissimo Domino D. Didaco de Guzman Cardinali S. R. Ecclesiæ, & Præsule Hispalensi: in quo Edicto Festum Sanctissimi Parentis Ignatij velut proprium illius Ecclesiæ, & lege lata sanxit, vt ritu duplici celebraretur, illudque sic se habet.* Animaduertentes magnam obligationem, qua cuncti tenemur erga D. Ignatium Loyolæum, tribulem nostrum, totius Hispaniæ superioris sæculi, & huiusce nostri decus, & Ornamentum: illius vero Religionis Parentem, quæ suis virtutibus, doctrina & exemplis vberrimos, & cumulatissimos fructus de tota Dei Ecclesia, imò de toto terrarum Orbe benemerita tulit, & fert etiamnum: cui quidem cumulatissimam gratiam referre debemus, & tanti Sancti intercedente patrocinio nobis plurima certe beneficia polliceri. Animaduertentes, inquam tot titulis, & nominibus nos adstringi, & magno dilectissimorum Fratrum nostrorum Decani, & Senatus Ecclesiastici consensu, facultate nobis à Summis Pontificibus, Sacris Concilijs, & iure communi concessa vtentes, prædictum Sancti IGNATII Festum accipimus, & amplectimur iuxta Concilij Tridentini decreta, vt in nostra Metropoli, & in ceteris huius Ciuitatis, & Archiepiscopatus Ecclesijs, & in omnibus eius Conuentibus, & Monasterijs & ab omnibus personis Ecclesiasticis in choro, & extra chorum die 31. Iulij ritu duplici celebretur: quemadmodum aliorum Sanctorum Hispanorum, & maximè Patriarcharum festa eodem ritu duplici celebrantur. *Hæc Senatus amplissimus, & inter omnes alios nobilissimus, ac celeberrimus, in suo Edicto (in summam Ignatij, & Societatis laudem elaborato) & latinè ex Hispano idiomate, edito; vt videre est apud P. Anton. de Quintanaduenas de Sanctis Hispal. fol. 348.*

Hic decus, & ornamentum Hispaniæ, ac sui sæculi.

Illa virtutibus, doctrina, & exemplo fert cumulatißimos fructus.

De tota Dei Ecclesia ac terrarum Orbe benemerita.

* AB

Commendatur in Xauerio Indiarum Apostolo.

* Ab Eodem: *In altero simili Edicto non minus Societati, & Xaverio, honorifico; in quo tanti tamque celeberrimi Indorum Apostoli Festum velut proprium eiusdem Metropolitanæ, tantus, tamque sacratissimus Senatus recipi iubet, & lege lata sanxit, vt ritu etiam duplici 2. die Decembris celebraretur. Quam quidem legem Doctor Dionysius à Monteserrato Eminentissimi Domini D. Gasparis de Borja Vicarius Generalis, & Proepiscopus ann. 1635. die 19. Nouembris, totius eiusdem Senatus vnanimi conspiratione promulgauit. Edictum igitur erat huiusmodi.* Considerati, & attenta mente perpensis nominibus pluribus, quibus ad D. Xaverivm singulari studio, ac pietate colendum, deuincimur, quia scilicet Hispanus est, Hispaniæ nostræ, præteriti, & præsentis æui coruscum iubar: quia flos primæuus est, primarius, princepsque fructus Illustrissimæ Religionis Societatis Iesv, cui tot, tantaque debet Vniuersalis Ecclesia propter vberrimos, eximiosque fructus, quorum accessione ditata, & nobilitata fuit, & etiam nunc concionibus, literis, & exemplis ab ea locupletatur: maximè vero quia Diuinum Numen præpotentem manum suam in hoc sancto efformando heroicis virtutibus, & exemplis, ardentissimo animarum zelo, portentosis miraculis, singularique Apostolicæ Vitæ dignitate eum decorando, & illustrando ostentauit. Vnde & ab ipsa sancta Sede Pontificia (quæ sancto spiritu regitur, & gubernatur) in eo diplomate, quo in Diuos relatus est, Indiæ Apostolvs haud semel nuncupatur: quippe qui Orbi nouo in tenebris sedenti sol nouus fidei facem prætulit: in remotissimas etiam & ignotas nationes Christi cultum primus inuexit: infinitasque propemodum Barbarorum miriadas Christo Domino conciliatas, Sacro baptismatis fonte lustrauit; vt idem testatur Diploma. Quia vero ex publico tanti sancti cultu, & veneratione, & è solemni eius festi celebratione, nouas opes, & auxilia in nos emanatura speramus, communi consensu DD. Decani, & Senatus Ecclesiastici prædictum Festum complectimur, &c. *Ita vulgari*

Qui est Hispaniæ, ac sui æui coruscum iubar.

Flos primæuus, ac primarius fructus illustrißimæ Societatis.

Cui propter vberrimos fructus plurimum debet vniuersalis Ecclesia.

Et cuius concionibus, literis & exemplis locupletatur.

Sol nouus Orientis fidei facem præferens:

gari etiam Idiomate habetur apud citat. Auctorem Ibidem fol. 367.

In Societatem falsa criminatio.

2. AB SPIRENSI. *Comitis Palatini instinctu Senatus secularis Spirensis, Antistiti & Canonicis supplicauit, vt Iesuitas expellerent, in libelloque supplici, aiebant, Societatem esse perniciosam hominum sectam, paci, libertati, religioni aduersam. Per eam irritato vicino Principe, penuriam rerum induci, qui propterea à sua ditione ligna, & commeatum exportari non pateretur. Iesuitis electis omnia pollicens, ipsamque per se Societatem, vt in Vrbe tanto conuenarum numero pressa, grauem esse. Ad quæ Canonici respondere.* Ordinem à cunctis Christianis receptum Principibus, non sine graui contumelia pernitiosam appellari sectam, nec posse dictum, aut factum Iesuitarum aduersarium paci proferri. In eosdem per inuidiam, & sane leuiter apud gnaros rerum annonæ grauitatem conferri, vicinorumque Principum offensionem: cum ante eorum aduentum nihilo fuerint vicini clementiores, nec annona laxior: licere Clero suum Ordinem absque senatus iniuria augere: nec posse Clericos prohibere, quin suam habeant familiam. Quod si vel ad docendum, vel ad alia munia pro Iesuitis Clericos seculares instituant; hos vbi suam quisque conflarit familiam, quamuis paucos, Iesuitis multis fore Ciuitati grauiores. *Sic Par. 4. Hist. Soc. lib. 1. n. 87. vbi additur: Hæc Ecclesiasticorum constantia effecit, vt cum iterum senatus deferret querelas, contumeliosis vocibus abstinens, imo, & laudibus ornans Societatem, pacis tamen causa mitti postularet. Sed Canonicis, atque Andrea ab Obersteino in primis Decano grauissime propugnantibus: &, si quid haberent, ad legitimam iudicij formam prouocantibus, quieuere.*

Spirentium Canonicorum benigna responsio.

CLAS-

CLASSIS VII.

A RELIGIOSIS.

ERubescit hic, fateor, mens scribentis ad Religiosorum virorum ingens studium, quo certatim illi velut vno agmine, non in vrbe solum, sed in ipso passim Orbe, & prosecuti nascentem sunt, atque robustam agendo patiendoque fortia, Societatem. Ab illis summæ erga nos voluntatis ac beneuolentiæ edita signa referre gratæ Societatis candor hortatur, & imprimis.

A BENEDICTINIS.

Ioachimi Abbatis de Societate prædictiones.

1. A IOACHIMO *Abbate Floriacensi Monachorum tum præclari Ordinis Illustri germine, quem de Sanctissimo nostro Sodalitio vaticinatum fuisse multis retro sæculis Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus, Antonius Zara Petinensis Episcopus, & alij graues Scriptores putauere. Vt autem Ioachimi mens melius intelligatur, aduerte, in omnibus Operibus suis Tres Ecclesiæ status statuere: Sex autem ætates: & vbicumque de fine secundi status Ecclesiæ, vel de sexta ætate sermo fuerit, omnia ad tempus Societatis* IESV *conuertit; quam dicit futuram in Ecclesia in fine secundi status, & in principio Tertij, & in sexto Tempore, cuius plurimas in sacra Scriptura figuras recognoscit in varijs suorum Operum locis dispersas.*

Eius Nomen prædictum.

Et primo Societatem ex NOMINE *notat cap. 3. Apocal. Vers. 9.* Designatur autem (*inquit*) vt iam diximus in sexto mense, sextum Tempus Ecclesiæ, in quo oportebat concipere spiritualem Ecclesiam, haud dubium quid nouum quemdam spiritualem intellectum, siue etiam promissionis filios, & Prolem præ ceteris spiritualem. Hoc est ipsum ORDINEM,

QVEM DESIGNABIT IESVS: qui videlicet ORDO præ multis alijs, qui præcesserunt eum amabilis, & præclarus est. Multiplicandus vero & dilatandus in tertio illo statu sæculi, qui in tempore nouissimo futurus est.

Et peculiaris summo Pontifici Obedientia. Ier.21.1.

Secundo prædixit ex Obedientia Summo Pontifici ab hac Religione præstanda, de qua Hieremiæ cap.21. arbitratur in Hieremia à Filio Melchiæ præfigurari. Quia ORDO ille (*inquit*) futurus AD OBEDIENTIAM SVMMI PONTIFICIS dirigetur. *Non potuit vllo alio signo perfectius* Societas IESV *demonstrari, quam vocando Ordinem dirigendum ad obedientiam Summi Pontificis: tota enim Societas* IESV *ad professionem Obedientiæ Summi Pontificis ordinatur, in quarto suo Obedientiæ Voto, quod ab eius Professis emittitur.*

Societas Iacobi Scala. Gen.28. 12. *Dux Eius prædictus.*

Et Cap.3. in Hierem. cit. de Beatissimo Parente Ignatio, ab eoque fundata IESV *Societate in Iacob, & Scala prænotatis hæc asserit.* Sane (*inquit*) quod Iacob proficiens obediendo in sæculo Scalam vidit, & Angelos Dei, statuit lapidem, fudit oleum, Portam, & Domum Dei nominauit, totum intorquendum est ad DVCEM illius ORDINIS, & ad initium vitę eius, Scala Religio est, Angeli Prædicatores eorum: descendunt ad reos, & ascendunt ad iustos. Dominus innixus Scalæ Spiritus Sanctus est, roborans Ordinem eorum, Gradus Scalæ profectus illius sunt, & alij Ordines Pœnitentium sub eo, quia fortè in ipso Ordine præter Doctores, erunt Clerici, qui Deo seruiant, laici qui continenter & religiosè viuant. Oleum deuotio, Petra fides, quam subterposuit Capiti suo. Quia OBEDIENTIAM, ET REVERENTIAM EXHIBEBIT CAPITI SVMMO PONTIFICI, & tenebit, & obseruabit omnia, Apostolicam fidem, & Catholicam doctrinam Ecclesiæ, quæ est Domus Dei, & Porta Cæli, & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam; maxime cum Ostium sit aperiendum in Cælo ad prædicandum Euangelij veritatem. *Vbi vides totam œconomiam Societatis* IESV *sæculis anteactis nunquam auditam à Ioachimo per Gradus Scalæ (vocantur enim in Societate* GRADVS) *di-*

Et Gradus varij in Ea.

lucidè

lucide depictam: vides Ignatium Ducem illius Ordinis nominari, non Fundatorem, quia qui in bello sæculari Dux sæcularis militiæ fuerat, in Spirituali militia Dux, & Generalis nouæ Societatis dicendus erat. Et bene in Iacob præfigurantur initia vitæ eius, qui claudicabat pede æreo grandine Pompeiopoli percussus, sicut Iacob ab Angelo: vides etiam Doctores, Professos Societatis nominari, & sub his Coadiutores formatos, Spirituales Clericos quidem virtute conspicuos, & Scholasticos, sed infra Gradum Professorum positos, & Laicos, qui Coadiutores Temporales sunt. Gen. 32. 31.

Et cap. 4. vtrumque repetit, vocatque Religiosos Societatis Aquilas ad compassionem cadaueris, & contemplationem diuinitatis. Equos ad fortitudinem, & obedientiam MISSIONIS. *Quibus addit*: Isti sunt omnes fortes quoad fidem, & quoad tribulationem sustinendam, varij quoad religionem multiplicem: Iste ORDO mittetur per Obedientiam ex Arca Ecclesiæ, & summi Pontificis Noë. *Vbi vides nec* MISSIONES *Societatis reticuisse in sua Prophetia Ioachimum, & Obedientiam summi Pontificis, à quo mittendi sunt Societatis Religiosi.* *Eius Missiones.*

Et cap. 15. eiusd. Hierem. ad illa verba: Non fæneraui, neque fænerauit mihi quisque, *Societati conuenire his verbis testatur*: Quia prædicabunt (*ait*) sine STIPENDIO cupiditatis, nec ipsi prædicabuntur è stimulo correctionis, quia spirituales sunt; tamen maledicentur quasi seductores, sed ipsi reliquiæ benedictionis erunt, & in bonum salutis mittentur, occurrente spiritu Dei in eos. *Et rursus Isai. cap.* 19. 1. Qui in nube dicti sunt, atque leues: hæ Nubes ascendunt de terra sæcularis vitæ ad excellentiam Religionis: leues quoad Paupertatem, non veritatis, vel virtutis, sed STIPENDII sæcularis. *Nil verius, & illustrius dici potuit. Siquidem Societatis* IESV *Religio nulla admittit Stipendia quasi pro Ministeriorum mercede.* *Et Ministeria sine stipendio.* Ier. 15. 10. Isai. 19. 1.

Et cap. 3. Apocal. huius Societatis admirabilem & proprijssimam notam affert ad ea Verba ver. 12. Qui vicerit faciam illum Columnam in medio Templi Dei mei, & foras non egredietur amplius. *Vbi solicite quærens, quid sibi velit hæc Dei promissio huic* Apoc. 3. 12. *Est Dominici Templi Columna.*

Societatis Religioni in Angelo Philadelphiæ figuratæ, & quid sit, & amplius non egredietur foras ! & quid fieri Columnam ? Competenter (*inquit*) assimilatur Columnæ Templi Domini qui vicerit in ORDINE ISTO, quia per vitam contemplatiuam tangit Deum, per actiuam proximos : foras autem non egredietur amplius, nimirum quia ante victoriam multi intrant EXPELLENDI postmodum. *Ecce tibi notatam* EXPVLSIONEM *multorum in* IESV *Societate vnicè obseruatam.* Expulsos *enim vocamus eos qui vsque ad victoriam inuicti non perseuerant. Et bene addit* Multi, *quia in alijs Religionibus, ob incorrigibilitatem expelluntar aliqui, sed rari & vere expulsi non sunt, sed à contubernio Religiosorum, nam Religiosi permanent etiam extra Religionem. Secus in Societate, à qua expulsi, Religiosi non permanent, & ideo proprie dicuntur expulsi.*

Multorum expulsio prædicta.

Et lib. 9. concord. cap. 13. Nec omisit Ioachimus Tempus, in quo futurus erat Societatis Ordo, quippe qui loco citato constanter asseuerat hunc Ordinem futurum, quando in Hispaniæ partibus ex Laicorum statu erigerentur Religiones, quæ in Xenodochijs pauperibus deseruirent. Quibus subdit : In quo ORDINE adimplebitur illud Prophetæ : & dominabitur à mari vsque ad mare, à flumine vsque ad terminos Orbis terrarum, ipse est ille populus Sanctorum, de quo dixit Angelus Danieli : Regnum autem, & potestas, & magnitudo Regis, quæ est subter omne Cælum dabitur Populo Sanctorum Altissimi. Hic est Populus ille Sanctus ORDO scilicet Iustorum circa finem futurus: de quo in typo Salomonis dictum est à Domino per Natham Prophetam : Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium. *Hæc Ioachimus. Omnibus autem notum est Societatem* IESV *fundatam fuisse in Ecclesia, quando in partibus Hispaniæ erectæ fuerunt Religiones Laicorum, nempe S. Ioannis Dei, & Antonij Martini ad seruiendum pauperibus in Xenodochijs.*

Et tunc nimirum quando Hæreticorum prauitas Gallos foret inuasura, per Societatis filios in eadem Gallia Hæresim deuastandam affirmat.

Et Tempus in quo nascitura.

Ps. 71. 8.

Locus etiam prædictus in Gallia.

Isai. 19. 1.

mat. Hoc est (*inquit*) quod Dominus Nubem leuem ascendit, Ægyptum intrauit (*id est Francos*) Idolaque commouit, quia profecto spiritus Domini in Prophetis futuris in hoc scilicet tempore reuelandis, in Moyse & Elia significatis Galliam visitabit, & idola studiorum carnalium dissipabit: & idcirco dicitur, commouebit simulacra, quia non solum studia, sed etiam Doctores applicabit Prædicatoribus veritatis, quia in Nube dicti sunt, atque leues. Hæ Nubes ascendunt de terra sæcularis vitæ ad excellentiam Religionis, leues quoad paupertatem, non veritatis, vel virtutis, sed stipendij sæcularis. *Vbi vides in Gallia studia, & Doctores applicatos Prædicatoribus veritatis, ibi enim Parenti Ignatio sanctissimo associati sunt ex Parisiensi Academia variarum nationum socij nouem, qui omnes Artium Magisterijs, & Theologiæ gradibus insignes erant. Quid autem in Gallia operata sit* SOCIETAS *circa Hæreticorum euersionem, & conuersionem, nemo ignorat.*

Et cap.3. Apocal. vers.13. addit Ioachimus tantæ SOCIETATIS *bonum à Deo Ecclesiæ prouidendum eo tempore, quo Hæreticorum pestes, & torrentes de abysso ad perdendam terram exire viderentur.* Et vt ostendam (*inquit*) quod dilexerim te, hoc erit tibi euidens, & optabile signum. Ecce in tempore tuo permittam exire bestias de abysso, pariter & de terra vt veniant simul ad deprædandam terram, & peccatores eius auferendos de terra, mundare scilicet abyssos nationum, & quasi torrentes Hæreticorum tempestuare de terra, vt faciam vindictam in semine nequam, & iudicium vltionis in filijs sceleratis, te autem assumam in sinu meo, & collocabo te in loco securo. *Hæc ille de* IESV SOCIETATE *in Angelo Philadelphiæ figurata: quæ tempore Lutheri contra Lutherum, & assectas armata prodijt: & apud omnes hæc diuina prouidentia mirifice commendatur, & merito.*

Et eo tempore, quo hæreses nascerentur. Apoc.9.3.

Sed quia in Ecclesia aliæ etiam erant instituendæ Religiones eo ipso tempore quo IESV SOCIETAS, *aliam ei adscribit notam, in qua ab omnibus cognoscatur. Scilicet eam Clericorum Regularium Religio-*

Clericalis Ordo prædictus.

nem futuram: vt constat ex cap. 15. Hierem. his verbis. ORDO (*inquit*) Ille futurus ad Obedientiam Summi Pontificis dirigetur, ita & nunc in exordio tertij ſtatus quædam primitiæ Chriſtianorum Clericorum, vtique fide ſanctificandi ſunt Deo, & mittendi & ſpargendi ſunt in vniuerſo Orbe, horum omnium Hierem. typum portat, qui fuit Nazarenus Deo conſecratus, *&c.*

Et cap. 30. in Hierem. fol. 59. col. 4. huius SOCIETATIS *Religioſos compellat*, Viros perfectos, defenſores veritatis, quorum conuerſatio in cælis eſt. Doctores ſacra Scriptura repletos;

Eius doctrina.

doctos à Domino, non homine, CLERICOS multitudine pacis filijs tuis ſpiritualibus in commune degentibus. *Et cap. 33. fol. 58. col. 3. eos vocat*, Miniſtros, & Sacerdotes Dei multiplicatos in operibus iuſtis ſuper ſtellas cæli, CLERICOS, & Religioſos. *Et paſſim alibi. Et quamuis aliæ erectæ ſint in Eccleſia Clericorum Religiones hoc tempore, nulla autem cuius filij mittendi, & ſpargendi ſint in Vniuerſo Orbe niſi* SOCIETAS IESV, *de qua hæc tam manifeſte vera Ioachimus prædixerat, vt nec horum* CLERICORVM *veſtem omiſerit*, NIGRAM *enim futuram dixit cap. 16. Hier. fol. 45. col. 1.*

Nigra veſtis.

Sed quod mirandum magis, eſt quod cap. 19. fol. 51. habet de noſtræ SOCIETATIS *Collegijs.* Gregem (*inquit*) ſequentium eos ducent ad interiora deſerti, religionis, & pacis, quos conuertent ad rura ſua ſpiritualia ſtudia; & creſcent in opere, & multiplicabuntur in doctrina; quia non formidabunt mundi miſeriam, neque pauebunt inferni ſæuitiam, & non quæretur ex numero; quia omnes vnanimes, omnes ſtabiles, omneſque paſcentur in ſtudijs ſpiritualibus, & accubabunt in

Collegia.

Quietis COLLEGIIS, ipſi erunt ſuper nato puero ORDINE futuro, in fine ſecundi ſtatus, & in principio tertij. *Vbi vides multa, quæ ſine dubio de* IESV SOCIETATE *prædicta negabit nemo: licet enim aliqua aliter ab aliquo interpretari poſſint: aſt omnia ſimul, quod intendimus, manifeſte demonſtrant.*

Et

Et cap.3. Apocal. v. 9. sæpissime contestatur in Angelo Philadelphiæ hunc SOCIETATIS *Ordinem præsignari, sub cuius tempore scripturarum veritatem ad lucem, venturam, prædicat his verbis:* Vt autem horum omnium, quæ dicta sunt, summam teneamus, Angelus iste, & Ecclesiæ eius ad tertium pertinet statum, magis quam ad secundum, & nouam quandam Plantationem designat, sub cuius tempore oportet veritatem Scripturarum, acsi de caligine noctis splendescere, & ad lucem venire. *Ad illa autem verba,* Ecce dedi coram te ostium apertum, *eiusd. Apocal. postquam huic* ORDINI *clauem Dauid datam arbitratur, hæc habet:* Promittit autem (*inquit*) Dominus daturum se ostium apertum coram Angelo Philadelphiæ, hoc est illi ORDINI, qui significatur per ipsum, & ita manifeste apertum, quod nemo possit claudere. *Et post modum.* Dixit autem Dominus contulisse hoc angelo Philadelphiæ (*nempe ostium scientiæ & doctrinæ apertum*) hoc est illi ORDINI, qui significatur in ipso, non quia antea datum non fuerit Doctoribus Sanctis, sed quia non ita solemniter quomodo in sexto tempore, cum omnia signacula erant aperta. *Quibus hæc præmiserat.* In Tertio illo statu futuros esse Doctores designatos in Christo, de quibus etiam per Angelum Danieli dicitur, qui ad iustitiam erudiunt multos, erunt sicut splendor firmamenti, & sicut stellæ in perpetuas æternitates; quia iam nuda erunt, & aperta mysteria, nec labor erit Doctoribus illis in docendo, nec perfectis discipulis in retinendo, qui erunt homines docibiles Dei.

Apoc.3.7

Scripturæ sacræ elucidatio prædicta.

Plantatio noua.

Et cap. 16. Hierem. multa passim affert de SOCIETATIS IESV *scientia, præcipuè fol.43. ad ea verba,* Et annunciabunt doctrinam nouam. *Et cap.30. fol.56. col.4. ait,* Veritatis defensores, Doctores sacra Scriptura repletos, doctos à Domino non homine, CLERICOS, *&c. Et cap.51. fol.85. col 2.* In quorum temporum incipiunt clarius videre veritatem. *Et cap 67. fol. 96. col.3. postquam multa retulerat de spiritu & feruore pietatis excitando in populo Christiano per huius Religionis Doctores, hæc addit.*

Ier.16.10

Eius Doctores annunciabunt doctrinam nouam.

Notan-

Notandum (*inquit*) quod in Tertio ſtatu nuda erunt myſteria & aperta fidelibus; quia per ſingulas ætates mundi multiplicabitur ſcientia, ſicut ſcriptum eſt, pertranſibunt plurimi, & multiplex erit ſcientia. *Quibus addit col.* 4. Plus glorificabuntur homines Tertij ſtatus, quia reuelata facie loquetur ſpiritus Sanctus omnem veritatem; quia erunt omnes docibiles Dei, quia erit illis Dominus in Patrem; & dominabitur à mari vſque ad mare, à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. *Adde his omnibus, quæ de perſecutionibus causâ doctrinæ ſuſtinendis ab hoc* ORDINE *aſſerit, ad illa verba ſupra relata*, Ecce dedit coram te oſtium apertum, *videlicet ſcientiæ, & doctrinæ*: ſunt enim (*ait*) nonnulli qui quærunt claudere Oſtium iſtud, ſpernentes prophetiam, & extinguentes ſpiritum, vt ipſi, ſoli in populo videantur Magiſtri, & doctrinæ occaſione poſſint inter homines principari, *&c. Et ſi placet, lege, & perlege quæ ibi notat contra impugnatores doctrinæ futuri illius* ORDINIS, *quæ quidem admiratione ſunt digniſſima, & modeſtiæ noſtræ referre non licet.*

Doctrina occaſione perſecutionem patientur. Apoc. 3. 8.

Aſt non omittere debemus, quæ de perſecutionibus ſuſtinendis ab illo ORDINE *ſæpiſſime notat, præcipue ad illa Apocal. cap* 3. *v.* 10. Quia ſeruaſti verbum patientiæ meæ, ego te ſeruabo ab hora tentationis quæ ventura eſt in Orbem Vniuerſum tentare vniuerſam terram. *Quæ verba dicta intelligit Angelo Philadelphiæ, id eſt prædicto* ORDINI, *quem ſignabat* IESVS, Idcirco (*inquit*) Ego diligo te, quia tu ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & viriliter egiſti contra vitia carnis, & ſpiritus, contra detractores, & deluſores: contra ſpirituales nequitias inimici. Verumtamen, & alio modo oportet Angelum ſeruare verbum patientiæ: hoc eſt pro veritate, quam annunciare tenetur; & vtique quàm multis non credentibus, & contradicentibus eidem veritati dicente Domino; ſi mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit: ſi de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret, quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea

Apoc. 3. 10.

propterea odit vos mundus, *&c.* *Et* Hierem cap. 49. *fol.* 45. Contra eos (*inquit*) sæuiet totus mundus.

His denique adiungenda explicatio illorum verborum, & Ego te seruabo *&c. in quibus affirmat seruandum illum* ORDINEM, *nempe* SOCIETATEM *in hora tentationis, hoc est in persecutione Antichristi*: Verumtamen (*inquit vers.* 15.) Etsi multi corruent in articulo isto, non tamen HIC ORDO, qui specialiter in illo Angelo (*Philadelphiæ*) designatur, quia, nec Iosue, neque Ioannes defecisse legitur, in quibus ORDO ISTE significatur. Præsertim cum promissio sit eum seruari ab hora tentationis, quæ ventura est in Orbem vniuersum, tentare habitantes in terra. Neque omnino tamen non est singulis timendum de seipsis. *Hucusque Ioachimus de* SOCIETATE *prænunciauit, vti refertur apud P. Fran. Salinas nouissime in Ionam cap. 1. quæst. 7. à num. 2. ad 15.*

Societas IESV seruanda in persecutione Antichristi.

His tandem omnibus addam Ego Prædictiones alias eiusdem Ioachimi de Societate, vt apud alios Auctores notatas inuenio. Et quidem ille lib. 5. concordiæ cap. 14. Insurget (*inquit*) vna Noua Religio Sanctissima, qua erit libera, & spiritualis: in qua Romani Pontifices potiti pace Ecclesiæ se continebunt. Quam Religionem, & Ordinem Deus super omnes alias diliget, quia perfectio illius vincet omnes alias aliorum Ordinum. *Et in cap. 1. Hieremiæ, quis iste Ordo futurus plane explicat dicens*: Reuelandi sunt in Ecclesia Doctores, Prædicatoresque fideles, qui terrena, & carnalia corda omni plaga percutiant: atque erectis, & tumidis Magisterijs silentium studijs suis imponant. (*Fortasse intelligit superbos Hæreticorum Præceptores Nostrorum confutandos opera, & industria.*) *Et bene filius Melchiæ Hieremias describitur, quia* ORDO ILLE FVTVRVS AD OBEDIENTIAM SVMMI PONTIFICIS DIRIGETVR. *Quibus verbis clarius non potuit nostræ Societatis Ordinem explicare, qui speciali* OBEDIENTIÆ VOTO *Summo Pontifici obstrictus est, vt supra etiam notauimus.*

Eius perfectio prædicta.

Et Doctores, ac Prædicatores Ecclesiæ fideles.

Et Obedientia Summo Pontifici.

Apoc. 14. 14.

Et rursus exponens cap. 14. Apocal. p. 4. c. 14. sect. 7. fol. 175. ad ea verba, Et super nubem sedentem similem filio hominis, *hæc habet:* Arbitramur tamen in eo qui visus est sedere super nubem candidam, & esse similis filio hominis significari Quemdam Ordinem Iustorum, cui datum sit perfecte imitari vitam Filij Hominis, & (sicut alibi scripsimus S. Ioannis Euangelistæ) habere nihilominus linguam eruditam ad Euangelizandum Euangelium regni, & colligendum in aream Domini vltimam Messionem. *Et postea addit:* Qui videlicet ORDO recte coronam auream habere describitur, quia in veritate certabit contra omnia vitia, & superabit ea. *Propterea de simili Filio Hominis subdit.* Aliquis ORDO futurus perfectorum virorum seruantium vitam Christi, & Apostolorum intelligendus est. *Hæc Ioachimus, qui floruit anno 1200. apud Nigron. Commentar. in Regul. Societ. Tit. par. 3. num. 11. Et etiam apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 1. cap. 2. fol. 62. Et Messam Verbo Societas* IESV *num. 52. Et Viegas in Apocal. cap. 3. Comment. 2. sect. 3. Et apud alios intra, & extra Societatem. Sed an hoc vltimum Societati conueniat, personet Lusitania, quæ Nostros,* APOstolos *nominat: Imo & Apostolorum Successores, vt dicit, & probat egregie eximius Doctor Suarez Tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 6. num. 7. In reliquis autem omnibus, quæ hucusque præmissimus signis demonstrantibus Societatem* IESV *facile quis persuaderi possit, de Ea, & non de alia Clericorum in Ecclesia Dei Religione, sermonem instituisse Ioachimum, quia omnia videmus apprimè conuenire Societati, vtpote in ipsa, quæ ab Eodem prædicta, ac prænunciata sunt, completa etiam videamus.*

Et perfecta Christi Domini imitatio.

Et Apostolorum.

Ludouici Blosij in Societatem studium.

2. A LVDOVICO BLOSIO *Abbate Licensi, scriptoreque notissimo, cui vsque adeo probata, & venerata Societas, vt nisi per Institutorum dissimilitudinem staret, affirmaret,* Societatem IESV se cum suis omnibus initurum: sed quando integrum sibi non esset, perfecturum certè, vt quibus esset integrum, id illi se suasore, & auctore facerent. *Ita ille 1. Par. Hist. Soc. lib. 13. n. 31. Et in quadam Epistola ad Viglium Zuichemum Regij Senatus Præsidem,*

Socie-

Societatem non parum commendat, eamdemq; pro aris & focis defendit: Domine (*inquit*) cum nuperrimè Tecum pranderem in tuis ædibus, de hominibus Societatis IESV mentio incidit, vt nosti, longo deinde ducta sermone. Cupiebam sane tecum seorsim de ijs loqui, clariusque quid sentirem exponere: sed quia nullam id agendi idoneam opportunitatem nactus sum, mihi nunc ad te de tota ea re scribendum esse iudicaui. Domine, magna mihi pridem cum M. Adriano Scholasticorum Societatis IESV Louanij Præposito, alijsque ex eadem Societate, familiaritas intercedit. Vnde eumdem M. Adrianum verum Dei famulum, & amicum iudico. Illud vero liquido constat eam Societatem veluti postremum Sacrorum hominum Ordinem ad multorum salutem in Ecclesia diuinitus his temporibus excitatam: licet plerique non è vulgo solum, sed Sacri quoque homines, atque adeo Religiosi, aut de eorum existimatione detrahant, aut parum sane eorum causa velint. Magna quidem certe, & illustria per eos in Hispania, Lusitania, Italia, Indijs, atque alibi terrarum patrantur à Deo. Perhonorifice de ijs mecum egit Nuncius Apostolicus, cum Hallas eum salutatum veniissem, magnique eos se facere ostendit, ijsque vt familiariter vterer hortatus est. Neque obscurus est fructus, quem hactenus Louanij ediderunt. Quod plenius testificari potest Cancellarius Doctor Ruardus summa vir prudentia, & religione, & fide. Quidam tamen aut veri ignorantia, aut animi maleuolentia, quod ab alijs recte fit & salutariter, in diuersum interpretantur. Sed consueuerunt videlicet res istiusmodi esse principio ad multos inuidiosæ: quod & S. Francisci, & S. Dominici familiæ legimus euenisse. Illud vero bonis ac prudentibus probari vnice debet, quod non vt ceteri anno exacto sed septimo demum, aut octauo post publice profitentur. Quæ res multa quæ timeri possent auertit incommoda. Quod ad Priuilegia attinet, quibus eos Pontifex ornauit, sunt illa omnino isti vocationi necessaria. Quamquam vero ea ampliora sint illis, quæ anti-

Et Literæ in eius commendationem.

Excitata diuinitus ad multorũ salutem.

Per Socios magna, & illustria vbique à Deo patrantur.

Eorum fructus Louanij.

quis Pontificum legibus, ceteris Ordinibus collata sunt; non sunt tamen aut publicæ Ecclesiæ quieti, aut rectæ disciplinæ contraria, sed potius, si res suis momentis recte expendatur, & virtuti, & animorum vtilitati, & communi bono maxime consentanea. Bini iam Pontifices sibi inuicem in summam illam dignitatem succedentes, hanc Societatem, matura habita deliberatione confirmarunt. Principes vero Christiani plerique benignissimum iam pridem in eos animum accepêre. Quos sane viros, vt dignitate, ac iudicio præstantes, ita cuncta consilio gerentes, qui tanta in re nihil vidisse existimet, ne eum à recta ratione lapsum iudicem. Vtinam vt in ceteris Orbis Christiani Prouincijs, ita in nostro quoque Belgio aliqua eorum Collegia instituantur. Id vero & ad Dei cultum propagandum, & ad animarum salutem fulciendam, confiderem vim habiturum esse longe maximam. Sed vereor vt ne hoc Dei immortalis munere nec dum digni simus, Domine, si res ita ferret, vt eorum apud Cæsarem, aut Reginam, aut certe in Concilio causa agitaretur, rem tu quidem, vti Ego existimo, Deo gratam facies, si quam minime eis aduersabere. Non debet qui rectam animi conscientiam curat, acrius se se huiusmodi conatibus opponere; ne pugnet cum Deo, pro quo se pugnare arbitretur. Non sunt diuina consilia humanis rationibus metienda, quæ omnem excedunt rationem. Hæc te cupio, Domine, prono, benignoque animo accipere, quæ vnius veritatis, diuinique honoris studio impulsus, scripsi. Precorque Deum Opt. Max. diu te incolumen tueatur. Vale. Bruxellis. Tuus humilis seruus Ludouicus Blosius Abbas Letiensis. *Ita vir maximi nominis, & quid de nobis sentiret ipse, quid alios sentire vellet, sæpe quidem, sed hic præcipue declarauit. Ita apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 6. cap. 5. fol. 885.*

Pontificum ac Principum benignitas in Societatem.

Eius Collegia expetita.

Religio sacra virtutum pulchritudine ornata.

3. * A MONACHO *S. Seuerini Neapolitano, sic Parenti nostro Sanctissimo, de Societate, quam fundauerat gratulante*: Religio (*inquit*) sacra, quam antea diligebam, nunc autem illius amore conflagro, videns in illius membris virtu-

virtutum pulchritudinem. *Ac demum se eius filium plane profitetur. Ita ille Epist. ad S. Ignat. Tom. 2. vir. Illust. Soc. fol. mihi 210. col.1.*

4. A CHRYSOSTOMO *Abbate Monasterij S. Jacobi in Dalmatia, viro doctrina, & pietate celebri in Tridentino Consilio. Is tria quæ ibi sunt eius Ordinis Monasteria, ad quam optimam reuocare formam meditatus, Latium Generalem nostrum enixe rogauit,* Vt ea per quempiam Sociorum quandoque in anno inspicienda, præceptisque formanda susciperet. *Atque ad idem opus Bobadillæ consilio vti cupiens, eum apud se habuit. Ita Par.2. Hist. Soc. lib.4. num.55.* *Ad formanda præceptis Monasteria expetitur.*

5. A MAGISTRIS *Sapientissimis Collegij Salmanticensis Hispanæ Obseruantiæ D. Vincentij cum titulo : Qui Romam ad Generalem suum Procuratorem in fauorem doctrinæ Societatis circa auxilia diuinæ gratiæ scribentes aiunt* : Ob multam notitiam, quam Vestra Paternitas habet de propositionibus, quæ ante Sanctissimum Dominum excutiuntur, de his, quæ ad Physicam præmotionem spectant, supersedemus de illis referre, tantum monere voluimus, quod à Patribus Societatis IESV defenditur, esse doctrinam S.P.N. Anselmi, & ideo ob hanc causam, & quoniam quod illi propugnant, verum est, & docetur in hoc Collegio à nostris Magistris, & à discipulis eorum Monachis, tam in huius Academiæ publicis thesibus, quam in ijs, quæ in Capitulis Generalibus habentur, defenditur: quamobrem V.P. sedulo considerandum est, hanc esse litem nobis æquè communem, à qua nostræ Religionis honor dependet, proinde qua solet industria in Ordinis bonum vigilare, prospiciat doctrinæ tanti momenti, & media opportuna adhibeat, quibus subsidietur ei, & ne illorum technis obscuretur, qui in occulto sagittant, & feriunt. Et præterquam quod in his V.P. meritis suæ personæ, & habitus satisfaciet, nobis quod gratissimum sit, operabitur; nam & si Sacræ IESV Societati ob labores, quos in publicum emolumentum confert, æquum est vniuersis fauorem exhiberi. *Defensa in opinione de Auxilijs.* *Laborat in publicum emolumentum.*

exhiberi. Nos tamen ſpecialius deuincimur ob continua præſtantium in ea virorum beneficia erga nos, & germanitatem, quam alterutrum profitemur in pleriſque noſtris Monaſterijs, præſertim in hoc D. Vincentij Salmantino Collegio, ac proinde optamus ſingulos nobiſcum concurrere, vt animi gratitudinem conteſtemur, Veſtram in primis Paternitatem, qui quam optimè id nouit facere: poteſtque his rebus non leui eſſe adiumento, quod V.P. ſecure dicere valeat ſuæ Sanctitati, & quibuſcumque alijs perſonis, opiniones Societatis, & noſtras legi, & defendi ab Auguſtinianis, Franciſcanis, Carmelitis in concluſionibus, & theſibus ſuorum Capitulorum, & quotidie magis, magiſque amplificantur, & recipiuntur à Theologis valde doctis, vt conformes fidei Catholicæ, & veritati proximiores. Deus P. V. vitam protegat, ipſumque amore, & gratia ſua repleat. Salmanticæ ex D. Vincentij Collegio Iulij 31. anno 1600. Fr. Placidus Pacheco, Fr. Gregorius Criales, Fr. Antonius de Yepes, Fr. Maurus de Salazar, Fr. Antonius Perez, Leander de Granada. *Hucuſque doctiſſimi Magiſtri Benedictini, quorum primus Placentinus Epiſcopus defunctus eſt: quintus vero ſui Ordinis Generalis meritiſſimus multarum Eccleſiarum Epiſcopus fuit, & ingenij docta non pauca monumenta excudit: omnes alij perilluſtres Viri fuere. Omia conſtant apud Paul. Leonard Apolog. pro ſcient. Media* 1. *Par. num.* 44.

Ignatius magnum Eccleſiæ Columen, & Pauli ſucceſſor ad mundi conuerſionem.

6. * A IOANNE CLANONIO *Cœnobij Monſerratenſis Viro virtute inclyto, natione Gallo, cui poſt peccata ſua de vitæ ineundæ ratione conſilia ex ordine Ignatius patefecit.* Quem (*Deo inſpirante*) futurum *dixit*, Magnum Eccleſiæ Columen, Apoſtoli Pauli ſucceſſorem, vereque vas electionis ad mundi conuerſionem, Infidelium, hæreſum, & peccatorum. *Ita apud Euſeb. in vita parua S. Ignat. cap.* 37. *fol.* 114. *vbi cum Ignatio Parente Clanonius Propheticus Societatem ab eo inſtituendam vaticinatur, per quam Ignatius orbis conuerſionem, ac hæreſum extirpationem aſſecutus eſt.*

7. * A

7. * A GREGORIO ALFARO *Ordinis Prædicatore grauique Scriptore, in vita D. Francisci Reynoso Episcopi Cordubensis Hispano idiomate edita cap. 15. fol. 31.* Vellem (*inquit*) aliquid de hac sancta Religione nostris diebus instituta ad magnam Dei gloriam, magnum Ecclesiæ profectum, ac bonum ipsius augmentum dicere. Etenim Religiosi Societatis IESV in prædicando, legendo, & scribendo finem, scopumque præcipuum, quem habent, bonum, salus, ac remedium animarum est. In hoc occupantur, ad hoc omnia eorum colloquia magnis, ac paruis, diuitibus, ac pauperibus, idque medijs prudentibus ac suauibus tendunt. Vna ex præcipuis rebus huius Religionis est, vltra vota ceterarum, votum de iuuentutis educatione in Republica adeo necessaria. *Et post pauca addit*: Incredibile est bonum, quod hæc Religio in hoc ministerio operatur, laborem ac solicitudinem, quam suscipit. Erga Missiones ad nouum Orbem voto altero etiam obstringitur, in quo res notabiles perpetratæ sunt inferendo scilicet Indijs Orientalibus, ac Occidentalibus glorioſum Crucis vexillum, penetrando Regna ab antiquis incognita, plantandoque in illis doctrinam Euangelicam, ad hoc offerendo suorum vitas Martyrio, sufferendoque labores immensos ad reducendas ad Ecclesiam gentes illas barbaras, ac indomitas. Concludo tandem in hoc munere ducendi ad cælum animas per varia diuersaque media, fructum notabilem in Ecclesia facere sua doctrina, bono exemplo, prudentibusque consilijs, *&c. Hæc ille.*

Societas ad magnam Dei gloriã, Ecclesiæ profectum, ac augmentum instituta.

Eius scopus animarum salus.

Votum de iuuentute educanda.

Et de Missionibus in nouum Orbem.

In quem, notabilia perpetrantes, Crucis vexillum intulerunt eius filij.

8. * AB ALFONSO DE S. VICTORES *Ordinis Generali, Regio Concionatore, Inquisitionis supremæ Qualificatore scriptoreque eruditissimo, cuius de Societate grauissimum testimonium latine redditum est huiusmodi.* Dux ille (*inquit*) cohortis Prętoriæ inter ceteras, quibus Ecclesiasticus conflatur exercitus longe strenuissimæ, quę literarũ peritia, velut septemplici clypeo obarmata virtutum suarum bombardis arcem vitiorum arietat, & subruit. Diuus, *inquam*, Ignatius Loyolæus in nostro Montis-ferrati Templo vitæ

Laudata in Ignatio Parente Societas.

Illa Cohors prætoria & Ecclesiastici exercitus strenuissima.

Septemplici literarū clypeo ob armata.

Virtutum bombardis vitiorum arcem arietat.

vitæ ſpiritualis initia, & velut Societatis fundamenta iecit. Ibi militem exuit, vt cæleſtis militiæ ducem indueret: ibi arma emeritæ militiæ ſymbola depoſuit, & ante Virginis aram ſuſpendit, dicauitque, vt quondam Dædalus alas iam liber periculis. In veteri illius celeberrimi Cænobij noſtri Templo hæc marmori inſcripta legitur epigraphe. Beatus Ignatius à Loyola hîc multa prece, fletuque Deo ſe Virginique deuouit. Hic tanquam armis ſpiritualibus Sacco ſe muniens pernoctauit. Hinc ad Societatem IESV fundandam prodiit ann. 1522. Fr. Laurentius Nieto Abbas, dedicauit ann. 1630. Denique ex auguſtiſſimo illo ſanctiſſimæ Deiparæ ſanctuario, veluti ex Oriente noſtri Ordinis exortus eſt matutinus iſte lucifer, cuius ſplendoribus etiam remotiſſimæ Orbis Prouinciæ illuminantur. Quamuis autem ceteris Ordinibus Sacris tanquam pyropis Benedictina corona decoretur, Societate tamen IESV tanquam Diademate illuſtratur. *Hæc ille in ſole ſuo Occidentis Prælud. 1. cap. 19. fol. 156.*

Societate veluti diademate Benedictina familia illuſtratur.

Defenſa contra Conſtantinum.

9. A CONGREGATIONE CASSINENSI *in Decreto contra Conſtantinum Caietanum:* Cum nobis (*inquit*) relatum fuerit libellum quendam ſub nomine D. Conſtantini Caietani monachi Caſſinenſis, & Abbatis, fuiſſe impreſſum Societatis IESV exiſtimationi inſigniter præiudicialem, doluimus ſane prout par erat vehementer hominis leuitatem, & audaciam (ſi quidem talis ſcriptionis eſt auctor, quod difficillime nobis perſuaderi poteſt) ſummopere admirati: ac vt religioſiſſimis Patribus, qui tanti à nobis fiunt, quanti ipſorum egregiam virtutem, ac doctrinam fieri æquum eſt, per nos ipſos ſatisfiat, vt ceteris omnibus conſtet, inconſultis nobis, & prorſus inſcijs, eiuſmodi librum in lucem prodiiſſe, per occaſionem noſtrorum Comitiorum in vnum Congregati iſthuc ipſum publico Edicto euulgare, ac conſtare ſtatuimus. Addentes inſuper prædictum P. D. Conſtantinum (quod extra Congregationem noſtram multis ab hinc annis Pontificia auctoritate degat) poteſtati noſtræ non magis quam alium quemlibet alterius

Filiorum egregia virtus, & doctrina.

7. * A GREGORIO ALFARO *Ordinis Prædicatore grauique Scriptore, in vita D. Francisci Reynoso Episcopi Cordubensis Hispano idiomate edita cap. 15. fol. 31.* Vellem (*inquit*) aliquid de hac sancta Religione nostris diebus instituta ad magnam Dei gloriam, magnum Ecclesiæ profectum, ac bonum ipsius augmentum dicere. Etenim Religiosi Societatis IESV in prædicando, legendo, & scribendo finem, scopumque præcipuum, quem habent, bonum, salus, ac remedium animarum est. In hoc occupantur, ad hoc omnia eorum colloquia magnis, ac paruis, diuitibus, ac pauperibus, idque medijs prudentibus ac suauibus tendunt. Vna ex præcipuis rebus huius Religionis est, vltra vota ceterarum, votum de iuuentutis educatione in Republica adeo necessaria. *Et post pauca addit*: Incredibile est bonum, quod hæc Religio in hoc ministerio operatur, laborem ac solicitudinem, quam suscipit. Erga Missiones ad nouum Orbem voto altero etiam obstringitur, in quo res notabiles perpetratæ sunt inferendo scilicet Indijs Orientalibus, ac Occidentalibus glorioſum Crucis vexillum, penetrando Regna ab antiquis incognita, plantandoque in illis doctrinam Euangelicam, ad hoc offerendo suorum vitas Martyrio, sufferendoque labores immensos ad reducendas ad Ecclesiam gentes illas barbaras, ac indomitas. Concludo tandem in hoc munere ducendi ad cælum animas per varia diuersaque media, fructum notabilem in Ecclesia facere sua doctrina, bono exemplo, prudentibusque consilijs, *&c. Hæc ille.*

Societas ad magnam Dei gloriã, Ecclesiæ profectum, ac augmentum instituta.

Eius scopus animarum salus.

Votum de iuuentute educanda.

Et de Missionibus in nouum Orbem.

In quem, notabilia perpetrantes, Crucis vexillum intulerunt eius filij.

8. * AB ALFONSO DE S. VICTORES *Ordinis Generali, Regio Concionatore, Inquisitionis supremæ Qualificatore scriptoreque eruditissimo, cuius de Societate grauissimum testimonium latine redditum est huiusmodi.* Dux ille (*inquit*) cohortis Prętoriæ inter ceteras, quibus Ecclesiasticus conflatur exercitus longe strenuissimæ, quę literarũ peritia, velut septemplici clypeo obarmata virtutum suarum bombardis arcem vitiorum arietat, & subruit. Diuus, *inquam*, Ignatius Loyolæus in nostro Montis-ferrati Templo vitæ

Laudata in Ignatio Parente Societas.

Illa Cohors prætoria & Ecclesiastici exercitus strenuissima.

Septemplici literarū clypeo ob armata.

Virtutum bombardis vitiorum arcem arietat.

vitæ ſpiritualis initia, & velut Societatis fundamenta iecit. Ibi militem exuit, vt cæleſtis militiæ ducem indueret: ibi arma emeritæ militiæ ſymbola depoſuit, & ante Virginis aram ſuſpendit, dicauitque, vt quondam Dædalus alas iam liber periculis. In veteri illius celeberrimi Cænobij noſtri Templo hæc marmori inſcripta legitur epigraphe. Beatus Ignatius à Loyola hîc multa prece, fletuque Deo ſe Virginique deuouit. Hic tanquam armis ſpiritualibus Sacco ſe muniens pernoctauit. Hinc ad Societatem IESV fundandam prodiit ann. 1522. Fr. Laurentius Nieto Abbas, dedicauit ann. 1630. Denique ex auguſtiſſimo illo ſanctiſſimæ Deiparæ ſanctuario, veluti ex Oriente noſtri Ordinis exortus eſt matutinus iſte lucifer, cuius ſplendoribus etiam remotiſſimæ Orbis Prouinciæ illuminantur. Quamuis autem ceteris Ordinibus Sacris tanquam pyropis Benedictina corona decoretur, Societate tamen IESV tanquam Diademate illuſtratur. *Hæc ille in ſole ſuo Occidentis Prælud. 1. cap. 19. fol. 156.*

Societate veluti diademate Benedictina familia illuſtratur.

Defenſa contra Conſtantinum.

9. A CONGREGATIONE CASSINENSI *in Decreto contra Conſtantinum Caietanum:* Cum nobis (*inquit*) relatum fuerit libellum quendam ſub nomine D. Conſtantini Caietani monachi Caſſinenſis, & Abbatis, fuiſſe impreſſum Societatis IESV exiſtimationi inſigniter præiudicialem, doluimus ſane prout par erat vehementer hominis leuitatem, & audaciam (ſi quidem talis ſcriptionis eſt auctor, quod difficillime nobis perſuaderi poteſt) ſummopere admirati: ac vt religioſiſſimis Patribus, qui tanti à nobis fiunt, quanti ipſorum egregiam virtutem, ac doctrinam fieri æquum eſt, per nos ipſos ſatisfiat, vt ceteris omnibus conſtet, inconſultis nobis, & prorſus inſcijs, eiuſmodi librum in lucem prodiiſſe, per occaſionem noſtrorum Comitiorum in vnum Congregati iſthuc ipſum publico Edicto euulgare, ac conſtare ſtatuimus. Addentes inſuper prædictum P. D. Conſtantinum (quod extra Congregationem noſtram multis ab hinc annis Pontificia auctoritate degat) poteſtati noſtræ non magis quam alium quemlibet alterius

Filiorum egregia virtus, & doctrina.

alterius instituti professorem, subditum esse: quare si quid ab ipso in hoc genere hucusque peccatum est, vel peccati in posterum (quod Deus auertat) contigerit: tum ipsos Societatis alumnos, tum alios quoscumque omnes enixe rogatos volumus, vt certo sibi persuadeant id communi totius Congregat. Cassinensis sensui, & in Societatem IESV peculiari obseruantiæ omnino aduersari, & repugnare. Dat. Rauenn. in nostris Gener. Comitijs die 23. April. 1644. *Ita apud P. Tellez 1. Par. Hist. Soc. Lusit. in Prologo.*

Societas iterum contra Constantinum, & assecl. defensa.

10. A CONGREGAT. LVSITANA *in Decreto contra eumdem Constantinum, & Ioannem à Sancto Thoma eius in scribendo assectam, quod sic se habet.* Cum nostra Benedictina Congregatio Lusitana, summo semper, vt par est studio, ac reuerentia doctissimam, ac religiosissimam Patrum Societatis IESV familiam prosecuta sit, idque omnes Christianæ disciplinæ, nec non arctioris Instituti sectatores deceat, vt charitate simul ambulantes, honore se inuicem præueniant, testamur nos infrascripti prædictæ Congregationis Abbas, Generalis, & Definitores adhoc specialiter congregati, in libro scripto Historia Benedictina vernaculo idiomate Lusitano, nuper edito à Nostro Reuerendo admodum Patre Magistro Ioanne à Sancto Thoma Congregationis nostræ Lusitanæ Monacho, & in Conimbricensi Academia primario Theologiæ Professore, nonnulla referri ex Constantino Caietano nostræ item Congregationis Casinensis Monacho, quæ vt prædictæ religiosissimæ Societatis existimationi aduersantia, sic minus probabilia, quàm fides Historiæ postulat, ab ipsa Congregatione nostra Casinensi (quam vt parentem libenter veneramur) Decreto publico indicata iam sunt: quo circa ea sine fundamento à primo Auctore vulgata aut excogitata, & minus consideratè à secundo relata, certe à communi Congregationis nostræ sensu aliena declaramus: in quorum fidem testimonium hoc scribi iussimus, & nomina nostra subscripsimus: Religiosos Sacræ Societatis enixe rogantes, vt de anti-

qua illâ noſtra in ipſos obſeruantia, quam hactenus experti ſunt, nihil detractum, vel diminutum fuiſſe, vel etiam in poſterum fore ſibi certo perſuadeant. Datum in hoc noſtro Monaſterio Tabanenſi. die 29. Octobris, anni 1645. *Ita apud P. Danielem Bartoli in vita S. Ignatij lib.* 1. *fol.* 80. *num:* 21.

Aguntur gratiæ Patribus Caſtinenſibus Congregationis Italiæ, & Luſitaniæ pro beneficio in Societatem collato.

Tanti fecit Societas IESV *duplex hoc Decretum, vt in ſua Congregatione VIII. Generali gratias rependat duplici altero Decreto* 13. *&* 26. *Et hoc inter alia ſic ait.* Quibus auditis (*duobus nempe Decretis iam datis*) cenſuit Congregatio, imprimis Venerabilibus illis Patribus, totoque religioſiſſimo Cœtui, quam maximas gratias haberi, agique oportere, quod æquitate, ac charitate, religioſiſſimo Ordine plane digna, bonam Societatis exiſtimationem, etiam aduerſus ſuos ipſorum alumnos defendendam ſuſceperint. Deinde huius quoque recentis beneficij notitiam publico Decreto ad omnes ſocios, tum hodiernos, tum poſteros tranſmittendam; vt, & quantum ſanctiſſimo Ordini Societas debeat, intelligant vniuerſi, & omnibus charitatis, ac venerationis Officijs parem illi gratiam referre contendant. *Hactenus Decretum.*

Templa Ieſuitarum Paradiſi imagines.

II. * AB ANTONIO PEREZ *Ordinis Generali dignisſimo in ſer. de Beatificat. S. Ignatij, Valliſoleti typis edito ann.* 1610. *fol.* 15. Talis (*inquit*) eſt huius Religionis Templorum nitor, qualis in retroactis ſæculis nunquam viſus, adeo vt quodlibet illorum viuida Paradiſi imago ſit. *Et fol.* 17. *Cum ad aras B. Virginis in Monte-ſerrato Ignatium arma ſuſpendentem contemplatur*, Vix (*ait*) alteri quam Mariæ illa arma poſſe ſummitti, cui vel ipſe Deus ſua (Æternum videlicet Verbum, iuxta illud Gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei. Ad Epheſ. 6.) ſubiecerat: *Additque*; Sicut de Beata Virgine Dei Genitrice occinit Eccleſia: cunctas hæreſes ſola interemiſti in vniuerſo mundo, ideo Ignatius ad Virginis ædes arma ſuſpendit, vt inde fortiora mutuans, cunctas hæreſes iugularet: per filios nimirum Doctores, Cathedraticos, Theologos, eruditiſſimoſque

Non alteri quàm Mariæ Ignatius arma ſummittit.

Eph. 6. 17

Ille Hæreſum iugulator.

mosque Scriptores, qui in hoc sacro Ordine contra Hæreticos procreantur, ac velut publicis Ecclesiæ armarijs ad Dei conspectum non minus pendent, quam sui Parentis in Virgineo Templo ensis, & sicca, in quibus ad viuum exprimuntur. *Et fol. 22. subdit:* Instituit Ignatius hanc sacram Religionem, opus sane, quo eius Auctor æternitati donandus, & tamen Iesv ille, non Ignatij dulcissimo ac diuino Nomine insigniuit. *Et fol.24.* Gratiam homines inter se discordes conciliandi S. Parens Ignatius suis filijs quasi testamento legauit: in quo illi prærogatiuo adeo excellunt: vt non iam inter maritos & vxores; parentes ac filios; Ecclesiasticos ac sæculares; Religiosos ac laicos; Reges ac Regna; Imperatores & Principes; Pontifices & Prælatos; Christianos & Gentiles; imo vel inter Deum & hominem, suis orationibus, disciplinis, mortificationibus, ieiunijs, & excellentissimæ charitatis actibus pacem meditantur, concordiam parant. Ac demum homines à rationis scopo aberrantes familiaribus colloquijs, sermonibus, lectionibus, disputationibus, scriptis eximijs, laboribus ex diuino amore progenitis, componunt, victimarum instar oblati publico proximi beneficio; in quos sanctos Patres videtur oculos direxisse S.Gregor.cum dixit hom.9. in Euang. subtilia de internis intelligunt, mira in exterioribus operantur. Ij enim in rerum penetratione lincei, in executione Hercules, in intelligendo omnes sunt capita, in operando manus, omnes: in vita contemplatiua Mariæ; Marthæ in actiua: in speculatione demum cuiuscumque rei subtilissimi, in ea exequenda admirabiles, ac prodigiosi.

Cuius filij velut armæ in Hæreticos pendent in publicis Ecclesiæ armarijs.

Quantæ polleant dexteritate in conciliandis discordibus.

Victimarum instar publico beneficio oblati.

In rerum penetratione sunt lincei, in executione Hercules.

Et fol. 25. Cælum appellat Ignatium, & quinque eum Zonis, quæ Cælum præcingunt, adornat, iuxta illud Virgil. lib. 1. Georgic.

Ignatius Cælum quinque Zonis præcinctum.

Quinque tenent Cælum Zonæ, quarum vna coruſco
Semper Sole rubens, & torrida ſemper ab igne:
Quam circum extremæ dextra, leuaque trahuntur

Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris.
Has inter mediantque duæ mortalibus ægris
Munere conceſſæ Diuum.

Prima ardentißimæ charitatis.

Quarum prima Solis ad inſtar ardentem Ignatij ſpiritum viuis delineamentis adumbrat, qui ſemper alienæ ſalutis appetens ardentes charitatis euibrabat radios: quin & ipſe ſolares à facie luces iaculare non ſemel viſus eſt.

Secunda, & tertia lacrymarum.

Reliquæ duæ, quæ imbribus, & gelu rigent, illacrymantis Ignatij, & in Pariſienſem lacum rigenti horridum gelu membra immergentis, vt venereos proci adoleſcentis ignes extingueret, imaginem gerunt.

Quarta, & quinta benignitatis.

Poſtremæ duæ zonæ ſic influxus temperant, vt nec ignibus torreant, nec glacie rigeſcant, qua benignitate mortales omnes ad ſe inuitant, Ignatij referunt animum, cuius benignitas tum Principes, tum alios diuerſi generis homines, quà conſilijs petendi gratia, quà vt eius ſe commendarent precibus attrahebat. Et nihil hoc mirandum (*addit fol.* 27.) cum & filios ſuos in cæleſtes Orbes effinxerit.

Eius filij cæleſtes Orbes.

Si enim in lumine, & curſu præcipua ſtat Cæli elegantia, & pulchritudo, procul dubio cæleſtes Orbes Ignatij filios nuncupabis, qui & celeri Miſſionum curſu, & luminoſa ſuæ doctrinæ gyratione mundum illuſtrant, hominemque, ſiue is Chriſtianus ſit, ſiue è Paganiſmo, Iudæus hæreticuſve à cunis ad ſepulchrum inſtruunt, & docent.

Miſſionum curſu & doctrina lumine.

Non ergo inficiabere illos Cælorum adinſtar communi omnium beneficio ardentes ſplendoris radios in vniuerſas Orbis plagas emittere. *Et tandem fol.* 28. *ſermonem, ac elogium concludit*: Conſiderans (*ait*) cum Plutarcho nullum fore inſtrumentorum muſicorum artificem, qui lyram non mallet effingere, quâ Amphion Thebanos muros erigeret, quam ſi Lacedemonius Thales leni chordarum pulſu ciues, quos inter rixa interceſiſſet, componeret: nullumq; nauigiorũ architectum qui nauis clauum efformando, qua Themiſtocles Græciam circumibat, operam non potius daret, quàm Pompeianæ nauiculæ, quæ vix terræ conſpectum fugeret: cum ergo illuſtria Societatis facinora

Societas exoriensis fidei muſicum Inſtrumentum.

cinora celebrare musicum sit exorientis fidei Instrumentum componere, ductricem nauem, quæ tumentis Orbis fluctus calcans, bellicum Christianæ Religionis apparatum, & annonam comportat: fateor sane non modo iucundum hunc meum laborem, sed glorioſum reputasse. *Hæc sunt amoris iacula, quæ tantus vir è cordis pharetra deprompsit, & fideliter latinè reddita. Quo nescio num elegantius dari de Ignatio Parente, Socijs, ac Societate testimonium possit.*

Et Nauis Christianæ religionis bellicum apparatum comportans.

12. A ROMANO HAY. *In libro, quem inscripsit Astrum inextinctum quæst. 8. fol. mihi 549. num. 9. dum quemdam è Societate impugnaret, hæc habet.* Interim vero errores illius, aut similium, Societati IESV nullo modo adscribimus, id enim stultissimum foret: quippe quam scimus sapientioribus, & sanctioribus Institutis deditam, & occupatam esse: imò cuiusque alterius iuribus conseruandis lingua, & calamo operam dare. Quid enim aliud sonant, tot in lucem à doctissimis Theologis Societatis edita volumina? tot Tractatus de de iure, & iustitia? tot è Summi Pontificis, de Romanorum Imperatorum, aliorumque Principum, ac Præsulum auctoritate, & potestate vulgata Opera, quam vt cuique suum tribuatur, vt errores ac vitia eliminentur, Christiana charitas, & virtutes mortalium animis inserantur, & conseruentur? *Hæc ille.*

Sapientioribus, & sanctioribus Institutis dedita.

Quanta eius in scribendo doctrina?

13. * AB ANTONIO DE S. ROMAN. *in Hist. Gener. Indiæ Orientalis lib. 3. cap. 26. fol. mihi 575. Qui cum Ioannis Tertij Lusitaniæ Regis ardentem erga Orientis Indiæ conuersionem animum proposuisset, hæc habet.* Non tamen Regi suppetebant idonei ad tantam prouinciam ministri: Deus vero qui semper huiusmodi votis annuit, opportunum prouidit remedium. Tunc enim temporis dum Ecclesiæ castra firmioribus indigebant subsidijs, Ignatius Loyolæus vexillum contra mundi Principem erexit, cuius celebris memoria, & in cælo viuit, & in terris contra temporis iniurias prævalet. Iam sanctissimum illud Societatis IESV Institutum (quod ipse ordinarat) supra

Ignatius laudatur:

Et Societatis Institutum.

validam Ecclesiæ rupem, excelsum, & corroboratum erat. Degebat illa tempestate Sanctus Parens Romæ, cum aliquot è primis Socijs Christi Vicario veluti suorum votorum claui gero subiectis, & licet aliquibus tempestatibus iactati fuerunt, vt quidquid in Orbe boni viget, solet experiri. At demum cum Dei opera, & consilia semper prævaleant, per Europam Vniuersam celebris eorum fama adeo intonuit, vt inter alios ad Ioannis pientissimi Portugaliæ Regis aures peruenerit, qui illico ad D. Petrum Mascareñas in Romana Curiâ Nuncij munere obeuntem, literas dedit, quibus impense monebat exigeret à Parente Ignatio ex Socijs sex, qui adeo ardenter Dei honorem, & animarum salutem exquirerent, vt in Africa, & Asia operibus æquarent famam, quæ de ipsis vulgabatur. Rem cum Ignatio exegit legatus, & licet ab illo sex, quos expetebat Socios non fuisset consecutus (aiebat enim Ignatius si ex tam paucis Socijs in Indiam sex deferrentur, quid Vniuerso terrarum Orbi restaturum) duos tamen Xauerium scilicet, & Simonem Rodericum Lusitanum concessit. *Hæc ille ex Hispano fideliter latine reddita.*

Cuius fama per Europam vniuersam intonat.

A BASILIANIS.

14. A B. Iosaphat *ex tanto Ordine viro præclarissimo, vnionisque cum Sancta Romana Ecclesia promotore indefesso, & pro ea trucidato anno* 1623. *& ab Vrbano VIII. in Beatorum Martyrum Catalogo adscripto anno* 1642. *Is tanti faciebat Societatem, vt palam diceret,* Se eum non habere pro bono Catholico, qui Societatem Iesv non amaret. *Idem etiam cum semel in frequenti nobilium conseßu, præcipuæ nobilitatis virum acerbius ad mensam contra Societatis homines inuehi audiret, grauiter iniuria Societatis commotus* Apparet, *inquit*, magnifice Domine, Te non esse ex numero Prædestinatorum, qui tam sanctam Religionem verbis adeo iniurioßis carpere non metuas. *Grande sanè*

Qui Societatem non amat bonus Catholicus non est.

Nec è numero Prædestinatorũ qui eam carpit.

sanè dictum, & quod nisi pudoris ac modestiæ cancellis premerer, ponderatione dignissimum, & quia tale, & quia à tanto Martyre pronunciatum. Ita refertur apud P. Lancicium Tom. 2. Opuscul. spiritual. Opusc. 17. cap. 4. num. 211.

15. * A DIDACO NISSENO *pluries eiusdem Ordinis Prouinciali meritissimo, scriptoreque nostræ ætatis celeberrimo, qui in Approb. Tom. 2. virorum Illustrium Societatis,* Societatem *appellat,* Aciem inclytorum militum illustriorem. *Et in Tom. suo Dominicarum Dom. 2. post Epiphan. Assumpt. 2. fol. mihi* 108. Religionem præclaram, & illustrem, *vocat. Et in suo Græciæ Phœnice lib. 4. cap. 9. fol. mihi* 187. Egregius (*inquit*) ille Fundator, ac præclarus antesignanus illustrioris Societatis, ac regiminis in Ecclesia Dei S. Ignatius de Loyola in sua Regula æquè sancta, ac diserta præcepit, *&c. Et infra: Eumdem Sanctissimum Patriarcham vocat,* sanctitatis prodigium, claramque religiosæ Philosophiæ Cinosuram.

Societas inclytorum militum Acies.

Religio præclara.

Et illustrioris in Ecclesia Dei regiminis.

Ignatius Sanctitatis prodigiū, & religiosæ philosophiæ cinosura.

* AB EODEM, *in Approb. vitæ P. Marcelli Mastrilli per Eusebium nostrum scriptæ* Societatem *appellat,* Inuincibilem, quæ Calibæis suis calamis (*seu fistulis militaribus*) perfidum Hæreticorum vulgus explodens, in aëra dispersit, & cuncta Catholicorum dogmata fortiter propugnauit. *Sic ille in dicta Approb. edita Matrit. ann.* 1640.

Societas, inuincibilis suorū calamis perfidos hæreticos explodit.

Et Catholicorū dogmata fortiter propugnat.

16. * A FRANCISCO DE SORIA *Ordinis Definitore, & S. Officij Qualificatore, qui postquam in Censura Coronæ virtuosæ P. Eusebij,* Societatem vocauit, Sacram, Religiosam, doctamque Familiam, *statim subiungit:* Auctores, libros, doctrinamque huius illustris Congregationis nemo ignorat aurum esse totius Ecclesiæ purissimum, & defecatissimum, siue illa impetatur ab inuidia, siue curiosi eam rimentur, siue eam lucernis perscrutentur minus pij: & cum tanta sit huius diuitis fodinæ præstantia, quod miror magis, est abundantia, siquidem se adeò fecundam ostendit doctrinæ, ac si tam largiter se semper communicasset. *Hæc ille.*

Eius doctrina aurū Ecclesiæ defecatissimum.

Diues literarum fodina.

17. * A

Angelica puritate nitens, & Hortus delitiarum Dei.

17. * A LVDOVICO AB ANGELIS, *qui haud proprij agnominis immemor, Societatem* Angelica puritate nitentem, *ac demum*, Hortum delitiarum Dei, *non veretur asserere ac nominare. Tanta illi erat de Religione hac omnium minima existimatio. Ita in lib. Festor. Hispal. in Beatif. S. Ignatij fol. mihi 73.*

A CARTHVSIANIS.

Litera Prioris Maioris Carthusiæ.

In quibus doctrina, mores, ac zelus sociorum laudantur.

Qui inter huius sæculi tenebras refulgent.

18. A PETRO DE SARDIS *summo Priore Magnæ Carthusiæ cum suæ innocentissimæ Familiæ Religiosis, qui omnes in suo Generali Capitulo congregati, in nascente adhuc Societate sensum, & pietatem erga illam, datis ad Ignatium, & suos anno* 1544. *literis è Maiori eadem Carthusia sic comprehendunt*: Audita fama odorifera, fratres in Domino dilectissimi de vestra exemplari doctrina, & voluntaria paupertate, ceterisque virtutibus, quibus in tenebris nostri deplorandi sæculi refulgentes perhibemini homines in via perditionis errantes ad arctam viam salutis reuocare, vacillantes stabilire, stanteſque ad proficiendum in virtutibus stimulare, & magnam in Domino Ecclesiæ Catholicæ fructum afferre; gauisi sumus in Domino, gratias illi agentes, quod in tanta desolatæ Ecclesiæ suæ calamitate, quâ premimur, excitare dignatus est, & mittere nouos operarios in vineam suam, recordatus misericordiæ suæ. In quo quidem sancto opere, cupientes vobis pro nostro modulo cooperari, fraternitatem vestram obsecramus per charitatem eius, qui pro nobis non dubitauit animam suam ponere, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: sed in sancto proposito perseuerantes, in omnibus exhibeatis vos sicut Dei ministros in multa patientia, non deficientes inter labores,

Peculiarē cū Societate germanitatem constituit Carthusia.

pericula, & persecutiones, quæ omnibus, pie viuere volentibus, occurrere solent. Tempore enim suo metetis, non deficientes. Et nos fratres, si quid poterimus apud Dominum, diuinis Sacrificijs, orationibus, abstinentijs, ceterisque pijs exerci-

exercitijs, quorum omnium vobis, & succeſſoribus veſtris, in vita pariter, & poſt mortem ſingularem concedimus participationem, veſtris pijs conatibus libenter cooperabimur in Domino, poſtulantes vt nos viciſſim in orationum, & bonorum participatione commendatos ſuſcipere dignemini. Datis Carthuſiæ ſub ſigillo noſtro, ann. Domini 1544. ſedente noſtro Capitulo Generali. *Sic in* 1. *Par. Hiſt. Soc. lib.* 4. *num.* 107.

Aliæ literæ in Societatis commendationem.

19. A BRVNONE LOHER. *Agrippinenſis Carthuſiæ Procuratore, qui ſe continere non potuit, quin maiorum ſuorum ſecutus exemplum, id quod de Societate noſtra ſentiebat ſcriptis ad Ignatium literis explicaret.* Dolebamus (*inquit*) interim gliſcentibus Hæreticis non eſſe multos, qui contra iſtos Tartareos ſpiritus ſe opponerent. Cum ecce præter omnium opinionem, non multo poſt Tu extitiſti Pater celeberrime Ignati, ſpretis mundi pompis, honoribus, diuitijs, voluptatibus, ſpreta generis dignitate. Creſcente autem mirum in modum Veſtrorum fratrum numero, miſſi ſunt cum ampliſſima Sedis Apoſtolicæ poteſtate Sacerdotes non pauci ex Veſtris, Viri grauiſſimi, honeſtiſſimi, primò quidem ad præcipuos quoſdam Chriſtianæ Reipublicæ magnates, ac Ciuitates; deinde & alij in Aſiam, Africam, Arabiam, Indiam Meridionalem, & Orientalem, & Americam maximas Orbis partes. Quibus in locis veſtræ Sodalitatis Patres ingentem & incredibilem animarum fecere fructum, nec facere deſinunt, infideles, & Iudæos ad fidem conuertendo, integra oppida, & Regna baptizando, peccatores ad pœnitentiam reuocando, pios in gratiam confirmando & conſolando, iuuentutem, tam apud Ethnicos, quam Chriſtianos optimis literis, ſolida eruditione, ſanctiſque moribus imbuendo, additis pluribus ſtupendis prodigijs, ac miraculis præſertim apud Infideles. Adeo vt infatigabili veſtro labore, induſtria, feruore docendi, concionandi, adhortandi aſſiduitate, & candidis moribus, diuina vobis oppitulante gratia, ne dum in noſtra Europa,

Ignatius, ac Socij laudati.

Qui vndique diſperſi incredibilē animarum fructum fecere.

Optimis literis, ſolida eruditione ac ſtupendis prodigijs.

Quorum infatigabili labore religio, cultusque veri Dei vbique refloruit.

sed etiam in alijs iam memoratis regionibus, Religio, cultusque vnius veri Dei, veraque pietas refloreſcere, increſcere, & quotidianis incrementis longe, lateque mirificè propagari videatur. Nam vt ſub Turcico Imperio, & tributo, puta Ieroſolymis, Conſtantinopolique, atque Cypro ſtudiorum Collegia auxilio Iulij III. Pon. Max. inſtituere conati eſtis.

Deo inſignium miraculorum patratione, oppitulante.

Acceſſit huc frequens inſignium, quæ per veſtros fiunt, miraculorum operatio, quibus omnipotens Deus veſtræ integritati præbet teſtimonium, qualia certè adhuc nulla apud noſtros Euangelicos vidimus, licet ſuam vbique buccis crepitantibus fidem iactitent. Complures enim apud Indos Chriſtianæ Religionis expertes, ſimul atque fidei noſtræ ex animo acceſſerint morbis quibuſlibet, aut alijs corporis calamitatibus grauati, confidunt ſe illico ſanatum iri, ſi ſalutari tingi lauacro, aut Miſſæ ſacrum auſcultare, liceat; nec ſua ſpe, & exſpectatione fruſtrantur, mox ſanitatis obtento beneficio. Si ob flagitia, & errata vnquam relinquendi ſumus à Deo, iam vel maxime id timendum eſt quandoque vſque eo omnis creuit impietas, vt vix poſſit vltra progredi; vnum dumtaxat ſupereſt, quod nobis melioris ſpei fiduciam ingerit, veſtræ nimirum Sodalitatis noua iſthæc præclaraque profeſſio, & nunquam ſatis laudatum vitæ Inſtitutum.

Quod flagitijs à Deo non relinquimur, Societatis facit præclara profeßio:

Et nunquam ſatis laudatum vitæ Inſtitutum.

Hæc Bruno apud And. luc. in vita S. Ignat. lib. 4. cap. 20. Et apud Euſeb. in doctrin. Aſceticis lib. 1. cap. 60. idem refertur, & addunturimmediate ſequentia ex Eodem Lohero : Cum enim (*ſubdit*) certis probemus experimentis fructus optimos è vobis prodire, non ambigimus ex Chriſti ſpiritu profectum eſſe, quod aggreſſi eſtis, quandoque Chriſti Eccleſia in melius reformetur, maxime cum id vobis inprimis curæ ſit, vt quoad eius fieri poteſt, omnes ad veram pietatem prouehatis. Neque tamen hæc ita à vobis geruntur, vt verbis magna promittatis, factis parum præſtetis, vt noſtri Euangelici, quibus ſemper in ore eſt Euangelium, cum vita eorum cum Euangelio pugnet è diametro, ſed vos ipſos ante omnia in omni virtu-

Sociorum fructus optimi:

Qui ſpem ingerunt Chriſti Eccleſiam in melius reformandã.

Illi omnes ad veram pietatem prouehunt.

tis

tis genere grauiter exercetis, viget que inter vos viuificæ mortificationis ſtudium, præſertim erga propriam prompta obedientia profligandam voluntatem, quæ ſola malorum cauſa eſt. *Hucuſque ille de miro Societatis fructu, viuente adhuc S. Ignatio.* *Et omnium virtutum genere exercentur.*

20. A IOANNE DE CASTRO, *Cui cum Ignatius Parens Noſter Pariſijs aperiret animum de Societate fundanda, ſic ille reſpondit.* Ita ô Ignati, tua de fundanda Societate IESV arrident vota, vt ſi lubet Carthuſiam deſeram. Nouitius ſum, nondum votis adſtrictus, meam opem, operam, vires, conſilium in Te vnum transferam, dummodo tantæ molis negotium felicem exitum conſequatur. *Ita ille apud P. Rho in Apolog. contra Caſtaldum Interrogat. 8. fol. 130.* *Ingens Societatis æſtimatio.*

21. A LAVRENTIO SVRIO *Viro inter ſcriptores perinſigni, ac celeberrimo, qui in Hiſtoriali Compendio rerum ſui temporis ad annum 1540. cur ab Hæreticis odio habeantur* IESVITÆ, *ediſſerens*, Vident enim (*inquit*) ſuis conatibus in dies magis, ac magis ab huius inſtituti viris obuiam iri, vident multos de ſuo grege detractos ad ouile Chriſti reduci; vident non ſolum vitæ integritate, ſed etiam multiplici, & rara eruditione pleroſque huius Societatis inſtructos. Hinc pluſquam vatinianum eorum in huius Societatis odium; hinc illa conuicia, probraque iactandi ſæua libido, quod cum reuera mores reprehendere non poſſint, in Societatis Nomen petulanter incurrunt modo prima detracta ſyllaba, ſuitas inprimis IESV. Wider germanicè, tanquam IESV aduerſarios vocant. Sæpius etiam atros equites, quod pulla veſte vtantur: quaſi vero eiuſmodi cauillis quidquam noceant laudatiſſimis Societatis Patribus, & non potius ſectariorum petulantiam declarent. *Sic ille apud Paul. Leonard. in Apolog. pro ſcient. Media Par. 2. n. 85. Et in Commentarijs ad eundem annum 1540. apud Euſeb. in vita parua S. Ignatij fol. 191. Tract. de eius zelo cap. 2. addit.* * Haud ignoro viros aliquos bonorum morum extitiſſe, qui aliquo humano affectu aduerſus Societatem ducti fuerint, quod *In Eam Hæreticorum odium.* *Quia eorum multos ad ouile Chriſti reducit.* *Et ob vitæ integritatem, multiplicem ac raram eruditionem.*

exinde ortum putamus, eam non bene notam apud ipsos; multotiesque siniſtris ducuntur relationibus, qui alioqui bene procedunt. Homines quippe sumus, & vti tales aliquando fallimur. Ego autem tota certitudine persuasus sum, neminem, qui bene Societatem nouerit, impossibile omnino esse non bene de illa sentire. *Sic ille.* * *Qui sic amant pro beneuolentia sua, tantique fecit Societatem, vt non vereatur affirmare,* Eius Procuratorem esse spiritum sanctum. *Breue sane, sed mirabile elogium: quod videre est in eadem vita S. Ignat. cap. 37. fol. 118.*

Qui Societatem nouerit nequit non bene de illa sentire.

Eius Procurator Spiritus sanctus.

22. A THEODORO PETREIO *dicente*, Sanctissimam illam, atque Orbi terrarum per multiplices fructus editos notissimam hominum diuino cultui mancipatorum Societatem. *Hæc ille apud Euseb. in doctrin. Asceticis lib. 1. cap. 60.*

Sanctißima, & orbi per multiplicem fructũ notißima, ac diuino cultui mancipata.

23. A BRVNONE *Priore Maioris Carthusiæ ac totius Ordinis Carthusiensis Generali Ministro, ceterisque Definitoribus Capituli Generalis, qui omnes in Capitulo suo Generali animi gratitudinem erga P. Ioannem de Pineda Bæticæ Prouinciæ lumen, ac Columen, hoc celeberrimo testimonio contestarunt.* Cum neque apud Deum, neque apud homines alia virtus gratior sit, quam acceptorum beneficiorum congratulatio, & per relationem Venerab. P. D. Didaci de Gueluar Prioris Domus de Couis, & Visitatoris Prouinciæ Castellæ didicerimus, singulariſſimum deuotionis affectum, cordialemque animi propensionem ad nos, nostrumque Ordinem, & præcipue ad Domum B. Mariæ de Couis prope Hispalim, quam P. V. semper habuit, & ostendit in omnibus suis euentibus prosperis & aduersis, ad eiusdem R. P. Visitatoris instantiam vicissitudinem quam possumus rependentes; memores etiam laborum indefessorum R. P. Vestræ in exponendis Sacrorum arcanorum libris, tum Iob, tum Ecclesiastes, tum Salomonis, vt multiplicatis intercessoribus, qui benigniſſimus, & piiſſimus Dominus est, abundantiorem scientiam, longiorem vitam, ac felicem finem R. P. V. impartiatur ad suam maiorem gloriam, & decorem

Summa, & inusitata Societatis æstimatio in Pineda.

suæ

ſuæ Eccleſiæ; concedimus R.P.V. in vita pariter, & in morte plenam participationem miſſarum, orationum, eleemoſinarum, vigiliarum, abſtinentiarum, diſciplinarum, omniumque bonorum ſpiritualium, quæ modo fiunt, & de cetero (auxiliante Domino) fient in toto Ordine noſtro. Addentes de gratia ſpeciali, vt cum Obitus veſter, quem Dominus felicem faciat & beatum, noſtro fuerit Capitulo Generali nunciatus iniungantur pro anima R. P. V. miſſæ, Orationes, aliaque pietatis opera per vniuerſum Ordinem exoluenda, ſicut pro chariſſimis amicis noſtris facere conſueuimus. Addentes etiam Anniuerſarium perpetuum per totum Ordinem noſtrum in Kalendarijs Domorum ſingulariter ſcribendum. Datis Carthuſiæ ſedente Capitulo Generali ann. 1617. *Hoc edidit teſtimonium Illuſtriſſima Carthuſianorum Familia ſociorum omnium gratitudine dignum: non enim plus in honorem tanti filij, quam Societatis noſtræ cedit: Quo Pinetæ, & Societatis æſtimatio in Phœnicis ſæcula perennabit: nec mirum cum & ipſi veri Phœnices in ſepulchris viui abditi nanciſcantur cunas in tumulis, nec viuant vlli ſuauius quàm ita mortui.*

24. A GERARDO HAMONTANO: *Qui inſcribens Gebhardo Colonienſium Antiſtiti, Opuſcula minora Dionyſij Richelij anno* 1599. *Sic affatur ſeptemuirum illum, in Societatis commendationem.* Ecce commodum, tuæ Celſitudini Copias auxiliares miſit Deus, hominum certe pietate, atque eruditione præſtantium, qui vocantur de Societate Nominis IESV. Nouit eos T. C. ſiquidem fructus, quos in Coloniæ Socijque eorum in Indiarum terris remotiſſimis, & Regnis ampliſſimis, hactenus noſtro Orbi incognitis, multis quoque Europæ locis incredibiles faciunt, adeo ſunt teſtati, & illuſtres, vt qui eis caliginem ſuo mendatio offundere velit, ipſum ſe potius dehoneſtet. Parum à Clericis habitu diſcrepant, ſed multum diſcrepant profeſſione. Inſtitutum eorum huc maximè ſpectat, vt iuuentutem in Scholis, & populum in concionibus publicis, & priuatis confeſſionibus omneſque illos, qui ſe eorum

Socij Copiæ auxiliares Epiſcoporum pietate, ac eruditione præſtantes.

Incredibiles eorum fructus vbique.

Ideo dignis fauoribus ab Imperatore fouentur.

rum disciplinæ tradunt, in omni pietate, quam optime instituant. Ipse Imperator noster clementissimus in suis ditionibus multos tales alit, & sua maiestate dignis fouet beneficijs. Quod etiam tua Celsitudo cœpit liberaliter imitari, vt tantis laboribus pares esse queant viribus corporis. Non desunt qui eis detrahant, sed eo nomine Christianis omnibus debent esse gratiores. Non docent vt nostri Euangelici ventrem pro Deo colere, otium sectari, voluptati ac vanitati huius miseræ vitæ esse diditos, sed carnem cum vitijs & concupiscentijs crucifigere. *Ita refertur apud Raynaud. in Trinitate Patriarcharum Lugdun. typis edita anno* 1647. *fol. mihi* 604.

A PRÆMONSTRATENSIBVS.

Societas virtute, & bonis literis floreus.

25. A Philippo Bernal *Magistro doctissimo, Ordinisque Definitore: is in sententia D. Thomæ in fauorem immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis Discursu* 3. *pag.* 46. Ex omnibus (*inquit*) Religiosis Ordinibus viri grauissimi, ac doctissimi scripserunt in fauorem Virginis Sanctissimæ absque labe originali conceptæ: & ex sola sancta Religione Societatis Iesv (vtpote in qua tantopere florent vna cum virtute & sanctitate bona studia, & literæ) tot ac tam eminentes Magistri scripsere, vt illi soli sufficerent ad faciendam illam sententiam pluſquam probabilem: isti sunt Suarij, Vasquez, Pinetæ, Toleti, Peltani, Canisij, Bellarmini, Turriani, Maldonati, Salmerones, Pereyræ, Delrij, Henriquez, Gregorij, Barradæ, Fernandez, Lorini, Salazarij, Iustiniani, Cornelij, Magallanes, Salas, Bonifacij, Castri, Acostæ, Maguncij, Morales, Costeri, Brunones, Labatæ, Mesæ, Ossorij, Ribadeneiræ, Arnayæ, Apontes, Macanni, & alij sexcenti. *Hæc ille.*

Filiorum calamis in fauorem immaculatæ Virginis pugnat.

26. A

26. A IOANNE LEPAGE *In Bibliotheca sua Præmonstratensis Ordinis*: Nobilissima (*inquit*) & celeberrima illa Societas IESV, quæ quot Collegijs constitutis in Orbem diffusa fuit, tot velut lucidissimis doctrinæ, & sapientiæ luminibus Mundum vniuersum illuminauit, tenebrasque illas Cimmerias illi offusas laudabiliter dispulit. *Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 11. fol. 679. Qui Auctor, vt videtur sub eodem Ordine militauit.*

Nobilissima, ac celeberrima.

Collegijs velut lucidissimis luminibus mundum illuminans.

A CISTERCIENSIBVS.

27. * A LVDOVICO ESTRADA *Abbate de Guerta dignissimo, qui Societatem per Hispaniam mille calumnijs impetitam longissimo scripto Apologetico protexit, ex quo pauca seligam, quæ eius animi sensum, & nostræ Religionis existimationem clarius manifestant.* Quibus (*inquit*) lacrymis illorum cæcitatem deplorabimus, qui priuatim, ac publicè aduersus Societatem persecutiones commouent? Hos sane lamentabatur Propheta cum dicebat: Væ vobis cæci, qui dicitis bonum malum, & malum bonum, & qui habetis lucem tenebras, & tenebras lucem, *&c. Et infra.* Qui dixit Iesuitas Lutheranos esse, inter fatuos planè imò & fræneticos annumerandus: sicut enim lux opponitur tenebris ita Iesuitarum Institutum, Lutheranorum instituto contradicit. *Et inter alia quibus id probat latè æquè ac erudite per vtrorumque vitæ rationem discurrens, ait;* Lutherani fide contenti, opera respuunt, Iesuitę verò charitatis operibus feruentes adeo sunt, vt maiori ex parte eos videas, cõfessiones fideliũ audientes, administrantes Eucharistię Sacramentum, odia componentes, infirmis seruientes, verrentes Hospitalia, moribundos adiuuantes, mortuos sepelientes, in obedientiæ obsequium magnis laboribus peregrinantes, *&c. Et post pauca;* Mihi in animum semper induxi specialem fructum à Deo intentum in huius Religionis fundatione,

Defensa Apologetico perhonorifico.

Eius Institutum Lutheranorum Instituto sicut lux tenebris contradicit.

Nouũ subsidium aduersus Lutheranam hæresim militans.

tione, alium non fuisse, quàm vt hoc nouo subsidio aduersus Lutheranam Hæresim militaret. Mentior, si mihi perspectum non est, Hæreticorum capita ingenti odio abhorrere eos, quos ipsi Theatinos vocant. Sed satanæ fallaciæ perspicuæ nobis iam sunt, non enim ignoramus astutias eius. Proh dolor! quis tot fluenta haberet lacrymarum, quæ mundare possent maculam asserentium, Iesuitas in Lutheranorum grege annumerandos. *Et post plurima concludit.* Hinc infero Pater mi Romane (*ad hunc Epistolæ nomine Apologiam hanc conscripserat*) ingentem misericordiam, qua Deus cum Societate sancta vsus est; quamque si ei addicti bene perciperemus, non tantis premeremur angustijs cum eam tot persecutionibus ac calumnijs videmus exagitari. Hic enim status planè Beatitudinis est: Beati qui persecutionem patiuntur *&c.* Vnde qui Societatem amamus ex animo (si aduersantium damnum non adesset) Eam in hac sua Beatitudine gaudentem relinquere deberemus, cum non instar Homicidarum ac latronum ob propria flagitia, sed sicut hi, quos Christus Beatos vocat propter iustitiam, patiatur. Igitur Christi regulis ductus affirmo, si aliqua Respublica sit, quæ Beata in terris appellari possit, ea Societas est, quia hæc & iniurijs lacessita & calumnijs diffamata: & si ab hac Beatitudine aliquantulùm recedant sui, id causat animarum fauor: quamuis negare non possim, specialem Dei prouidentiam esse eorum innocentiæ dari Patronos, ne persecutione deficiant, quemadmodum eorum permittit infamiam, ne fauore, & humano plausu se extollant, *&c. Hæc ille Epist. ad P. Romanum apud Euseb. in vita B. Borgiæ lib 2. cap. 31. à fol. 169. ad fol. 171.*

Persecutionibus beatur.

In quibus suæ innocentiæ Patronos Deus prouidet.

* Ab Eodem *Epistolâ ad Doctorem Torrensem, deinde Episcopum Canariensem, pro eiusdem Societatis famâ aperto Marte militante aduersus maleuoli cuiusdam epistolam non leuiter illam vulnerantis*: Non casu euenit (*inquit inter alia*) hanc epistolam ad meas peruenisse manus, quia vnde minus sperabatur, sanctæ Societati fauores spirituales ac temporales accrescent, qui forte

Iterum cõtra maleuolum prõpugnata Societas.

forte ceſſarent, ſi ignominiæ tam iniuſtè illi illatæ conſcius non eſſem. De me id certe poſſum affirmare ob Toletanos viginti Archiepiſcopatus, verba tanta temeritate, ac falſitate plena, non auſurum me ſcribere, vel aduerſus infimæ notæ ſæcularem hominem. Nollem reuerſa Societatis aduerſarios vehementer confundi, & præ pudore deficere. Ego in hoc caſu dico, quod ſentio, defendo & approbo quod approbat, & defendit Eccleſia. De aduerſarijs autem affirmo, illos Hæreſes inuenire, in quibus perſonis, nec Eccleſia nec Inquiſitio eas vnquam inuênit. *Et poſt pauca ſubdit:* Plurimum nociuus ille homo eſt, qui audet dicere, propriaque manu ſubſcribere, Illitteratos, & Hæreticos eſſe tot Dei ſeruos, qui in his Regnis Hiſpaniæ commorantur. Eſtque res ad Chriſtianam Religionem ſpectans, ſcire, quibus ſemitis iſte Homo particularis ducatur, qui plus videt, quàm videmus omnes. Deus illi ſuam lucem largiatur & locum pœnitentiæ. Datis in ſancta Domo de Guerta mar. 16. ann. 1558. *Sic in vit. B. Borg. vbi ſupra fol.* 175.

Ab Eodem: *litteris ad ſocios Septimancenſes. Qui exorſus ab animi ſui conturbatione quaſe ad communem genti humanæ Ignatij morte illatam cladem diu conſtitiſſe mutum, atque attonitum inſtar Jobi amicorum, ait; cum fuſe ſtuporem hominum deploraſſet, qui quia non intelligunt, quanti referat in terris ſupereſſe eximiâ præditos ſanctitate viros, in eorum occaſu minimè commouentur, ex illa Iſaiæ voce:* Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma facti eſſemus. *Homines Deo charos apte Seminibus comparans, cum Grano Synapis diligenter Ignatium confert. In primis quod hoc ſemen cum ſit minimum, fiat maius omnibus oleribus, Dei admiratur ingenium, quod gaudens rebus minutis, ac vilibus ad maxima opera & præclariſſima vti, cum tam multi eodem ſæculo eiuſdem atque Ignatij Conſilij eſſent, ac præter cæteros Paulus 4. etiam Pontificatus Maximi auctoritate potens ad quiduis perficiendum, & Magnus ille Dor. tota Hiſpania ſanctitate, atque doctrina celeberrimus Auila, Perfecti tamen Operis titulum maiore quadam*

Dolet Eſtrada extinctum Ignatium.

Iſai. 1. 9.

Quem grano Synapis comparat. Matth. 13. 32.

Quod cum minimum ſit, in magnam tamen arborem erumpit.

gloria Ignatio dederunt: adeo, vt ad hunc veluti Ioannes ad Christum discipulos Auila suos transmitteret. Tum de Colonijs quasi Ramis toto Orbe diffusis, ac Sociorum multitudine dissérens, in his ætate, conditione, linguis, Nationibus inter sese discrepantibus, conspectam à se narrat maiorem, quàm si ab vna essent omnes stirpe, ac Parente editi, consensionem, atque cor ita vnum, vnamque animam, vt carmine quodam diuino, cælestique philtro tanta concordia fieri videatur. Deinde ad conuolantes ad hanc Sacram arborem digressus volucres inter cætera refert, visos à se in Hispanensi quadam Academia iuuenes antea solitos alia sequi omnia, diebus quibusdam festis summo manè ad crimina deflenda, & ad Sacrosancta vsurpanda mysteria surgere numero amplius trecentos; neque hæc alijs in Templis propter insolentiam fieri, cum id miri habeant commodi Societatis Templa, quod in ijs inducto more diuinam mensam frequentandi, neminem deterreat inanis metus, ne singularis, & notabilis fiat. Adiicit his exercitationum spiritualium laudes, quas appellat, Nouitiatum quemdam toti humano generi institutum. Quod sicut Religiosi Ordines habent gymnasia, in quibus suos quique tyrones ad suam vitæ formam exercent ac fingunt, ita ex vniuerso mortalium Cœtu exercitationibus à B. Ignatio inuentis, suo multi in vitæ genere ad perfectam Christianæ legis disciplinam erudiantur. Postremo obtrectatorum contra Societatem confutatis calumnijs, eiusque Instituto non leuiter confirmato, socios adhortatur, vt B. Ignatij vestigia prementes contra aduersarios, modestia, ac silentio dimicent. In silentio, & spe, inquit, erit fortitudo vestra, quoniam voluntas Dei est, vt benefacientes obmutescere faciatis hominum ignorantiam. Concluditque tandem, scriptam à se pro Societate Apologiam, & cur id ipse diuersi Ordinis faciendum sibi putarit exponens, epistolam claudit. Hæc omnia apud 1. par. Hist. Soc. lib. 16. n. 125.

Cuius rami toto orbe diffusi.

Mira inter se consensione cælestę philtrũ componunt.

Iuuenum mores reformat Societas.

Sacramentorum frequentia, & exercitiorum spiritualium vsus.

28. * Ab Angelo Manriqve viro equidem omni disciplinarum genere excultissimo, in vniuersitate Salmanticensi supremæ è Theologicis Cathedræ Magistro Colendissimo, Obseruantiæ Hispanæ Cisterciensis dignissimo Generali, Regni totius fulgentissimo lumine, ac verè custode Nostræ Societatis Angelo, cuius ille encomia

typis

typis mandauit innumera vulgari lingua, sed non vulgari stylo in ser. Beatif. S. Ignatij, quorum aliqua sic se habent. Aut tallor (*inquit*) aut nullus est qui, si totius suæ vitæ curriculum attentè percurrat, aliquid Societati non debeat, hic grammaticam, ille Theologiam, iste consilia, alter Sacramentorum frequentiam. In corde quisque manum suam abscondat, in quibus profeciſse se, agnoscet, aperiat. Aut certè mira obsequia quibus quotidie Ecclesiæ Dei seruit hæc Sanctissima Familia audire ne renuat. Paulus qui hanc Societatis vineam plantauit est Ignatius, Paulo conuersione, operibus, ac virtutibus non impar. Apollo rigans, Martyres sunt proprio venarum sanguine vites suas irrigantes: Deus autem (id est IESVS) incrementum dedit. Tanto ergo vineæ cultore, nil mirandum quod tam breui tempore tantum Sanctissima hæc Planta creuerit. Illa in omnibus Orbis Prouincijs, ac Regnis Deo inseruit, ideo iustissimè per totum Orbem extensa, *&c. Hæc ille apud lib. festorum Salmanticensium de Eadem Beatif. fol.* 162. *Et postea fol.* 164. *addit.* Missi dicuntur Apostoli ex sua ratione formali (quomodo enim prædicabunt nisi mittantur.) Quam formalem rationem inseruit Ignatius Instituto suo ad tria Communia omnibus Religionibus, quarto addito de Missionibus, proprio voto, quo missi conuolant sui ad plantandam vbique fidem, ad prædicandum Euangelium omni creaturæ, ad infidelium conuersionem: quis ergo dubitet Societatem esse Apostolorum Ordinem? Ordines Sanctorum, Fundatores aliarum Religionum erexêre: Ordinem Euangelicorum Pauperum S. Franciscus; Eremitarum S. Augustinus; Doctorum Prædicatorum ac Magistrorum S. Dominicus; Prophetarum Elias; Virginum Clara, cæteræque Religiosarum Fundatrices; Martyrum S. Bruno, Angelorum diuinas laudes indesinenter decantantium SS. Benedictus, & Robertus. Apostolorum autem solus Ignatius. Sanctus enim qui Religionem instituerit, (quæ profiteatur de nouo pergere ad Christi fidem plantandam) ego præter Ignatium nullum

Ei omnes sunt debitores.

Est vineæ ab Ignatio plantata. 1.Cor.3.6

Martyrum irrigata sanguine.

A IESV, incrementū accipiens. Luc.10. 1.& 3.

Societas Apostolorum ordo.

Ad Missiones per totum orbem ex voto conuolans.

Ad Christi fidem plantandam.

agnoſco, *&c.* Dum in mundo vixit (*ſubdit fol.* 165.) ex Apoſtolis ſuam Societatem formauit IESVS, & inter plures diſcipulos quos habuit, ſibi ſpecialiter elegit, quos Apoſtolos nominauit Luc. 6. Idem etiam videtur ſeruaſſe in ſacris Religionum nominibus imponendis, quæ quidem & Collegio Apoſtolorum, & Diſcipulorum congregationi ſucceſſerunt, eorumque prærogatiuis, & vitæ inſtituto: alia enim dicitur S. Franciſci, alia S. Dominici, alia Auguſtini, Brunonis alia *&c.* Verum enim verò, quos Apoſtolos nominauit, elegit ſibi IESVS ſpecialiſsimè, nolens alio Nomine compellare, quàm ſuo. Societas IESV. Quis ergo harum omnium (*addit fol.* 166.) Religionum vobis videtur eſſe maior? Ad opera reſpicite: Aliæ Religiones profitentur, hæc vitam Doctorum, illa Pauperum, hæc Martyrum, illa Virginum, Religio vero Societatis profitetur (& ex voto quidem) Apoſtolorum vitam, pergentium ad infidelium conuerſionem quocumque placuerit Romano Pontifici. Ex quo patet, (*infert iam cum D. Thoma*) quod Apoſtoli ſunt omnibus alijs Sanctis quacumque dignitate, & prærogatiua, ſiue virginitatis, ſiue doctrinæ, ſiue Martyrij præfulgeant, præferendi, *&c.* *Et poſtea fol.* 167. Reſpicite (*inquit*) ea omnia facinora quæ à ſua fundatione patrauit Societas, tot idololatrarum Prouincias ad Chriſti fidem conuerſas, tot Hæreticorum oppida obedientiæ Romani Pontificis iam penè ſubiecta, tot fidelium pueros bene educatos, tot Religiones eius ſeminarijs iuuenibus plenas, tot ſæculares Sacramentorum frequentia feruentes, tot in ſacram Scripturam Commentaria æquè docta, ac acuta, tantam Theologiæ Scholaſticæ excellentiam (vt ſi inter diſcipulos annumeretur qui ab alio diſcit, nullus hoc tempore Theologus eſt, qui Diſcipulus huius Ordinis non ſit) tot inſuper libros reſpicite, quos in hac, & alijs facultatibus conſcripſerunt, tantum ſanguinem pro fide fuſum, tot Sanctos, tot Illuſtres viros, *&c.* quæ omnia innumeris Societatem laudibus ornant. *Et tandem fol.* 172. *vſque ad*

II. Nomina ſpecialiter inſignita.

Ceteris Religionibus præfertur quia Apoſtolica.

Eius facinora præclara, in Infidelium, & hæreticorum conuerſione.

Ac doctiſſimorum voluminum editione.

ad 174. *coneludit*. Huius Ordinis Professio martyres facit. Vnde IESV Societatem, Martyrum Ordinem possumus appellare. Et quę Crux huius Martyrij? rogas? non alia quam abnegatio propriæ voluntatis; quam etsi aliæ profiteantur Religiones, in nullâ strictius quàm in hac Familia, siue id sit ob speciale eius regimen cum vno supremo Capite, siue ob electionum defectum, siue ob votum non admittendi dignitates, siue ob alias occultas causas. Ego sanè intelligo in propria abneganda voluntate, nulli Religioni cedere Iesu Societatem, & fortè paucæ in hoc illi æquantur. Hinc colligo Martyrij eius Crucem, secundum illud Christi Domini, Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat Crucem suam. Idque forsam indicat Crux illa, quâcum idem Dominus apparuit Ignatio: id IESV Nomen dulcissimum, quod hæc Sanctissima Religio pro signo suæ Nobilitatis habet. Si enim eius Religiosi Cruces, vt dicebamus, portant, in illis IESV Nomen, vt in proprio loco collocandum venit. Vbi enim IESVS Nazarenus nisi in Cruce suffixus? Felix millies Religio, quæ Nomen Iesu vti proprium habet, ita eius Crucem pro baculo, ipsum pro Socio: Societas IESV. *Hæc ille in summam Societatis, & Sociorum commendationem.*

Est Ordo Martyrum.

Eorum Crux propriæ voluntatis abnegatio.

Matth. 16 24.

Nomen IESV, suæ nobilitatis signum.

Crux baculum, IESVS Socius.

29. * A BERNARDO LOPEZ SVSARTE *graui Scriptore, qui præclare idem argumentum nec dissimili eloquentia & beneuolentia erga Societatem prosequitur in Thesauro Ecclesiæ demonstrat.* 8. *fol.* 259. *col.* 3. Gloriosus (*inquit*) Benedictus spinas elegit, quas nudus pro lecto habuit; S. Dominicus flagella, quibus carnem cruentabat; S. Franciscus Christi stigmata in Corpore suo portauit; B. vero P. Ignatius etsi serus venerit, asportauit tamen Crucis Titulum cum IESV Nomine, quod per totum Orbem Sancti, ac Noui Apostoli suæ Societatis maximè illustrarunt, bonum sui odorem doctrina, & exemplo spargentes, Euangelijque balsamum vitæ dispendio, ac Martyriorum per terram totam effundentes. *Hæc ille.*

Ignatij insigne Crucis Titulus cum IESV Nomine.

Quod noui Societatis Apostoli maximè illustrarunt.

30. * A SEBASTIANO DE LA PARRA *In vnum quasi fasciculum flores sequentium Elogiorum colligente, Societatemque appellante*, Ierusalem Nouam; Matrem Illustrium Virorum; Deorumque fortium; Ciuitatem Dei; Mare immensum doctrinæ cælestis; Fontem amoris, Pietatis, Pœnitentiæ, Meditationis Altissimæ, Mortificationis, ardentisque zeli; ac demum Templum fide, Religione, Modestia, amore ac scientia velut lapidibus pretiosis constructum. *Hæc ille in lib. festorum Salmanticens. de Beatif. S. Ignatij fol. 42. col. 1.*

Elogiorum conglobatio.

31. * AB ANTONIO DE PERALTA *Singulariter asserente, & non minus singulariter probante*, Societatem IESV in Ecclesiæ Sanctæ Paradiso, esse Euam Nouam, veterem aliam superantem. *Hæc ille Ibidem fol. 102. Vbi consule dicti huius discursusque nouitatem.*

Societas in Ecclesiæ Paradiso noua Eua veterem superans.

32. A SYLVESTRO MAVROLYCO *Abbate S. Mariæ de Roccamadore, qui post multa eleganter de Ecclesia, & Societate disputata, ita demum concludit:* Non alto absque mysterio disposuit æternum Numen, vt ab almâ Vrbe Româ, Christi in terris Vicarij summâ Sede, suam traherent Originem Socij, quorum Institutum forte scutum, & inexpugnabile Munimen Romanæ Ecclesiæ esse dedebat. *Hæc ille apud Imag. 1. sæc. Societ. lib. 5. cap. 11. fol. 679.*

Eius Institutum forte scutum, & inexpugnabile Romanæ Ecclesiæ munimen.

33. A PETRO A S. IOSEPHO *Ex Congregatione Fulgensi, eademque clarissima Cisterciensium Familia, qui luculentissimum edidit opus aduersus Prædeterminationem Physicam: in quo fortiter dimicat pro scientia Media, doctrinaque Iesuitarum, præcipuè disput. 2. sect. 10. §. Nihil denique &c. vbi hæc inter alia habet.* Simulque aduertit, vt alia commoda præteream, sine ope scientiæ Mediæ certitudinem Prædestinationis, efficaciam auxiliorum gratiæ & similia cum libertate nostra cohærere non posse, vt proinde ingenue fatear eos omnes, qui Theologiæ dant operam, vel eo titulo plurimum debere prædictis Auctoribus (videlicet Societatis IESV Magistris) quod in illustranda scientia Media operam suam egregiè collocarint, suisque

Sententia Societatis circa scientiam Mediam propugnata.

suisque lucubrationibus, criminationum caliginem ipsi effusam dispulerint. *Hæc ille apud Paulum Leonardum in Apolog. pro dicta scient. Med. par.1. num.59. & postea par.3. num.50. subdit:* Quare prædicta scientia immota stabit, etsi nonnulli magno verborum strepitu irrumpant in eam, fundata est enim supra firmam petram solidæ & inconcussæ veritatis; & alioqui Propugnatores nacta est eximios, & robustissimos, qui pro illius salute grauiter decernant. Hi sunt (vt plerosque alios taceam) Theologi omnes illius Doctissimæ Societatis, ex qua velut ex Turre Dauidica mille clypei pendent, omnis armatura fortium. *Sic ille in grande Societatis encomium, laudans supra meritum, & indulgentissimè eius Theologos.*

Quæ eximios, ac robustissimos nacta est propugnatores.

Societas Dauidica Turris, ex qua mille Doctorũ clypei pendent.

34. A Ioan. Caramvel *Abbate in Monte-Serrato, & Regni Boemiæ Officiali Generali in sua Theologia Morali Fundamentali edita Francofurti ann.1652. qui Fundamento 55. §. 6. fol.547. inquirit an Iesuitis Iansenius nocuerit? & sic resoluit.* Solem, *inquit*, obscurum dicat Noctua: & Ego qui contrarium proprijs oculis video, non habebo minoris solis radios, sed Noctuam cæcutire dicam. Iesuitas esse Pelagianos dixerunt Ianseniani, & dicunt: An ne ideo occidi poterunt? minime. Quoniam quot radios Noctua soli, tot Iansenius Societati detraxit: quotquot enim prudentes Pseudo Augustinum legunt, non dicunt Iesuitas esse Pelagianos, sed Iansenium esse calumniatorem (*is erat Iprensis Episcopus*) Præscripta enim sæculo integro Societatis pietas, tanto Martyrum sanguine condecorata, & roborata, non est quæ obscuretur tetro anhelitu vnius aut alterius Hollandi. *Hucusque doctissimus Caramuel, (iam vt audio infulatus Episcopus.)*

Ad tanti solis radios noctua cæcutit inimica.

Plurium Martyrum sanguine condecorata, ac roborata.

Ab Hie-

AB HIERONYMIANIS.

35. AB HIERONYMO GARCIA *Priore Regij Conuentus S. Engratiæ Cæsaraugustani Ordinis Definitore, ac Scriptore nouissimo Tom. 1. Polit. Regular. Tract. 1. difficult. 4. dub. 5. n. 8.*

Societas illustris Religio.

In quarto (*inquit*) Religionum Mendicantium loco numerari potest Societas IESV. Religio adeò illustris, vti totus orbis percipit, ac videt.

Eius finis, approbatio, & incrementum.

Eius finis est, vt dicitur in eius Constitutionibus cap. 1. examin. §. 1. non solum in propriam, sed etiam in salutem proximorum incumbere. Regulam specialem non habet præter Constitutiones, & leges, quas reliquit S. Ignatius Fundator. Eas approbauit, & Religionem confirmauit Paul. 3. anno 1540. Iulius 3. ann. 1550. Greg. 13. an. 1584. Tridentinum Sess. 25. cap. 16. Incrementa huius magnæ Religionis, obsequiaque quæ in Ecclesiam præstitit, ex se patent.

Illi plurimum Ecclesia, ac Regularis status debet.

Aliqua habet in suo regimine ab alijs Religionibus diuersa: cui multum status debet Regularis ob magnam in spiritualibus, & temporalibus politiam. *Hæc ille.*

36. * A SIMONE DE ESPINOSA *Priore, ac Theologiæ Professore in Regio Conuentu Granatensi, & S. Officij Qualificatore, in approbatione vitæ S. Ignatij per P. Andream Lucam (in Scriptura Sacra Magistrum meum Granatæ etiam colendissimum) excellentiori exaratæ penicillo. Ibi laudato pro dignitate Auctoris opere, his ferme verbis finem facit.* Dignum Opus homine Societatis: poterunt (& quidem iure optimo) tum Auctor, tum eius Sacra Religio sibi certo polliceri hunc librum typis mandatum operarium fore longe diligentissimum, & eloquentissimum Oratorem inter omnes, qui iuxta sanctissimum Institutum animas Deo conciliant.

Eius Sanctissimum Institutum animas Deo concilians.

37. A MICHAELE PALAIN *Sacræ Theologiæ lectore in Regio B. Engratiæ Cæsaraugustano Monasterio, diuini verbi declamatore ac Scriptore nouissimo, in Tractatu Appendice de Ioanne Cassiano*

ſiano Monacho Hieronymiano, adfinem Tomi 1.in Euangelia Quadrages.fol.741.col.2. vbi poſtquam Ignatium, Patrem coruſcum *vocat*, & refulgentes eius filios mutatos in Sydera cælitus illuxiſſe, *aſſerit, ſtatim ſubdit*: Ignatij Societas, vt Moyſes ex aqua educta: illius Protectrix B. Maria: illius Duces IESVS, & MARIA: in Concilio Tridentino cælitus producta, cuius ſcopus ad Maiorem Dei Gloriam: Cuius filij honorum refugæ, ſapientiæ Templum, Religionum alma Parens, Diaboli occaſus, luci dedicata totius orbis illuſtrans oras, lingua ſalutaris, pennæ ſalutares, Sacrarium ſcientiæ, intellectus perſpicax, *&c. Hæc vir doctiſſimus, magnuſque Societatis, ac Sociorum encomiaſtes.*

Ignatium coruſcus Parens, ſiderei filij.

Societas, vt Moyſes ex aquis educta.

Eius Duces, IESVS, & Maria.

Varia Sociorum ac Societatis encomia.

A DOMINICANIS.

38. A B. IOANNE MICONE *Micante Eccleſiæ ſidere, doctiſſimo æquè ac Sanctiſſimo Theologo, qui perditos interdum homines implicatiſſimæ conſcientiæ, cum ſani eſſe cœpiſſent, & ſuos mores componere animum induxiſſent, auxilij conſilijque cauſa mittebat ad Noſtros, maiori cum Societatis laude, quam referre modeſtum ſit. Is magnoperè Societatis exiſtimationi, dum à maleuolorum obtrectationibus eam vindicat, & eius palam vſu, crebraque conſuetudine retinetur, ſua auctoritate conſuluit. Omnino delectabatur Sanctiſſimus ſenex noſtris rebus, noſtriſque progreſſibus, perinde ac ſi vnus aliquis de noſtris eſſet: & fieri rerum omnium particeps accuratè volebat, quæ tota Societate, præſertim apud Indos gererentur. Inſignis vir ille fuit, & illius decus ætatis, quem miraculorum commendatione Sanctitas illuſtrata Beati vocabulo decorauit. Sic refertur Par.1. Hiſt. Soc. lib.14 num.70.*

B. Mico Societati egregiè fauet.

39. A B. LVDOV. BELTRANO: *Qui haud diſſimili & animo erat, & patrocinio ex eodem Sacro Prædicatorum Ordine, alterum Valentiæ per id tempus lumen. Quorum quo conſpectior auctoritas erat, cum ſua luce, tum ſplendore per tot ſæcula corruſcan-*

Itemque B. Beltranus.

tis Familiæ, hoc maiorem inde commendati Sociorum labores in populis, ad eos iuuandos, curandosque habebant vim. Ita Ibidem.

Generalis Romæi litera ad suos pro Societate.

40. A FRANCISCO ROMÆO *Magistro Generali Ordinis, viroque plane doctissimo, qui cum per vnius inconsideratum zelum, excitatam contra Societatem doluisset flammam, ad eam restinguendam, hoc edidit suis mandatum:* Pateat vobis qualiter hoc calumnioso tempore, quo religio Christiana Hæreticorum telis impetitur, malorumque Christianorum peruersis moribus labefactatur, nouus Ordo Presbyterorum Regularium sub titulo Nominis IESV, de Vrbe quasi præsidiaria manus Dei benignitate submissus est: quem ob ingentes fructus, quos lectionibus, & concionibus publicis, priuatorum exhortationibus, confessionum audientia, ceterisque Sacris exercitijs, ac Sanctorum morum exemplis in Ecclesia facit, sanctissimus in Christo Pater & D. N. Paulus Papa Tertius approbauit, & confirmauit. Quod ideo vobis significatum volumus, ne huius Instituti nouitate seductus quispiam vestrum commilitones suos ad eundem scopum tendentes, & à Deo sibi suppetias missos, per errorem fortassis oppugnet, eorumque detrahat Institutis, quorum fructibus gratulari, & pios actus æmulari debuerat. Credimus quidem vos omnes, vtpote cælesti sponso dilectos, & amicos, varietati, qua sponsa illius amicitur, non detracturos; sed eam potius caritate, quæ congaudet veritati, complexuros, & exosculaturos. Attamen, ne Officio nostro desimus, omnesque motus præueniamus, vobis omnibus, & singulis præfatis fratribus præsentium tenore mandamus, & auctoritate nostri Officij in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis arbitrio nostro taxandis, præcipimus ne dicto Ordini per Apostolicam Sedem approbato, & confirmato, aut eius Institutis vllo modo detrahere, aut de eo obloqui audeatis, tam in publicis lectionibus, sermonibus, & congressibus, quàm in priuatis vestris colloquijs; quin potius eum, Presbyterosque eos tanquam vestros commilitones iuuare, & contra impugnantes pro-

Qua veluti præsidiaria manus contra hæreticorum tela à Deo submissa.

Et à Pontifice ob ingentes fructus, quos in Ecclesia facit, approbata.

protegere, & tueri studeatis. Datum Romæ 10. Decembris, 1548. *Ita refertur in eadem* 1. *Par. Histor. Societ. lib.* 8. *num.* 50.

41. Ab Abrahamo Bzovio *Sacræ Theologiæ Magistro, scriptoreque sapientissimo in suo Tomo de Romano Pontifice cap.* 24. *fol.* 246. *qui fructus vberes, quos in toto orbe fecit Societas, sic describit.* Paulus quoque tertius, Paulus 4. Pius 4. & 5. nec non Gregorius 13. Societatis Iesv Patres illo ire iusserunt (ad Indias scilicet occidentales) quo cum penetrassent, parum habuerunt, Christianos qui iam erant excolere, nisi etiam Euangelium latius propagarent, eòque inferrent, quò nunquam antea peruenerat. In Iapone enim sexaginta Regnorum regione, quidquid est Religionis ac fidei, ipsi soli plantauerunt, soli rigauerunt; Deus autem tale incrementum dedit, vt illic centena millia Christianorum censeantur. In Regnum quoque Sinense illud tantum tamque opulentum, vt fidem pene excedat, quod antea clausum à Dæmone tenebatur, illi tamen splendorem Euangelij intulerunt, nihil veriti tam hic, quam alibi periculum capitis, quod plurimi ex eis æque atque Franciscani, Dominicani, & alij adierunt, & in sanguine perfuso sementem Christianorum seuerunt. *Hæc ille.*

Societas Christianos in India excolit.

Et Euangelium eò, quò nunquam peruenerat, intulit.

In Iaponia quidquid est fidei, ipsa plantauit.

Et in Regnum Sinense non sine sanguine penetrauit.

42. A Francisco Forerio *Scriptore doctissimo, qui Concilio Tridentino interfuit, & in Epistola ad Henricum Cardinalem ante Commentarios suos in Isaiam, Societatis homines appellat,* Sanctitate, & doctrina excellentes viros.

Socij sunt viri sanctitate, ac doctrina excellentes.

43. A Lvdovico Granatensi *Nobili Ecclesiaste, scriptoreque laudato nunquam satis, deque tota Christiana Repub. suis voluminibus optime merito: qui è Societatis aduentu ad inchoandum Eborense Collegium magnam hausit animo voluptatem, Cardinali insuper, qui eius opera plurimum vtebatur, ea de re tanquam de sua mirifice gratulatus. Amabat enim pro sua benignitate, & magni faciebat hunc nouellum Christi Cœtum. Itaque cum vicissim ei Cardinalis mandasset, vt ipsius pro concione consilium de instituendo Collegio significaret; id ille prolixe, nec sine magna Societatis com-*

Societas Cœtus Apostolicus.

Ad hominũ salutem tuendam, & veterem in Ecclesia sanctitatẽ renouandã conspirans.

mendatione fecit, cum diceret, Eam Apostolicum quemdam Cætum esse, qui ad hominum salutem omni ratione tuendam roborandamque in Ecclesia Dei veterem sanctitatem totis viribus conspiraret. *Sic* 1.*Par. Hist.Soc. cit. lib.*II. *num.*69.

Laudata in Ignatio Parente Societatis, & prudentiæ speculo.

* Ab Eodem *In quadam Epistola ad P. Ribadeneiram approbante vitam Parentis Sanctissimi Ignatij ab ipso conscriptam.* Legi (*inquit*) aliquando, & nunc iterum quintum Ignatij vitæ librum (quem ad me tanquam ad antiquum Societatis filium Patres miserunt) euoluique maxima suspensus admiratione ob vitam, heroicas mirabilesque virtutes illius sanctitatis, & prudentiæ noui speculi, quod luctuoso hoc æuo Deus in lucem edidit, vt infinitas animas ad exitium ruentes sempiternum ad æternam eueheret fælicitatem. *Hæc ille. Et in altera Epistola ad eumdem Ribadeneiram, quæ inuenietur initio vitæ eiusdem S. Ignatij iam dictæ, subiungit:* Quod maius gratiæ miraculum potuit diuina potentia gerere, quam militem omni militari licentia perditum, nullis litteris imbutum, tantisque persecutionum iaculis ab Vniuerso Mundo petitum, vt aptissimum instrumentum assumeret ad prima vnius Ordinis fundamenta iacienda, ex quo tam ingentem experimur fructum & qui tam breui temporis periodo in omnes mundi Nationes penetrauit.

Ingenti fructu in omnes mũdi nationes penetrauit.

Egregia Granatensis Epistola in defensionem & sclamen Societatis.

* Ab Eodem *In altera ad quemdam è Nostris Epistola verè aurea, in qua ille Societatis famam à Canino dente maculatam defendit stylo sane acuto, & eleganti.* R^me^. Pater (*inquit*) Deus scit quantum meo animo dolorem V. R^æ^. litteræ intulêre: nollem enim nostro damno Vestræ Familiæ emolumentum excrescceret: nam in hoc negotio iniuriati damnum minus extimeo, quàm iniuriantis. Etenim dudum mihi diuini opificis cognitus est, res ad exitum perducendi stylus, qui aquas amaras sale edulcat, oculos luto illuminat, vulneribus ficuum massâ sanitatem inducit, Israëlis filios duris Pharaonis experimentis, & Christianorum populum tyrannorum rabie, & in-

5.Reg.2. 20. Ioan.9.6. 4.Reg.20 7. Exod.1.5. 9.

& insectatione multiplicat. Sed quid mirum, cum diuinorum operum communissimum sit rebus vti inter se pugnantibus, vt ad perfectionis culmen omnia deducat: sicuti Ioseph seruitute ignominiosa, qua fratres somnia eius inania facere conabantur, ad eius felicitatem vsum admiramur. Ita quod ille Dominicanus Pater (*Canus hic erat*) ad vos omnino euertendos assumit, Deus in vestræ celsitudinis remedium conuertit. Et veriùs est ipsum terram vestram tot laboribus ad feliciores fructus disponere, quàm vos ad fecundam Antichristi messem vestris operibus properari. Credo equidem ipsum, de quo acclamat patientissimus Iob, qui ponit ventis pondus; quiq; Gentium Apostolo carnis stimulum admouit, ne reuelationum magnitudine per superbiam extolleretur, Vestris RR. hoc flagellum prouidisse, ne plausus celsitudo, aut egregia totius Orbis existimatio in superbiam vos extolleret. Ad memoriam reuocet V. R. segetes nunc aëris suauitate indigere, nunc rigorosis frigoris experimentis, & siccitate, vt primum illas ad desideratissimum culmen sublimet, secundum profundioribus radicibus terræ viscera penetrantibus obfirmet: id ipsum spirituales plantæ, quas Deus in Ecclesiæ campis ad sui glorificationem conserit, sibi iure optimo deposcunt. Sicut enim laudibus (quando immoderatæ non sunt) virtus excrescit, ita laboribus amplius roboratur. Maximo ergo gaudio V. R. exundet, quod Societas ipsismet Ecclesiæ Primitiuæ vestigijs insistat: Et væ Romæ quando funditus euertetur Cartago. Hoc dumtaxat V. R. enixè oro; vt Deo orationes instanter fundat, ne vnius culpa in Nos omnes rigorosum prouocet eius flagellum; die vltima Martij 1566. *Ita Ludouicus Granatensis Societatis famæ defensor acerrimus, cuius hæc vltima Epistola latinè à nobis reddita, vulgari lingua, sed non vulgari stylo inuenit lector apud P. Eusebium, vitæ B. Borgiæ lib. 2. cap. 31.*

Gen. 37. 19.

Iob. 28. 25.

2. Cor. 12. 7.

Quæ persequitur, ne egregia orbis existimatione superbiat.

Laboribus roboratur Ecclesia instar.

44. A IOANNE DE LA PEÑA *Ex eodem sacro Ordine singulari pietate, ac doctrina viro, & Salmanticensium Doctorum è numero*

Societas aduersus impugnatores defensa.

mero qui acri studio diuini honoris accensus inter tot, tantasque Societati criminationes oblatas, inuestigare, ipse per se, studioseque perscrutari mores eius, & Instituta cœpit. Cumque omnia reperisset longe alia, atque ea, quæ ab impugnatoribus iactabantur, non dubitauit recentem Ordinem iniuria vexatum aduersus Collegæ morsus (is etiam Canus erat) tum lingua, tum etiam Calamo defendere. Aduersarijs Societatis (*aiebat*) non secus accidisse, atque Iobi sancti amicis, qui cum falso sibi persuasissent in hac vita neminem à Deo, nisi nocentem rebus asperis exerceri, ex eo pronunciato, ac vana persuasione collegerant Vniuersam calamitosissimi viri vitam nihil veræ solidæque Sanctitatis habuisse, sed meram simulationem ac fucum: ac proinde consolationis loco reprehensionem exorsi, multa protulerunt in simulatorem quidem rectè cadentia: quæ tamen in virum reipsa Sanctum, Deoque gratissimum collata distabant à vero longissimè. Similiter Pharisæos ex ipsorum Christique vitæ dissimilitudine, ac præsertim quod traditiones, quas illi primas habebant, magister cælestis posthabebat Dei præceptis, & illas quidem omitti non oportere, sed hæc facienda, in his insistendum docebat: persuasos nihil in eo veri esse, cum se Dei filium perhibebat, blasphemiam proclamasse. Quæ opinioni illorum congruens erat appellatio, & vera, si conijceretur in mentientem, sed collata in verum Deum, ipsa erat maledictum horrendum, & blasphemia. Similiter ergo Societatis accusatores, cum sibi persuaserint eam Antichristo præire, ac præsternere iter, multa de Hæreticorum moribus disputare, non aliena, si per sese considerentur à vero: sed quæ ad hunc Ordinem traducta manifestè falsa, & contumelioſa sint. Nam in primis à Sede Apostolica comprobatam esse Societatem; deinde negari non posse, quin vberes in Ecclesia Dei fructus, vbicumque versaretur, afferret. Quæ duo argumenta S. Thomas vrget contra eos, qui Religiones impugnant. Ad hæc certum esse Religiosi naturam Ordinis, votorum compage quasi vitalibus artubus contineri:

Iobo similis in persecutionibus. Iob. 19. 2.

Et Christo Domino.

Ioan. 10. 36.

Vberes eius in Ecclesia fructus.

neri: cætera extrinseca esse, proque Instituti modo, aliter atque aliter apte ad finem propositum temperari. Quam ad amussim exigenda ea, in quibus hic Ordo ab cæteris differt. Ac nominatim quod non nisi communi Sacerdotum vestitu, quo facilius in hominum quorumuis, ac præcipuè Hæreticorum ad omnes Christo lucrifaciendos det sese consuetudinem, planè esse Dei sapientiæ, vitæ Apostolicæ, Christique conueniens. In ipso vero Religionis cuiuspiam Auctore non requiri miracula, quæ non fidelibus, sed infidelibus signa sunt. Quin potius, hoc planè esse Antichristi dogma, si quispiam asseueret nullum hominum cætum recipiendum, cui non rerum admirabilium perpetratio suffragetur. Quippe nouissimis temporibus in Ecclesia perrara fore miracula, cum tamen Antichristus, eiusque satellites falsorum prodigiorum multitudine in fraudem inducturi sint, si fieri possit, etiam electos. Ac mirum sane videri aduersarios mentionem feciſſe signorum: cum facilius fuerint suam de Antichristo persuasionem confirmaturi, si miracula huius Ordinis multa celebrarentur: quæ tanquam fallacia criminantes, cæteris Antichristi notis adiicerent. Sed admirabili sapientiæ diuinæ dispensatione factum, vt Societatis filij non ita multa in Europâ, terrisque fidelium miracula ederent, nisi certa, & extra calumniam posita, reddentes passim non corporibus, sed animis sanitatem, ac vitam. Denique, *aiebat Peña*, fortasse aduersarij dicent, Petri Cathedram, quæ firmamentum est veritatis, posse in confirmandis Religionibus saltem in facto errare, quod tametsi concederem, tamen equidem semper crediderim, te potius hominem nescio quem, quàm Christi Vicarium falli. Verum enim verò prædicare Ordinem religiosum, quem Sedes Apostolica ritè (nam quis vnquam aliter factum ostendet) comprobauerit, pernicioſum Ecclesiæ esse, Antichristi Antecursorem, atque homines ex ea professione omnes natura status ipsius deceptos, aut deceptores esse,

Varia in Societatem criminationes expuncta.

Matth. 24. 24.

Potiora Societatis miracula animarum salus.

esse, res est in omnes partes absurda, ne quid grauius dicam. Nam alioqui Ecclesia, *inquit*, manca esset, nec sibi sufficiens, si Spiritus Dei in re tam graui errare illam sineret; comprobando, ac proponendo cuncto Christiano populo nomine virtutis, & Christi vitæ genus, quod esset Antichristi, atque Diaboli. Absit, absit. *Hæc scripsit, vulgauitque non modo ex Ordine, sed etiam Cœnobio eodem Peña doctissimus, in Societatis defensionem, vt constat ex* 1. *Par. Hist Soc. lib.* 8. *nu.* 49.

Iterum propugnata celebri Apologetico.

* AB EODEM *quem singulas aduersariorum criminationes aduersus Societatis Institutum, & modum in particulari dissoluentem vulgari lingua, leges Tom* 3. *virorum Illustrium Soc. fol.* 313. *in vita P. Michaelis de Torres* §. 3. *verbis sane grauissimis, & euidentissimis, quæ latinè reddita sic se habent.* Non est (*inquit*) odio moueri Societatem erga alias Religiones Cucullum non induere, nec scapulare, sed medium aptissimum eligere ad suum finem assequendum; neque id agit sine aliorum Ordinum exemplo, qualis est Clericorum Regularium S. Augustini. Nec nouum est insuper nolle eos admittere, qui in alijs Religionibus à prima vocatione defecerunt, ob animi inconstantiam, & id ad exemplum Ordinum Militarium. Nec chorum esse de Religionis essentia, quis dubitet, quo Religio Apostolica caruit, & Dominicana in prima sui fundatione; immò & S. Gregorius prohibuit in quodam Concilio sub excommunicationis pœna, ne Sacerdos, aut Diaconus in choro caneret: & à choro cæteræ Religiones Scholares suos lectores, ac Prædicatores eximunt. Quare ergo, infert, vitio Societati tribuendum, hoc onere liberasse suos, quorum Institutum, ac professio tota est in salutem, & perfectionem proximorum incumbere, iam lectionibus, iam Prædicationibus, iam Missionibus, & similibus. Nec compositionem, & modestiam exteriorem Sociorum fictam, aut fallacem esse, temerè iudicandum est, sed veram in oculis Domini: eamque non minus necessariam fore ad illustrandam, conseruandamque in suo virore virtutem, quam folia, quæ natura ipsa prouidit

In cuculli defectu, & non admittendis expulsis aliarum Religionum.

In Chori non vsu, & modestia exteriori.

tidit arboribus, non tam ad sui ornatum, quàm ad fructus maturandos, conseruandosque. Nec Societatem abscondere à solis oculis suum Institutum, sed illud viris doctis, grauibusque communicare, vulgaribus hominibus non item, quorum excedit capacitatem. Nostrosque non solum docere iuuentutem iam maturam, sed etiam pueros in Scholis, ex quibus Reipublicæ reformatio pendet. Nec superbiæ aut arrogantiæ tribuendum Societatis IESV Nomen ab Ignatio impositum, & à Pontifice confirmatum: sicut quia S. Dominicus Prædicatorum suam Religionem nominauit, Minorum S. Franciscus suam ob humilitatem, alias Religiones Humilitate, & Prædicatoribus carere dicendum non est: sicut etiam Trinitas Sanctissima ita suæ Religioni deuincta non est, quin omnibus etiam se communicet. Nec rigor Pœnitentiarum qui desiderari videtur in Societate, carpendus, quia etsi nullas habeat ex regula, proponit tamen faciendas secundum subditi necessitatem, & ad superioris præscriptum. Quod si Oratio sine mortificatione esse non potest, vt constat experientia, sequitur aptissimam, & vtilissimam esse, & magni fructus interioris Sociorum pœnitentiam, quia hæc cum spiritu ab illis fit, viuidoque se mortificandi desiderio. Nec communis modus victus & vestitus, corporis commodis, delitijsque indulgere Societatem probat, vt criminator exprobrat: quia nimis verum est hoc Saluatoris Oraculum: Venit Ioannes Baptista neque manducans, neque bibens: (venere tot alij Religiosissimi Ordines & sanctæ austeritatis exemplo inclaruere) & dicunt; Dæmonium habet. Quid vltra? Venit filius hominis manducans, & bibens (venit IESV Societas Ducis sui exemplo communi habitu, victuque contenta) & dicunt: Ecce Homo vorax, & potator vini. Ecce mollis, lauta, delicata Societas est. Nec insuper vituperandus plausus, & honor ab omnibus exhibitus, cum honor sequatur instar vmbræ virtutem. Domos suas in magnis Vrbibus, ac populis collocare, necessarium est in huius Religio-

In suo Instituto, & IESV Nomine.

In pœnitentiarum rigore, victu, & vestitu.

Matth. 11 18.

Ibid. v. 19.

In Collegijs, & spiritualibus exercitijs.

nis exordio, in quibus vberior iuuenum copia ad Religionis augmentum : & ex paucis quos Societas numerabat, illorum nonnulli in excolenda Orientali vineâ occupabantur. Quod de Exercitijs ſpiritualibus diuulgabatur omni ſuſpicione carere aſſerit, cum eorum liber viſus & examinatus ſit à viris doctiſſimis etiam Dominicanis, & à Sede Apoſtolica approbatus: & mirum quantum proximos inflammare poſſit, qui in horum exercitiorum vſurpatione prius proprium animum accenderit. Nec dolum, *addit*, ponendum vllum eſſe in repudiandis dignitatibus, ſiquidem obedientiæ Summi Pontificis in illis admittendis ſe Societatis homines ſubijciunt. Quæ omnia cum ita ſe habeant (*concludit*) laudandus maximè eſt huius Religionis Fundator, fructus enim adeo ſuaues & dulces non vitium, aut amaritudinem arguunt, in radice. Nec quod, vt nouitatum inuentor fuerit perſecutionem paſſus, Societatis Auctorem ſuſpectum reddit. Hæc enim eſt via regia per quam hactenus omnes Sanctiſſimi Fundatores progreſſi ſunt: ſemperque ita accidit, libertatem, & relaxationem inuenire in mundo mille Patronos, virtutem vero vix vnum, qui eam foueat, ac protegat. *Huiuſque doctiſſimus Peña, id eſt à rupe dictus : rupes enim firmiſſima Socijs ille fuit, quâ tot perſecutionum fluctus rupti, perfractique ſunt.*

Ac tandem in repudiandis dignitatibus.

Ignatius laudatus.

45. * A LVDOVICO DE OLIVA, *Priore Sanlucarenſis in Bætica Conuentus, egregioque Prædicatore, è publico ſuggeſtu ſic in Societatis laudem perorante, vt conſtat ex eius ſermone in Beatificat. S.P. Ignatij, à fol. 3. col. 2.* Vos (*inquit*) inuito Auditores, ad perluſtrandam Salomonis Regiam ab Hiſpano Sanctitate illuſtri excitatam, in cuius contemplatione hærere attonitum, non erit alicuius ignorantiæ indicium, ſed prodigioſæ maieſtatis commendatio. Quæ virtus! qui Zelus! quæ contemplatio! Teſtes ſint Hiſpania, Italia, Germania, Gallia, Anglia, Scotia, Dalmatia, Hibernia, nouus Orbis, Ieruſalem, Iaponia, Sueuia, Britania, Turcicique Vaſtiſſimi Tractus.

Societas Salomonis Regia.

Eius virtus, ac zelus.

ctus. O quàm excelsa Domus! Quæ Nobilitas! qui Duces! qui Gandiæ! qui Antelati! qui Padillæ! qui Guzmanes! qui Mendozæ! Sotomaiores, Zunigæ! Qui Doctores! Hæc profecto abyssus est profundissima. Qui Scholastici Theologi! quàm ingenioſi! qui Legistæ! qui Interpretes! qui Canonistæ! qui Astrologi! qui Arithmetici! qui Geometræ! qui Philosophi! qui Metaphysici! qui Logici! qui Humanitatis Magistri! qui Græci! qui Rethorici! qui Hebræi! Quæ Sanctitatis Officina! qui pœnitentium expiatores! qui diuini verbi Concionatores! qui animarum Pastores! Ad rem attende: hîc enim nulli recessus, nullæ distantes imagines per dolum repræsentantur: omnia quàm propriè sese ingerunt sensibus; & hæc mea mens est, vt existimem, si Societatis res laudibus æquare velim, omnem conatum meum superatum iri. O quæ Salomonis Regia! in cuius penetralibus, quot filijs concessa ad pacatissimam quietem domicilia? *Et postea fol. 5. col. 1. addit.* Quando omnia in terram misero aduoluebantur præcipitio, & cum extimescendum erat ne istius Machinæ spiritualis ruinâ diuina gloria in orbis consepeliretur tenebris; Ignatius è semi dirutis illorum mænium lapidibus sublime erigit Ædificium, excitat tanquam Architectus Religionem adeò firmissimo robore præditam, vt in illa totius Ecclesiæ celsissima Domus facile valeat niti, & incumbere *&c.* Quod igitur (*ait col. 2.*) nec Ignis, nec stellæ ante huius Sacræ Religionis aduentum potuêre, Hæc Magna Lux, Ciuitasque Magna perfecit, in cuius mænibus Deus Pharos, lucernas, ac luminaria ad fugandas ignorantiæ tenebras accendit. *Et rursus fol. 6. col. 1.* Quia vero hæc Sacra Religio clarissimam nobilitatem suam & genus à stirpe Regia oriundum modestiæ velo tegit, illud prætermitto, & ad singularem vitæ eius mixtæ perfectionem progredior, in qua legatos, & Paranimphos habet, *&c.* Nec Societati (*ait col. 2.*) negandum Religionem esse meditationi, & contemplationi deditissimam, & simul voracem laborum, omnibusque Ec-

Domus ex celsa nobilitatis.

Doctrinæ abyssus profundissima.

Sanctitatis Officina.

Sublime Ædificium, cui celsa Ecclesiæ Domus innititur.

Est lux magna.

Et Ciuitas in cuius mænibus luminaria ad fugãdas ignorantiæ tenebras Deus accendit.

Deditissima contemplationi.

Librorum vorax, & orbis reformatrix.

cleſiæ Ordinibus complanaſſe virtutis iter, totumque Mundum à vitijs, & à perditione per filios ſuos reuocaſſe, & reformaſſe, pueros lacte doctrinæ, viros pharmacis exercitiorum, fœminas pane Sacramentorum, *&c.* *Et fol.8.col.1.ſubiungit:* Quis vnquam omnium Ordinum homines ad cæleſte regnum per viam nullis mæandris impeditam, nullis flexuoſis ambagibus implexam, euexit felicius, quam Societas? Quis ſerico, biſſo, & purpura ſplendentes, lectiſque pretioſis, & aulæis regijs quieſcentes, cautos & ſcrupuloſos fecit? Quis milites parmarum effractores à blaſphemijs, ſicarios à ludo abſtinere docuit? Quis alius fideles ſcribas? Apparitores Vrbanos? Veridicos, & minimè fallaces Mercatores? Agricolas laborioſos? Carnifices pios fecit? Si Societatis Templa frequentent, quæ Mulieres deuotæ non ſunt? Qui Agricolæ decimas non ſoluunt? qui Canonici eleemoſinas in pauperes non effundunt, *&c.* *Et poſtea fol.9.col.2.* Societas IESV *(inquit)* non eſt Ordo, qui ementitis laudibus exornetur, ſed qui ſine lite plus Eccleſiæ Dei inſeruierit. Limpidiſſima Nubes eſt hæc ſanctiſſima Religio, quam Deus è cælo demiſit, quæ non vnum duntaxat locum, ſed omnes indifferenter irrigatura volat, ita ſuos imbres omnes fecundatura agros ſpargit in deſerta, in villas, in eremum, in Sacra, inquam, Collegia, in vniuerſitates, in Scholas, in Pulpita, in Cardinales, in Epiſcopos, in ſanctiſſimæ fidei Tribunalia, in ſanos, in infirmos, in egenos, in diuites. Hac Nube irroratus quis triſtitiæ ariditatem non expulit? Quis infirmus inter dolorum anguſtias non inuenit ſolatium? Quis tepidus diuinis eius ignibus non exarſit? Quis ignarus doctrinam ebibens ex hoc fonte in ſapientem non euaſit? *Et fol.10.col.1.* *Poſtquam Eliſei ad paruuli membra ſe coaptantis, & coadunantis repuerationem deſcripſiſſet, exclamauit.* ô ſanctiſſimus Ordo, vbi tantæ æſtimationis ingenia, & tantæ auctoritatis viri, ſe ad puerorum captum non horrent conformare, vt doctrina illos imbuant, & ſanctitate. ô inſignis Religio, vbi inter tot mirabilia, nihil plus ſuggerit admi-

Varia eius facinora.

Societas limpidiſſima nubes omnes indifferenter irrigans.

Sapientiæ Fons.

3.Reg.17 21.

admirationis, quàm egregios videre viros adeò capaces, vt mille Orbium clauo valeant admoueri, toto Conatu conuersos ad pueros edocendos in grauissimis alioqui Academijs, carminibus, & soluta Oratione latine dicere, & è suggestu velut grauissimos Rethores perorare, *&c.* *Et fol.* 11.*col.*1. Audeo (*inquit*) dicere, quod si aliqui Religionum Antesignani nunc suorum Cætuum iacerent fundamenta, plurima, quibus hæc sancta Religio specialis redditur, tanquam à Republica inter omnes, quas in mundo admiramur, ordinatissima, in suorum Ordinum ornamenta emendicarent. Athenis pulsus exulauit aliquando Diogenes & ab amicis rogatus, cur exilium adeo sereno vultu perferret, quatuor has causas designauit: Quia Athenis sine litteris litteræ: sine Nobilitate Nobiles: sine occupatione ciues: sine virtute studiosi. Ex hoc quadruplici capite tuas laudes celebro, ò Athenæ diuinæ! Quæ virtus? quæ Nobilitas? quæ Occupatio? quæ sapientia tua? satis est dicere, esse Nubis, & Luminis amicissimam connexionem, esse quintam licoris diuini Essentiam, igne, & instrumentis adeo purificatam, vt dulce nihil amaroris admixtum habeat, amarum nulla dulcedine fatuetur. Quæ tam perfecta animorum cum obedientia conformatio? quæ voluntatum resignationes nulla simulatione fucatæ, nullo fuco coloratæ. In Republica Athenensi asseruit Diogenes nullam inueniri virtutem, in Societate non solum viget, sed & in externos largissimè se diffundit, vt videre est in puellæ cuiuslibet desponsatione: postquam enim eius nobilitatem, diuitias, pulchritudinem sponso commendauimus, tum demum omnem eius coronamus commendationem, addendo, illam in Societate confiteri, *&c.* *Et postea col.* 2. *addit*: Qui flores in Corollam in Horto conserit, ex omnibus meliores legit. Optimi sane Horti sunt Sacratissimæ Religiones, Societas autem Fasciculus est Doctorum, Prædicatorum, Apostolorum noui Orbis, Virginum, Confessorum, ac Martyrum &c. *Et tandem adstantes socios alloquens concionem concludit.*

Admirabilis in puerorum educatione.

Respublica inter omnes ordinatißima.

Athenæ diuinæ virtute, nobilitate, occupatione, & sapientia.

Columna nubis, & ignis, Exod. 13. 21.

Fasciculus Doctorum, Apostolorum noui Orbis, Virginum, ac Martyrum.

Insignium Elogiorum conglobatio.

Eia agite, Cæleſtes Columbæ, diuinæ Nubes, expertiſſimi Architecti, Cæleſte viridarium, Planta ab ſpiritu Sancto conſita, Placidiſſimum Dei Topiarium, Ordo Sanctiſſime, hoc munuſculum à quodam Vobis addictiſſimo ſuſcipite. *Hæc inter alia Oliua doctiſſimus cuius eloquentiæ, & amoris oleum, in filios olei (quales* IESVITÆ *ſunt) in omnes facile ſe diffundit.*

Socij fundatores ac reparatores fidei, morumque reformatores.

46. * A IOANNE DE LA PVENTE *Regio Hiſtoriographo Tom. Conuenientiæ Monarchiarum.* Fructum, *inquit*, quem Societas fecit per ſeptuaginta annos, paucis adiunctis; à primæua ſua inſtitutione, Europæ Regna prædicent, Orientalis Indiæ Prouinciæ celebrent, eius ſiquidem filij, in omnibus Orbis partibus Fundatores, ac Reparatores ſunt fidei, morumque Reformatores. *Ita ille apud P. And. Luc. vitæ S. Ignatij lib. 4. cap. 20. fol. 320. En breuiſſimis lineis longiſſimam Societatis, ac Sociorum commendationem.*

Societas in Ignatio laudata.

47. * AB ANTONIO CALVO *In Propugn. Religionum cap. 14.* B. Ignatius de Loyola (*inquit*) Fundator, ac Generalis Societatis IESV Illuſtris Sanctitatis exemplum, Mundo datus in his extremis temporibus, tanquam ſpeciale Dei beneficium, in infinitarum animarum remedium, vti Pater Magiſter Ludouicus Granatenſis affirmat: alijque viri inſignes de illo ſcribentes, vel ante ſuam Beatificationem, iam Beatum, ac ſanctum appellabant: cuius admirabilem vitam ac Sanctitatem Deus & miraculis, & perſecutionum trophæis patefecit, quas Dæmon ſaluti animarum inuidus contra ipſum excitauit ad impediendam fundationem Religionis adeò fructuoſæ, quam Deus per Ignatium Mundo dare decreuerat. Non dum grandis admodum Ædificij fundamenta iecerat; cum non ſolum per diuerſas Orbis plagas, ſed in Vrbe etiam tempeſtates horribiles aduerſus filios, & Patrem, in eorum deſtructionem, & ruinam humani generis hoſtis commouit. Aſt cum Dei Opus Societas eſſet, quanto plus ille, eiuſque Miniſtri in eam debacchabantur, tanto glorioſior

Fructuoſa Religio & grande admodum ædificium.

Dei opus, eò glorioſius, quo magis impugnatum.

sior euasit eius ac Sociorum innocentia, iuxta id quod D. Chrysost. de Apostolis dixit. O miraculum! serui vincti sunt, Dominus Crucifixus, & prædicatio quotidie crescit, & per quæ videbatur opera prohiberi, per hæc accensa est. Et quamuis vita huius glorioſi Patris non esset tot firmata miraculis, hoc solum sufficeret ad ostendendum, illum diuinum esse Hominem, breuissimo quippe tempore, eius prudentia, influxu, ardentique spiritu eius filij per totum fere Orbem, verbum Dei prædicantes, ad remotissimasque plagas Christi fidem inferentes penetrarunt. Vix confirmata erat à Sede Apostolica eius Religio, cum eius filios paucos numero, meritis magnos tanta velocitate Deus per orbem totum dispersit, vt non tam pedetentim iuisse, quàm volasse videantur, vti dicitur de Alexandro: etenim primo ætatis suæ anno se per Galliam, Italiam, Germaniam, Hispaniam, Lusitaniam, Hiberniam, Indias Occidentales ad Iaponiam vsque dilatarunt. Vixit decem & sex annos post Sacræ Societatis IESV fundationem, quam Prouincijs, Professis Domibus, Collegijs, Vniuersitatibus, Nouitiatibus ac Residentijs per totum Orbem locupletatam reliquit. *Sic ille apud And. Luc. vbi sup. lib.4. cap.20. fol.321.*

Ignatius diuinus homo.

Cuius influxu eius filij Christi fidem in remotissimas plagas inseruere.

Tanta velocitate, vt volasse videantur.

48. A DOMINICO BANEZ *Magistro sui temporis plane doctissimo, qui indubitanter aliquando asseruisse fertur*, si hominem Societatis vidisset chartis semel ludentem, iudicaturum, eum peccati mortalis reum. *Tanta illi erat de modestia, & circumspectione Societatis opinio: Sic refertur ab Eminentissimo nostro Cardinali de Lugo Tom.2. de Iust. & Iure disp.31. Sect.1. n.12.*

Summa de Societatis circumspectione opinio.

49. A PETRO BOLLO *Theologo Parisiensi in sua Æconomia Canonica Lugduni edita ann.1588. Classis 3. cap.5. §.8. vbi postquam Concilij Trident. curam circa puerorum Institutionem exposuisset, inter alia multa sic ait.* Iuuentutis instituendæ labor cum plurimorum vtilitate coniunctus Deo gratissimus est, & magnæ mercedis, omnibus autem inuisus, & intolerabilis. Res profecto male cessisset nisi Deus nouos cooperarios misisset

Ea, & doctrina & moribus, puerorum educationi intendit.

Et collabentibus gymnasijs opem tulit.

sisset Societatis IESV Patres, qui non minus bonis moribus, quàm doctrina prodesse videntur. *Hæc Dominicanus grauissimus : qui in Notis marginalibus addit* : Pessimè consultum erat iuuentutis educationi, nisi Iesuitarum Societas collabentibus gymnasijs dedisset opem. *Ita apud P. Fran. Salinas in Ionam Prophet. exposit. literal cap. 1. quæst. 16. n. 7.*

Eius filij ignorantiæ & impietatis impugnatores acerrimi.

50. AB ALFONSO CIACCONO, *Qui in vita Pontificis Pauli III. paucissimis verbis multa, & grandia encomia complexus, dum Societatis homines, vocat*, Ignorantiæ, & impietatis impugnatores acerrimos. *Quid breuius ? sed quid grandius ? Ita refertur apud Paul. Leonard. in Apolog. pro scient. Med. Par. 3. num. 54.*

Et contra Antichristum in vltimo conflictu pugnabunt.

51. * A LVCA FERNANDEZ DE AYALA, *In sua Historia de vita, & morte Antichristi Discurs. 12 fol. 358.* Erunt, *inquit*, homines virtuti dediti, & vitæ Apostolicæ in persecutione Antichristi : & præcipuè tales erunt duo Ordines S. Dominici, & Societatis IESV, qui Henoc assistent & Heliæ *&c. Sic ille* : *Huncque Discursum multis rationibus, coniecturis, etiam reuelationibus comprobat, quæ ibi ad longum videri poterunt.*

Ij nouissimi vineæ Domini cultores.

52. A DOMINICO GRAVINA *dulcis facundiæ Theologo, qui admodum copiosus, & dissertus est in Iesuitarum prosequendis laudibus, in 2. Par. de voce Turturis cap. 30. à fol 126.* Ad nouissimos, *inquit*, vineæ Christi Domini cultores Patres Venerabiles Societatis IESV merito nuncupatos (dicente Ambrosio ser. 47. consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis) intuendos descendo. Vitis illa abundans illico occurret, de qua dici potest quod scripsit Oseas, Ibunt rami eius, & quasi Oliua gloria eius, & odor eius vt libani. *c. 14.* Abundans certè vitis non in lateribus Domus Dei plantata occurrit S. Ignatius Loyola, quam cum cælesti's Agricola ab actibus huius sæculi præpurgasset conuertens militis lanceas in falces, & gladios in vomeres ad arandum gentilium pectora pro Euangelij dissemination adeo creuit in filijs suis, vt iam extenderet palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen

Os. 14. 7.

Vitis abundans Ignatius.

Ioel. 3. 10.

Adeò creuit in filijs, vt vbique ramos extendat.

flumen propagines eius. Mittuntur siquidem rami eius (missionis enim quarto voto deuinci solent, qui solemnem professionem emittunt) & ad Indos, ad Iydios, ad Iybiam, Æthiopiam, aliasque remotissimas regiones, ad insulas longe, quæ de Deo non audierunt, alacriter properantes, tanquam cooperatores terram humani cordis, concionibus, confessionibus, lectionibus, Catechismo excolunt, & cælesti prædicationis imbre, & rore irrigantes fæcundant, & folijs, floribus, fructibus, hoc est doctrina, verbo, & exemplo viuidos ramos tantæ vitis ostendunt: pendent è ramis botri, Martyres illustres; innumeri enim huius vineæ partim Sacerdotes, partim laici à Gentilibus, aut hæreticis expressi vinum Martyrij meraciſſimum in cellam vinariam sponsi inferentes recensentur, à Societatis huius teneræ incunabulis, vsque ad præsentia tempora, qui lauerunt in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum gloriosè pro Christo occumbentes &c. *Recensitisque pluribus numero inclutis Martyribus, glorioſis Confeſſoribus à Xauerio ad Borgiam, viris & virtute, & literis illuſtribus, qui tanquam rami generoſi ab Ignatiana Arbore pendent; & quibus eadem Arbor (vt inquit Auctor grauiſſimus) tanquam Ornamento veſtitur, ſubiungit?* Pergo, & eumdem S. Ignatium vt Oliuam contemplor; dicere enim potest, Ego quasi Oliua fructifera in domo Dei; vnde quasi Oliua erit gloria eius. An non Oliua fructifera S. Ignatius, cuius fructum quinque sibi sapientes Virgines, vt verbis vtar Hieronymi parauerunt, ex quo vulnerum mitigatur tumor, languentis membra requiescunt, in tenebris lumen accendit, vnguntur in agone certantes? Ad hoc enim S. Ignatij & filiorum tendit Institutum, vt ex confessionibus medela, ex prædicatione splendor, ex disputationibus, & congressibus cum Hæreticis victoria reportetur. Ad Oliuam spectat ad alendam iuuentutem Scholarum, Collegiorum, & Seminariorum erectio, vt diuinissimorum omnium sit literis & educationi adolescentium & saluti animarum cooperari. Sed quæ Dei facultas! audi. Dei facultas

E Ramis botri pendent, Martyres.

Et illuſtres literis, ac ſanctitate viri.

Ignatius Oliua fructifera in domo Dei. Pſ. 51. 10.

Oleum eius inſtitutum. Math. 25. 4.

Is ſpiritualium figulorum Collegia erexit, ad iuuentutem perditã reparandam.

sub figuli typo describitur: venit enim saluare quod perierat, & conuertens pedibus rotam Euangelium præsignantem, quod fractum erat, in pristinam reduxit formam. Sed si referente Plinio lib. 35. c. 12. Numa Rex Collegium figulorum instituit: Ignatius spiritualium figulorum Collegia erexit, ad peccatores, qui dicunt, facti sumus sicut vas perditum, reparandos. Ad quod conuersionis munus, & tenellæ iuuentutis rectam educationem, omnem curam, industriam, laborem dirigunt. Horum figura in veteri testamento præcessit, nam de Iosaphat legitur. 2. Paral. c. 17. quod tertio anno Regni sui misit de Principibus suis Benhail, & obdiam, & Zachariam, & Nathanael, & Michæam, vt docerent in ciuitatibus Iuda, & cum eis leuitas Semeiam, & Nathaniam &c. Elisama & Ioram Sacerdotes, docebantque populum in Iuda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas Ciuitates Iuda, atque erudiebant populum. Non est cur illud obiiciatur Isaiæ 33. Vbi est literatus, vbi legis verba ponderans? vbi Doctor paruulorum: Passim enim tibi occurrent doctissimi Theologi, Scholastici, scripturarum interpretes, vt si curiositatem explere cupias scriptorum Societatis, in promptu habeas Ribadeneiram de scriptoribus Societatis: præter hos sunt etiam inferiorum artium Magistri, & paruulorum Doctores, propter eum qui sapientiam præstat paruulis; & paruulus pro nobis factus est, ad rudimenta prima docenda se demittentes. Gloriam Iibani in S. Ignatio pariter intueor propter odoramenta bonæ famæ, & exemplorum quibus suauissimè fragrant tanti Parentis sectatores. Sed ex alio titulo in eo gloriam Iibani aspicio; nam etsi ex instituto dignitates Ecclesiasticas accipere recusent, nihilominus Apostolica Sede iubente, easdem ex obedientia acceptant. Duos viros insignes diebus nostris vidimus in S. R. E. Collegio coaptatos Franciscum Toletum, (quem eius olim Præceptor Fr. Dominicus Soto prodigium solebat appellare) alterum Robertum Bellarminum fidei athletam robustissimum, olim Capuæ Archiep-

Ier. 18. 2.

Eorum insignis sapientia in veteri testamento figurata.

2. Par. 17. 7.

Isai. 33. 18.

Et in Ignatio gloria Iibani, odore virtutum, quibus filij fragrant.

Et purpurâ, qua Toletus, & Bellarminus rubent.

Archiep. & merito nouum Antoninũ in ſubleuandis pauperibus, in vitæ perfectione Baſilium, in confutandis Hęreticis Irenæum, à diuina prouidentia deſtinatum dixeris. Plures galero inſignitos vidiſſet parentum noſtrorum ætas, ni B. Borgia, Antonius Corduba, Lainius, & alij de ſe humiliter ſentientes modeſte non reluctaſſent. Epiſcopos, & Patriarchas multos quoque legimus, non tam ad honores electos, quam ad onera vineæ Domini in Indorum cultura conſecratos, qui forma facti gregi nouo, opus Dei mirifice promouerunt. Sed & mons Libanus aurea mala, citra alioſque fructus & plantas producit, ex quibus ſuauiſſimus euaporabat odor. Vnde ob virtutum fragrantiam ſponſa deſcribitur odorem ſpirans pſal. 44. Myrrha, & gutta, & Caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo: [Domus eburneæ, palatia eburnea, ait Iſidorus lib. 15. & ampla tecta dentium, ora ſunt, & linguæ Catechiſtarum, & Concionatorum, è quibus tanquam è Chriſti Regis noſtri inſtrumentis prodeunt, cum doctrina, honeſtarum actionum exempla ſuauem exhalantium odorem:] Quæ paſſim cum in huius ſancti Inſtituti concionatoribus, Catechiſtis, & alijs Operarijs inſpicias, dicas neceſſe eſt: Gloria libani data eſt Parenti Ignatio. O vitem abundantem! ò fructiferam oliuam! ò libanum omni amænitate refertum! ò nouiſſimos operarios in vinea Domini conductos à Patre familias, qui non imparem in Eccleſia laborem pertulerunt, quam priores agricolæ portantes pondus diei, & noctis. Deerat Tertius collabentis mundi ſuſtentator, & de duobus iam prouiſum erat Dominico, & Franciſco, qui manus diuinas tres in Orbem ſagittas (ſic viſione cum Ordines Prædicatorum, & Minorum inſtituendi erant diuinitus oſtenſum eſt) reſtringeret. Tertius ſupererat ad tertiam ſagittam reparandam, en S. Ignatius, & ſicut Deus Dominicum, & Franciſcum tanquam ſagittas electas deſtinauit, vt ſagittarent corda inimicorum Regis, è diuina pharetra ſagitta tertia, emittitur,

Et infulis, ad quas alij eiuſdem Ignatij filij per obedientiam electi.

Pſ. 44. 9.

Matth. 20 8.

Is tertius collabentis mundi ſuſtentator.

Et ſagitta è diuina pharetra emiſſa.

Pſ. 44. 6.

Isai.66.19 Isaiæ Vaticinium completur, Mittam ex eis qui saluandi sunt ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes sagittam, Italiam, & Græciam, ad Insulas longe ad eos, qui non audierunt de me. Vnde hos tres Ordines ijsdem pene institutis Dominus voluit colligari, vt vberem messem reportarent, non tantum fæces Israel conuertendo, sed salutem Domini, & lucem gentibus adducendo vsque ad extremos terræ, Antipodes conuertendo, Occidentales & Orientales Indos illustrando, vt verè impletum sit de his præcipue Tribus Ordinibus, quod dicit Isaias cap. 11. Et volabunt in humeros Philisthijm per mare, simul prædabuntur filios Orientis.

Societas à S. Vinc. Ferrerio prædicta.

Liceat vaticinium viri Apostolici S. Vincentij Ferreri coronidis loco Sanctæ Societati adaptare. Tria (*ait Sanctus iste*) sunt nobis singulariter, & quasi assiduè meditanda. Primum Christus confixus, incarnatus. Secundum, status Apostolorum, & fratrum præteritorum nostri Ordinis, & hoc cum desiderio, vt illis conformemur. Tertium, status Virorum Euangelicorum futurus, & hoc debes die noctuque meditari, scilicet statum pauperrimorum, simplicissimorum, & mansuetorum, humilium & abiectorum, charitate ardentissima sibi coniunctorum, nihil cogitantium, aut loquentium, nec saporantium, nisi solum IESVM Christum, & hunc crucifixum; nec de hoc mundo curantium, suique oblitorum, supernam Dei & Beatorum gloriam contemplantium, & ad eam medullitus suspirantium, & ad instar Pauli dicentium, cupio dissolui, & esse cum Christo, & innumerabiles ac in æstimabiles thesauros diuitiarum cæleſtium, & super dulces, & mellifluos riuos diuitiarum, suauitatum, ac iucunditatum; & super omnia mirabiliter expansos, & superinfusos, & per conuersationes imaginari debes eos ipsos, vt cantantes canticum Angelorum cum iubilo citharizantium in citharis cordis sui: hæc imaginatio ducet te plusquàm credi potest in quoddam impatiens desiderium aduentus illorum.

rum. Hæc ille. Qui omnium Ordinum, & inter eos florentis vineæ Societatis Apostolicorum Virorum saluti animarum insistentium œconomiam, fragrantiam spiritu prophetico visus est (vt dicunt aliqui) describere. *Hæc doctissimus æque ac grauissimus M. Grauina in Ignatij Parentis, Matris Societatis, ac filiorum præclaram commendationem & laudem, in suo Libro de voce Turturis Par. 2. cap. 30. iam citato. Et postea cap. 32. addit*) Futurum in Ecclesia fructum maximum strenuorum militum Societatis Iesv, qui ad defendendam Ecclesiam ipsi in hac miserrima ætate diuinitus missi sunt, vberem messem inferentes in horrea Domini. *Sic Illustrissimus Societatis Encomiastes apud Paul. Leonard. in Apolog. pro scientia Media Par. 2. num. 88.*

Quæ inter omnes Ordines florentis vineæ odorem spirat.

Eius filij strenuissimi milites ad defendendam Ecclesiam.

Vberē messem in horrea Domini inferentes.

53. A Ioanne Baptista de Marinis, *tam præclari Ordinis Generali meritissimo, qui pro ingenti suo amore ac beneuolentia in Societatem, vnionem cum ipsa strictissimam vniuerso Ordini peregregijs literis commendat: & ne tanti testimonij Societati perhonorifici admodum vel apex deperdatur, totum hic transcribere, longo licet stilo ductum, operæ pretium duxi, & sic se habet.* Fr. Ioannes Baptista de Marinis Sacræ Theologiæ professor Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & seruus. In Dei Filio sibi dilectis vniuersis ac singulis eiusdem Ordinis Religiosis salutem in eo, qui fecit vtraque vnum. Cum Templi velo diuiso indiuisam Crucifixi Iesv Tunicam arguta antithesi componens S. Athanasius, inde Iudæorum perenne opprobrium, hinc diuinitatis Christi prævalidum elicit argumentum: [nimirum (*ait*) velo sciſſo Tunica Christi ne à carnificibus quidem diuisa est, nempe hoc ipso contestans, quod non diuisibile, sed indiuisibile verbum est Patris] Mira res! illud augustissimi Templi sacrum, ac preciosum velum loco tutissimo pendulum assiduis hinc, & inde leuitarum excubijs obseruatum, inuiolabile, intactum euadere sciſſuram nequit, in duo sciſſum est, & quidem à summo vsque deorsum: quando interim intextilis illa Christi Tunica sub militum

Societatis eximia commendatio à Prædicatorum Generali.

Matth. 27 51. Ioan. 19. 23.

tum pugnaci manu, in loco supplicij inter auariſſimos hoſtes, & acutos mucrones integra manet, & illæſa. In hoc igitur Chriſtum Deum, quem velabat velum, reuelauit Tunica, facta iam ipſius diuinitatis eximia prædicatrix, vt intelligamus, diuiſionem ijs quidem congruere, qui Chriſtum obuelant, indiuiſionem vero ac vnitatem his, qui Chriſtum prædicant, ac mundo reuelant.

Fratres mei Chariſſimi, quotquot mecum, & ſub me profitemini hunc Ordinem, qui Chriſtum prædicat Crucifixũ, diſcite ab hac indiuiſa Tunica Chriſti prædicare diuinitatem, illa quæ ante mortem Domini ſui texerat humanitatem, retexit à morte Deitatem: qua methodo! indiuiſione, diuidantur, ſcindantur, rumpantur qui Chriſtum obuelant, abſcondunt, eclypſant: at nos qui eum prædicamus, retegimus, reuelamus, neutiquam diuidendi ſumus ab ijs, qui nobiſcum prædicant indiuiſibile verbum Patris, qui ſeſe omnia ad maiorem Dei gloriam atque præconium deſtinare peculiari ac veriſsimo ſymbolo profitentur, qui inconſutili Chriſti Tunica ſimillimo nobis confilantur Apoſtolicæ vocationis ſtamine, atque velut IESV Socij diſſociari à nobis minime debent. Vultis dicam apertius? Cum inclyta Societate IESV perſeueret nobis iugiter illa indiuiſibilis vnio, & contextus qui Chriſti impartibilem Tunicam decet, ſit nobis vtrimque anima vna, & cor vnum in Domino, quem æmulo deuotionis ardore pariter Euangelizamus, hunc noſtra prædicet mutua indiuiſio: ſcindatur Templi Iudaici velum, at non diſſoluamur, non laceremur, non diſiliamus vnquam, quos in idem Apoſtolicæ prædicationis ſubtegmen peritiſſima ſpiritus ſancti textina deſuper conglomerauit, ſubſtrinxit, concinnauit.

Negat Mag. Gregorius Chriſtum ab eo prædicari, qui in hoc munere cooperarios, aut aſpernatur, aut admittere ac amare recuſat: vt quid enim Saluator diſcipulos ac prædicatores ſuos miſit binos ante faciem ſuam! quando præſtabat

Luc. 10. 1.

non

nõn binos mitti, sed singulos in tanta adhuc Operariorum paucitate! [verum combinandi erant, *inquit Gregorius*, quia minus quam inter duos charitas haberi non potest.] Noluit ergo prædicari Christus nisi ab vnitis & indiuisis, qui in eodem prædicationis Officio noscent amplecti consortem, charitatem mutuam colere, veramque discipulorum Christi tesseram, in amica combinatione circumferre: qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis Officium suscipere nullatenus debet.] Dissolue combinationis vinculum, & missionis tuæ fidem amisisti, à cooperario dissocieris, & Christi prædicator non putaberis.

Idem clarius, & veluti intento digito nobis occlamat Glossa Interlinealis adilla verba Mathæi 4. Vidit duos fratres, quod videlicet primos Apostolorum semel, iterumque binario numero vocarit Saluator, [quia vnitatem fraternæ dilectionis probauit, sine qua nullus in Ordinem Prædicatorũ admittitur.] Aduertamus: in Prædicatorum Ordine nullus admittitur, aut esse censetur, quisquis in Apostolica vocatione combinationem dissuit, fraternæque dilectionis lacerat vnitatem. Ergo, aut nullus sit Prædicatorum Ordo, si nullus admittitur, aut cum eo sit fraternæ dilectionis vnitas, & contextus erga eos, quibus in Christi vocatione combinamur. Matth. 4. 18.

Semper ita censêre, aut consueuere Patres nostri, & ne qua inter Religiosam illam Societatem, nostrumque Ordinem hiaret vnquam diuisio, latis Comitialiter grauissimis legibus cauere studuerunt. Recolite Generalis Capituli Valentini anno 1596. celebrati Admonitionem quartam, cuius hic est tenor. [Admonemus omnes fratres Ordinis nostri, pariterque in Domino hortamur, vt fraterno, sinceroque affectu prosequi velint Religiosos omnes, cum quibus ad eundem finem tendere debemus, specialiter vero eos, qui inter reliquos non segniter laborant pro fide Catholica tuenda, & salute animarum procuranda, Patres scilicet Societa- *Et à Valentino Capitulo.*

tis

tis IESV, quos plurimum inter ceteros illis commendamus, optantes, vt operibus internæ affectioni, & charitati testimonium reddant, eisdem vbi poterunt inseruiendo, nulloue pacto, verbo, vel facto offendendo: talis siquidem offensæ (si, quod absit, occurrerit) seueram mandamus à Prioribus, & Prouincialibus vindictam sumi, grauiter puniendo offendentes: quod si non egerint, vt Reuerendiss. Pater Generalis id resciuerit, delinquentem puniat, & simul atque ipsos à suo officio absoluet.

Et à Generalissimo Romæ celebrato, sub R^mo. Thoma Turco.

Recolite insuper Capituli nostri Generalissimi Romę anno 1644. celebrati Ordinationem 21. quæ sic se habet. [Ordinamus, ac omnibus Religiosis curæ nostræ subiectis districtè præcipimus, vt quemadmodum Christiana charitate tenemur, omnes Dei seruos, aut quorumcumque ordinum Religiosos, potissime Mendicantium, quos aut Ecclesiasticæ vitæ cultura, aut Sanctioris vitæ nobis æquales reddit) omni honore, atque amore prosequi, omniaque eis hospitalitatis obsequia præstare. Eadem sollicitè in RR. Patres Societatis IESV benigna cum humanitate impendere conentur. Horum & personas singulas, & Societatem totam benignissimè, & religiosissime colant ac venerentur, & tam intus quam foris vbi de eorum Sancto instituto, modo viuendi, & regimine sermo inciderit, adeo circumspectè, & honorificè semper de eis loquantur, vt tota Christiana Respublica nostri in eos impensissimi amoris testimonium reddere queat: & vt ipsi in nobis charitatis eximiæ officia, ac beneuolentiæ viscera experiantur, quorum quamuis non vna semper in sentiendo mens, voluntas tamen, & cor vnum, & anima vna in Domino nunquam, vt desit, oportet.]

Et ab alio ibidem celebrato.

Demum attendite postremi nostri Generalis Capituli Romæ 1656. habiti confirmationem 10. hisce conceptam verbis: [Confirmamus ad extremum apicem ea omnia, quæ de peculiari deuotionis affectu Religiosissimæ Societatis IESV à no-

à nostris vbique exhibendo, tum in Generali Capitulo Valentino admonit. 4. tum in Generalissimo Romano, anno 1644. ordinat. 21. pie, sancteque instituta sunt, ac Patrum nostrorum vestigijs inhærentes, mandamus vniuersim ac sigillatim omnibus nostri Ordinis fratribus, quod præfatam celeberrimam Religionem omni loco, & occasione honorificè suscipiant, amice venerentur, palam ac priuatim à calumniantium aculeis, morsibusque defendant, hospitalitate, confidentia, necessitudine, obsequio colant, nullaque seriæ, & intimæ beneuolentiæ officia prætermittant, vt mutuæ dilectionis necessitudine, tum ipsi Religiosi Patres, tum reliqui cognoscant omnes, quia Christi sumus discipuli: præuaricatores vero huius Sanctissimæ legis, si qui deinceps fuerint (quod absit) mox ipso facto incurrant, ac incurrisse declarentur, priuationem vtriusque vocis, graduum, ac officiorum cum perpetua inhabilitate, quam solus Minister Ordinis, vel Capitulum Generale auferre possit. Prouinciales quoque, & alij Superiores quicumque has pœnas transgressoribus infligere dissimulauerint, à suis officijs absoluantur.]

Iesuitæ strenui commilitones, & optime de Ecclesia merentes.

En filij charissimi, quænam semper in Ordine nostro viguerit de strenuis hisce commilitonibus nostris præclara opinio: en quanta solicitudine cauerint perpetuo Patres, ne nostri à viris tam bene de Ecclesia meritis, ac porro merentibus, vnquam vllius præposteræ æmulationis, aut simultatis diuortio sese rescinderent; hoc enim agnouerint nulli magis quàm inconsutili Christi Tunicæ nociturum, nulli minus quàm Prædicatorum Ordini quadraturum.

At vulgi, inquies, adagium est, figulus figulum odit: appositè id quidem, sed pro figulis, pro ijs, inquam, qui non nisi terrena versare norunt, ac sapere, quorum manus affatim in luto sudant, ac sordent, quibus omne in figmento, & argilla studium est, ac lucrum; at vero si nostra conuersatio in cælis est, vt esse debet, si didicimus leuare puras ma-

nus sine ira, & disceptatione, si nobis vni animarum saluti intentis illud censetur lucrum nostrum quidquid lucrantur contribules, vtique ab illo adagio eximere nos debet ministerij nostri puritas, ac celsitudo: proinde quantum à figulina vilitate distat Guzmana proles, quam procul à fingendi arte Ordo veritatis, tantumdem distemus à liuore, quo figulus figulum auersatur.

Ergo ad vos conuertitur, ad vos reuertitur inclyta nostra paræneſis, dilectissimi filij vobis iterum iterumque Tunicæ Christi inuiolatam integritatem, vel ex eo quod prædicatrix est Deitatis enixe commendamus, illam seruarunt in diuisam truculenti carnifices, & non seruabunt pij Religiosi? conclamant prophani milites, non scindamus eam, & à sacris tandem hominibus dilacerabitur? ipsane diuisores admitteret, admisit sortes, velut solo consortio seruanda illæsa, solisque consortibus indemnitatem suam debitura, & nos pigebit sanctiori consortio eamdem tueri, ac tenere indiuisam? absit, eia absit à nobis nostrisque consortibus omne quod sapit diuisionem, absit his conteſſeratis Ordinibus inordinata scissura, [perenne opprobrium Iudæorum quos velum scissum vbique confundit, quin potius, hortante Mellifluo Doctore, omnes concurramus pariter in vnam Tunicam, & ex omnibus constet vna, simul omnes simus illa vna, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.] Id nobis vtrimque pergat diuinitus præstare indiuisa Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Valete filij quotidie ad aram memores nostri charæque Societatis. Romæ in Conuentu nostro S. Mariæ super Mineruam, die 25. mensis Martij ann. 1661. Fr. Ioannes Baptista de Marinis.

Veneratione particulari prosequendus à Societate Ven. Ordo Prædicatorum.

Has literas quanti fecerit Societas constat ex Decreto 19. *Congregationis vndecimæ Generalis, quod hic transcribere memoria nostræ gratitudinis postulat.* Cum, *inquit*, peruenisset ad Congregationem per vnum aliquem è PP. Electoribus notitia Epistolæ ab Reuerendiss. P. Fr. Ioanne Baptista de Marinis Magi-

Magistro Generali Ord. Prędicatorum ad dilectos sibi in Dei Filio vniuersos, & singulos eiusdem Venerabilis Ordinis fratres directæ, eiusque manu subscriptæ, ac sigillo munitæ, & ab Ordinis Secretario traditæ, in qua decreta aliquot continentur in honorem, commendationemque Societatis, in Comitijs Generalibus Ordinis condita, censuit Congregatio, nulla etiam maiori expectata huius rei notitia, huic prouocationi honorariæ respondendum inprimis honorifica gratiarum actione, nomine suo, eidem Reuerendiss. P. Mag. Generali deferenda, tum deinde graui ad nostros omnes commendatione, quam ex Congregationis 8. sensibus voluit renouatam: Nimirum, vt Illustrissimum, natuque maiorem in Ecclesia Ordinem, sanctitate, doctrina, rebusque præclarè gestis de illa optime meritum, peculiari beneuolentia complectantur; de illa magnificè sentiant, & loquantur; alijsque Venerationis significationibus, & charitatis officijs prosequantur. *Hactenus Societatis decretum.*

Et vt plene, ac plane constet de signis beneuolentiæ, & charitatis exercendis erga Patres Ordinis Prædicatorum in prædicta Congregatione VIII. *stabilitis, hic eius Decretum* 12. *in perpetuam nostræ gratitudinis memoriam transcribere opere pretium duxi. Quod sic se habet.*

De signis beneuolentiæ, & charitatis erga illum exercendis.

Cum Reuerendiss. P. F. Thomas Turcus Magister Generalis Venerabilis Ordinis Prædicatorum, in Generalissimo Capitulo ad plura & maxima eius Ordinis in Societatem nostram vetera merita, illud nouissimum pro sua in nos beneuolentia singulari adiecerit; vt & Societatem Vniuersam, & singulas eius personas, non sine honorifico testimonio, omnibus charitatis, ac Venerationis officijs, suis Religiosis colendam districte præceperit; decreuit Generalis Congregatio, vt quod iam à P. N. Generali piæ memoriæ Mutio ordinatum fuit, id nunc totius Societatis sensu, & auctoritate districtius præcipiatur. Vt scilicet nostri omnes, vbique gentium, de Venerabili Ordine Vniuerso, de Sanctis eius Institutis, eximia doctrina, ac præclarè gestis cum ea commen-

datione, priuatim, ac publice loqui, cum eisque peramanter agere, & mutuæ hospitalitatis, ceteriſque omnibus charitatis officijs, certare ſtudeant, eo cultu, ac veneratione, quæ & minimam hanc noſtram Societatem decet, & religioſiſſimæ familiæ, natu ac dignitate maiori, maximè debetur.

A FRANCISCANIS.

Societas à Capit. Gener. Valliſolet. Commendata.

54. A CAPITVLO GENERALI *Valliſoletano celebrato anno* 1565. *quod poſtquam Seraphici ſui Ordinis Religioſis præcepiſſet aliorum Ordinum Religioſos bene tractare, addidit*, Præcipuè Patres Societatis IESV, quos debent amare, honorare, & cum charitate recipere ad ſuorum feſtorum celebrationem, *&c. Ita in ſermone de ſtigmatibus S. Franciſci per P. Ioannem de Armenta Hiſpali typis edito ann.* 1618. *fol. mihi* 3. *col.* 1. *In quibus verbis venerabiles illi Patres in grauiſſimo illo Capitulo congregati, ſpecialem ſuum amorem & exiſtimationem erga Societatem & ſuos ſatis demonſtrarunt.*

Et à Commiſſario Prouinciæ Belgicæ in erectione Collegij Namurcenſis.

55. A COMISSARIO GENERALI *Prouinciæ Belgicæ: cum ſermo varius de erigendo Namurcenſi Collegio crebreſceret, periculum multis amicis ſubeſſe videbatur, ne Religioſi Patres Inſtituti S. Franciſci de Obſeruantia, quorum præcipua Namurci auctoritas, et negotio remoras adferrent. Comiſſarius ergo P. Guardiani rogatu*, Cauit in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub pœna carceris, ne ſuorum quiſquam facto, verboque oſtenderet, aduentum Societatis in eam vrbem ſibi gratum non eſſe. *Faſſus eſt etiam noſtris dictus Guardianus ingenuè*, Noſtrorum commendatione longe auctiores acceſiſſe eleemoſinas Monaſterio, etſi alendo militi Ciuitas nunquam magis exhauſta fuiſſe videretur. *Hæc in Annal. Soc. ann.* 1600. *fol.* 516.

56. AB EMANVELE RODERICO *Inſigni Luſitano & Scriptore eruditiſſimo, Seraphici Firmamenti ſtella fulgentiſſima: qui*

Tom.1.Quæst.Regul.quæst.2.art.9.sic nostri Ordinis originem describit. Omnipotens (*inquit*) sermo Dei à regalibus sedibus veniens istam suam charissimam sponsam visitans, suscitauit à cælis Ignatium Loyolam Hispanum Cantabrensem genere illustrem, sed virtutibus, & literis illustriorem, cum sanctissimis socijs Petro Fabro, Francisco Xauerio, Iacobo Lainez, *&c.* Qui acerrimus Dux cum suis Sodalibus zelo omnes feruentissimo æstuantes contra Lutherum, omnesque eius sequaces castra posuerunt, pœnitentiam prædicantes, dicentes Regnum Dei non esse potum, & escam, sicut impij Lutherani existimabant, sed iustitiam, & pacem, & gaudium in Spiritu Sancto, *&c.* A quo strenuo duce habuit originem Ordo Societatis IESV tanquam à suo Capite, & fundatore, vt testatur Gregor. XIII. in sua Constitutione incipiente, Ascendente Domino. Qui iunctis illis secum strenuissimis Christi IESV commilitonibus Italiam venit, vbi sanctissima opera per ipsos in augmentum sanctissimæ fidei, animarumque salutem Deus in dies operando, constituerunt Congregationem istam non Ignatij, sed Societatem Iesu Christi appellari, adeo vt inde IESVITÆ veniant appellati. *Hæc ille.*

Ignatium Deus è cælis suscitat acerrimum ducem.

Qui cum socijs zelo feruentissimo æstuantibus contra Lutherum castra posuit.

Eorum sanctissima opera in augmentũ fidei, & animarum salutem.

57. A LVDOVICO MIRANDA *Scriptore etiam doctissimo, qui Tom.1.Director.Prælator.Regul.quæst.4.art.12.non minus aut benevole, aut copiosè Societatis ortum, & encomia recenset.* Inter Religiones (*inquit*) celebres, & illustres, quæ summo Dei beneficio in Ecclesia vigent, quæ & breui temporis spatio magna susceperunt incrementa, nõ mediocrem tenet locum Religio Societatis IESV. Hæc Sacra Religio ortum, & Originem duxit à quodam deuotissimo, ac nobili viro, strenuoq; Duce Ignatio de Loyola Cantabrensi, illustri quidem genere, sed moribus, & virtute illustriori. Anno 1540. confirmata, & approbata fuit à Paulo III. sed postea ab alijs summis Pontificibus Ordo iste Sacer summopere etiam honoratus, approbatus, & confirmatus, & multis gratijs, & priuilegijs locupletatus. Huius Societatis, & Familiæ præcipuum studium,

Societas inter celebres, & Illustres Religiones annumeranda.

Eius origo, incrementum, & approbatio.

Præcipuũ studium literis, & animarum saluti incumbere.

atque exercitium est, literis & hominum spirituali saluti incumbere, docendo, legendo, prædicando ac fidelium confessiones audiendo, pueros, & omnes alios in doctrina sancta erudiendo summa modestia, & religione, & quam maxima fidelium omnium ædificatione. Dicuntur huius Instituti alumni & professores vulgariter, sed per imperitiam quidem, atque ex ignorantia Theatini, cum tamen hæc Religio maxime ab illa distincta sit. Hæc enim, vt diximus, ab Ignatio de Loyola initium sumpsit, illa vero à quodam Illustrissimo viro Domino Petro Carrafa Neapolitano, quondam Episcopo Theatino, à quo & ipsi Theatinorum acceperunt nomen. De hac Religione, quæ in sancta Dei Ecclesia cum tanto fidelium omnium fructu, adeo enitet, cum plura possem dicere, consulto facio missa, breuitati studens, & quia non id est præsentis speculationis. Qui plura desiderat, consulat Petrum à Ribadeneira in libro quem edidit de vita S. Ignatij de Loyola, huius Instituti, & sanctæ Societatis Auctore. Consulat etiam Fr. Hieronymum Romam lib. 6. de Republica Christiana, & nunc nouissime Hieronymum Plati libro suo 2. de bono status Religiosi cap. 23. vbi etiam videre licebit rationem, ob quam huius illustris Instituti cultores, & professores nuncupentur IESVITÆ, nempe propter maximam deuotionem, & reuerentiam, cordialemque affectum, quem supradictus B. Ignatius de Loyola ad istud sanctissimum Nomen semper habuit, & quia, vt dicitur, ipse ab eodem Christo IESV reuelationem accepit, quod suus sacer Ordo futurus erat semper sub speciali eiusdem, & sui dulcissimi Nominis patrocinio, atque custodia. *Sic ille.*

Varijs ministerijs, summa modestia, & religione.

Magno fidelium fructu in Ecclesia Dei enitens.

Sub IESV Nominis patrocinio, & custodia.

58. * A B. IOANNE TEXEDA *Viro de eadem Franciscana Familia asperitate vitæ, & contemplatione rerum diuinarum, & aliarum celebritate laudum insigni: quem Barcinone olim cognitum Borgia, Gandiamque eius Præsidum voluntate ductum, veluti suæ pietatis Magistrum habebat, is non semel asserebat*, Societatem tot persecutionibus concuti, quia Deo grata sem-

Ideo persecutionibus concussa, quia Deo grata.

per

per extitit. *Ita ille apud Euseb. vitæ B. Borgiæ lib. 1. cap. 28. vbi paucis verbis multa Societatis encomia vir tantus complexus.*

59. A MATHIA DE SOBREMONTE, *Ministro Prouinciali, & in Senatu fidei meritissimo Censore, qui in Approbat. Tom. P. Antonij Velasquez de Immaculata Virginis Conceptione, inter alia inquit*: Dignumque censeo volumen, & tanto Auctore, & excultissima sua Societate IESV, quin addendum quidquam, aut demendum putauerim. [Neque enim fieri poterat (vt loquar cum Cassiodoro Epist. 22. lib. 9.) vt quem tantæ auctoritatis familia tanta produxerat, sententia nostra in eo corrigendum aliquid inueniret.] *Hæc ille ad finem dictæ Approbationis.* *Eius æstimatio.*

60. * A MARCELLO DE RIBADENEIRA *In Historia Archipelagi cap. 7. vbi Societatem vocat*, Religionem sanctam, potentemque multis glorioſis Martyribus gloriari, quos inter Infideles, ac Hæreticos habuit. *Ita refertur apud Euseb. Tom. 1. viror. illustr. Soc. fol. 501.* *Est Religio sancta, potens multis Martyribus gloriari.*

61. A LVDOVICO à S. IOANNE EVANGEL. *ex Regulari Obseruantia egregio Concionatore, Comissarioque Discalceatorum Generali, appellante* IESV *Societatem*, Fontem Doctorum sacratissimum. *Ita ille in Approbat. ad Tom. 1. Euangeliorum P. Antonij de Escobar.* *Est Fons Doctorũ sacratißimus.*

62. * A DAMIANO DE LVGONES *Concionatore selectissimo, qui in sermone de Beatificatione B. Ludouici Gonzagæ ingentem elogiorum Societatis cumulum congerit, quorum ego aliqua, eaque præcipua summatim referam. Et inprimis fol. 9. col. 2. Societatem vocat*, Matrem mortalium omnium: imo & Matrem legitimam omnium Religionum. *Et fol. 10.* Partem Ecclesiæ excellentissimam & nobilissimam: imo vnam ex eiusdem Ecclesiæ excellentioribus, & nobilioribus partibus. *Et fol. 11. col. 2.* Ventrem mystici Corporis Ecclesiæ, eam abundanter filijs ditantem. *Item, &* Humerum eiusdem in Germania, Gallia, Polonia, Anglia, Hibernia, nec non & in ceteris Regnis *Societas omniũ mortalium, imo & Religionũ Mater.* *Pars Ecclesiæ nobilissima, & excellentißima.* *Eius mystici corporis venter, humerus, cor, manus.*

Illius fidem Athlantis instar sustentans.

gnis hæresum labe infestis fidem Athlantis instar sustentantem. *Et Ibidem, Societatem appellat.* Eiusdem Ecclesiæ Cor exercitijs sanctæ orationis & contemplationis continuis, ac feruentibus viuificans: *Item:* Manum vtramque eiusdem, eam iacentem & afflictam, viris doctissimis, Cathedris, sermonibus, disputationibus validissimis erigentem. *Et fol.* 12. *col.* 1. Afflictorum Consolatricem *nominat. Et col.* 2. Aceruum tritici lilijs vallatum, puluere ac palea defæcatum, puritatis candore illustrissimum. *Et fol.* 13. *col.* 2. *ait Societatem esse*, Granum frumenti in Ecclesia natum ex Grano illo triticeo cælesti, scilicet IESV, ex quo panis conficitur, qui fidelium corda corroborat. *Et fol.* 14. *col.* 1. Religionem irreprehensibilem *appellat. Et fol.* 15. *col.* 2. *dicit*, Societatem recipere in se ventris instar scientiæ & doctrinæ alimentum, quod per totum Ecclesiæ Corpus illa distribuit; quoque illa ceteras Religiones ac statum Clericalem sustentat: *Et insuper* Extensam, *ait*, per totum orbem ad Orientem & occidentem, septentrionem & Meridiem. *Et fol.* 16. Candelabrum aureum totum, quod vidit Zacharias septem sanctis filijs velut lampadibus præfulgens, ex quibus fideles omnes lucem virtutis, & doctrinæ hauriant. Nec non & vnum è septem Candelabris, quæ vidit in sua Apocalypsi Euangelista Ioannes charitatis auro splendidissimum. *Et fol.* 20. *col.* 2. Candelabrum habens pro lampade IESVM *Societatem appellat. Et tandem*: Pedes Ecclesiæ, quibus ea progreditur, & sustentatur; sicut Corpus pedibus graditur, & nititur. *Hæc ille inter plurima, quæ per totam illam Concionem dispersa habet in summam Societatis laudem.*

Est afflictorum consolatrix Cant. 7. 2. *Et aceruus tritici lilijs puritatis vallatus. Granũ frumenti ex IESV natũ. Scientiæ, & doctrinæ alimento. ceteras Religiones, ac statum Clericalem sustentans. Candelabrum aureũ filijs velut lampadibus præfulgẽs.* Zach. 4. 2. Apo. 1. 12 *Imo IESVM habens pro lampade. Est Pedes Ecclesiæ.*

63. A ZACHARIA BOVERIO: *Qui nec illustre minus de fundata primum Societate testimonium inserui Annalibus Minorum Capucinorum anno Christi* 1534. Ceterum (*inquit*) hoc anno, in quo Henricus VIII. Angliæ Rex post Catholicam Religionem verbo, & scripto propugnatam, ob Annæ Bolenæ coniugium, ac Catharinæ vxoris repudium, schismate in

Angliæ Regem Pontificiobedientiã negante, orta Societas.

Anglia

Anglia concitato, à Pontificis obedientia, ac postremo à fide desciuit, maxima Dei in Ecclesiam, tum prouidentia, tum benignitas enituit. Nam hoc ipso tempore, prima Illustrissimæ Societatis IESV fundamenta iacta sunt, Deo primum, tum Sancto Ignatio Loyola Auctore, qui hoc anno sex sibi adiunctis Socijs, vt apud illius vitæ Scriptores videre licet, præcipua voti religione Pontificis se obedientiæ adstrinxit: vt quod in Rege & Regno ceciderat, in Sancto atque Apostolico Viro, atque in eius Societate resurgeret. *Hæc ille apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 11. fol 678.*

Quæ illi speciali se obedientiæ voto obstrinxit.

66. * A BARTHOLOMÆO RVBIO *Eiusdem Seraphici Instituti de Obseruantia Viro clarissimo, cui tanta de Ignatio Parente Sanctissimo, primæuisque Socijs, falsis calumnijs impetitis, existimatio, vt publico instrumento testaretur,* Eos viuere vitam exemplarem instar Apostolorum. *Ita ille apud P. And. Lucam in vita S. Ign. lib. 2. cap. 7.*

Socij viuunt vitam exemplarem instar Apostolorum.

65. A LOVANIENSI *Moderatore, eximia pietate, prudentiaque Viro, quem scimus negasse in suorum numerum admittere, nisi ascetics Ignatianis ante exultos: Quod multo iam vsu sibi compertum diceret,* Hos in omnem virtutem, & proniores & constantiores existere. *Sic apud Imag. 1. sæc Soc. lib. 6. cap. 23. sect. 1. fol. 790.*

Eorum doctrina exculti, in omnem virtutem proniores, & constantiores existunt.

66. A IANVENSI CONVENTV *Florentissimo licæo in thesibus typis mandatis Mediolani ann. 1636. miris hieroglyphicis excusis, R. P. N. Generali Mutio Vitellesco dicatis, respondente Fr. Ioanne Salerno à Camplo Sacræ Theologiæ Bacalauro, Præside R. P. Magistro Bartholomæo Ferrio ab Argenta eiusdem Ianuensis Licæi Regente dignissimo.* Angelicæ (*inquit*) Theses, cui potius, quàm Tibi, hoc est Angelo (Reuerendiss. Pater) deferantur? Et vero vel ipse Angelus es, vel Angelos esse certissimum argumentum cum Te hominem Mundus non probauerit. Quid Cælum, cui moderando indefessè præsides, quam non obscurè Te Angelum prodit. Tu enim immotus Vniuersum hoc Cælum, quod terrarum Orbem complectitur, ex Vrbe tan-

Mutius Generalis laudatus.

Societas Cælum omnem terrarum Orbem complectens.

quam ex vertice torques, ac vnus immensam illius magnitudinem imples: hoc etiam Angelorum similis, quod temporis, vel laboris lima non attereris, cum integris animi viribus extremam ætatem feras, ac eâdem, vt semper, dexteritate creditum Tibi Cælum modereris. Ita volens, ac propitius supremus Motor Te diutius sospitet, nec suum Angelum Terris Cælum inuideat. *Hæc florentissimum Ordinis Seraphici Ianuense Licæum.*

Cuius Angelus, seu intelligentia mouens, eius Generalis.

67. A PETRO NICOLAO FACTORIO *Viro virtutibus, & miraculis clarissimo. Is Societatis homines eiusque Institutum eximijs laudibus pene ad aliorum inuidiam extollebat*: Beatosque putabat, qui eorum consilijs & directione spirituali vterentur. *Occurrentes sibi tanquam Angelos venerabatur, summa beneuolentiæ & cultus significatione. Ita apud Nicol. Lancic. Tom. 2. Opusc. Spirit. 17. cap. 4. num. 203.*

Beati, qui Sociorum consilijs, & directione vtuntur.

68. A PHILIPPO BOSQVIERO *Cæsari montano Minoritæ Obseruant. Prou. Flandriæ, Scriptore doctissimo, Tom. 2. suorum Operum conc. 2. in Annunc. B. M. fol. mihi 736.* Vt Sociorum (*inquit*) Beati Ignatij Loyolæ Institutum oportuit esse perfectissimum, quod selectissima quæque aliorum ante ipsos Ordinum sibi adscisere potuerunt, sic Mariæ Virgini ex meritis omnium creaturarum perfectionibus Illustrissimis confectæ nihil videtur deesse potuisse, non si vel Momus censor accersatur. *Sic eruditissimus Franciscanus Instituti Iesuitici perfectionem explicat.*

Societatis Institutum perfectissimum, selectissima aliorũ Ordinum sibi asciscens.

69. * A LVDOVICO DE VALENCIA *Ministro Prouinciali Capucinorum in Valent. & Murciano Regno, Lectore Theolog. Iubilato, & Qualificatore S. Officij Inquisit. vtriusque Regni, in Approbat. Tomi de Mariana Deuotione per P. Christoph. de Vega conscripti.* Ad Maiorem Dei gloriam (*inquit*) fuit symbolum magnanimum, quod semper præ oculis, imo & in ore habuit, (cui quidem subseruiebat ardor ille, quo nobile illud Illustrissimi Patriarchæ, & Clarissimi Doctoris pectus ardescebat, qui vel suo nomine Ignis Seraphici, quo æstuabat, signa

Commendatur in Ignatio.

Qui maiorem Dei gloriã semper in ore, & præ manibus virtutum operibus habebat.

gna præferebat) sed & illam præ manibus semper heroicis virtutum operibus plenissimis, ad maiorem Dei Gloriam, vt ad scopum collimantibus, D. Ignatius de Loyola. Quam ob rationem in fundatione clarissimæ suæ, & nunquam dignè sublimatę Religionis Societatis IESV (quæ est sacra Sanctitatis Idæa, & totius doctrinæ, & eruditionis exemplar) in illam & in illum aciem oculorum direxit: in illo cęlesti solo plantauit eam, agendo radices, & crescendo tam floridâ, vernante, ac frugifera pompa, vt cælo lætitiam, Ecclesiæ admirationem pariat: illiquè quod de ista dixit Christianus Demosthenes Chrysostomus mirabiliter quadrat. Ecclesia (*Societas*) in cælo radices fixas habet, priusquam in terra. Idque ut bene fundata & radicata in cælo, & in gloria IESV, opimos in terra fructus eiusdem gloriæ ferat; quod quidem nunc etiam Sanctissimus Pater ipse per se sollicitat in cælis, & per filios sibi similes, & minime degeneres consequitur in terris, scilicet vt vel ipse Naso cecinit. *lib.* 4. Metamorphos.

Cuius pectus Seraphici amoris, vel in ipso nomine signa præferebat.

Societas Sanctitatis Idæa, doctrinæ, & eruditionis exemplar.

Tam floridacreuit, vt cælo lætitiam, Ecclesiæ, admirationē pariat.

Radicata in cælo, & in gloria Iesu opimis in terra fructibus.

Qui viret in foliis, venit ex radicibus humor,
Et Patris in filios abeunt cum semine mores.

Sed & ipsa Tullij eloquentia prædicauit de claris. Orator. aut Bruto num. 112. ò generosam stirpem, & tanquam in vnam arborem plura genera, sic in istam domum multorum insitam atque illustratam sapientiam! Ex illo Progenitore Ethna amoris Dei, prodierunt filij flammæ, faces, & lumina ingenium illuminantia, & voluntatem ad omnem virtutem inflammantia: ita vt de illis dixisse videatur magnus Aurelius Cassiodorus: [Nati sunt faces ex facibus, & naturam retinentes fetus arborei pullularunt.] Sed tam sublimem Religionem (iuuenilis ætatis meæ excultricem, cui constantissimo deuinctus fui semper obsequio) silentio venerari mihi Sacratius est, cum maximè vel ipsius famæ vox extentorea, & calamus citissimus in incepto deficerent. Taceo cum Ouidio in Ibin. vers. 203.

Stirps generosa.

Ex Ignatio amoris Ethna filij flammæ, & lumina prodiere.

Ingenium illuminantia, & voluntatē ad virtutem inflammantia.

Nec mala, voce mea poterunt tua cuncta referre,
Ora licet tribuas multiplicata mihi.

Societas alienis Elogijs non indiget, sed sui ipsius semper Elogium.

Id duntaxat de tam Sacrato Ordine iuuat dicere, quod de magna Carthagine Saluſtius: [Cum tam multa dici poſſent, melius eſt ſilere, quàm pauca dicere.] Cum præſertim alienis Elogijs non indigeat, quæ ſui ipſius ſemper erit Elogium, vt optimè Valerius Maximus: Publicè conſeruata virtus, priuata laudatione non indiget. *Hucuſque ille ex Hiſpano idiomate fideliter latine redditum.*

Eſt ſacerrimus, & clariſſ. Ordo.

Paradiſus Solis IESV iubare illuſtratus.

AB EODEM *In Approbat. Tom. 1. de Theogol. Mariana eiuſdem P. Chriſtoph. de Vega: vbi poſtquam Societatem, Sacerrimum & clariſſimum Ordinem appellauit, eius laudes proſequitur in hunc modum.* Plaga, *inquit*, huius ampliſſimi campi, auguſta & Sacra Societas IESV (ſub cuius vexillo, etſi nomen non dederim, ab incunabulis fere animum tradidi) Orientalis eſt, & ille ſitus Edem conſiti Paradiſi, ad terram habito reſpectu promiſſam. Quæ à ſolis IESV iubare primo & maximè illuſtratur: de qua adlocutus magnus ita videtur Caſſiodorus. [Ornamentum eſt Ordinum cæterorum. Recipiat alius Ordo forte mediocres: Senatus reſpuit eximiè non probatos.] Lib. 1. epiſt. 13. & 41. De eiuſque alumnis fortunatis Cæſarius Nazianzeni frater viſus eſt mihi prædixiſſe. [Totum mundum ſuaui odoris fragrantia replent, qui & ſplendore ſuo firmamenti luminaria vincunt, & vitæ ſermonem continent. Quorum elychnion nunquam decidit, & lucerna non comminuitur, & Oleum non abſumitur, & lampas non quaſſatur, & flamma non extinguitur.] *Hæc ille ex Cæſario, & belle quidem in commendationem Societatis.*

Ornamentum Ordinum ceterorum.

Cuius filij ſuaui odoris fragrãtia mũdum replent.

Et ſplendore ſuo firmamenti lumina vincunt.

AB EODEM *In Approbatione ad Opuſculum Amadæi Guimenij Lomarienſis Primarij olim Theologiæ Profeſſoris, cui eſt titulus; Aduerſus quorumdam expoſtulationes, contra nonnullas Ieſuitarum opiniones morales, vbi inter alia, vir tantus Societatiſque amantiſſimus hæc de ea ſpargit encomia.* Nec modo, *inquit*, in aliqua Auctoris theſi, quiddam fidei orthodoxæ dogmatibus, rectorum morum

morum institutis, desideratæque veritatis vestigijs deuium offendi: quin imo eius Consilium inuidiosum summis laudibus, præconijsque, oppido efferendum sensi. Disrumpitur hæreticæ impietatis animus, liuor virulentus efferuet in Sacerrimam, nunquamque dignis illustratam encomijs Societatem IESV. *Et postquam ex ea tamquam ex equo quondam Trojano multos prodiisse Patres, cum Coccæo Augustinianæ Familiæ Magno lumine dixisset, subdit*: Et profundiori stylo Apostolica Oracula Pauli III. Greg.XIII. Pij V. aliorumque summorum Pontificum in suis diplomatibus in æthera vsque laudibus efferunt Societatem, eiusque inuictorum militum facinora pandunt. Hæc cum Apostolico iure iurando ita se habeant, quid mirum si Orcus in tantæ Matris Venerabiles liberos excandescens infremuerit? Ac per infidos suos, & Anonymum (qui pudore forte correptus nomen non dedit) in eorum mirabilem, sanamque inuehant doctrinam, eorumque placita iniquis notando censuris eorum inuerecunde famam studeant denigrare? Ex Xenophonte refertur [quod si etiam, sine aliquo errore quidquam peragat aliquis, non facile est quin patiatur, aut inueniat aliquem iniquum iudicem, &c.] Hunc in Anonymo, Iesuitica Societas virtutum ac scientiarum Emporium experta est. Et cum penè prodigium sit in tot, immo innumeris fere eius Authoribus, qui ingenij sui monumenta tradiderunt, aliud, quod carpat haud deprehenderit; Ipsa tamen non inanis philautiæ ardore ducta, æquo animo calumnijs pepercit, firmans exemplo, quæ verbo docet, vt suæ consuetæ (forsitan nimiæ) modestiæ non parcat. Cum pluribus æquum videretur, quod eorum vita ac doctrina in exemplar imitationis posita ab ea acerrimè contra detrahentium linguas propugnaretur. *Et postea addit*. Sed etsi Iesuiticæ Societati mire adaptetur quod de magna Carthagine dictum à Crispo, referente Macrobio Saturnali cap. vltim. [Nullius laudibus Carthago crescit, nec vituperatione minuitur.] Æquissimus nihilominus omnipotens in

Societas nunquam dignis encomijs illustrata.

A Pontificibus in æthera vsq; laudibus ellata.

Qui eius inuictorum militum facinora pandunt.

Ideo in eorum mirabilem doctrinam orcus infremuit.

Societas scientiarũ Emporium.

Ac pene prodigium innumeris eius Auctoribus.

Nimia eius modestia in tolerandis calumnijs.

Nec laudibus crescit, nec vituperatione minuitur.

manibus aduersarij illam minimè derelinquens, suscitauit spiritum sapientissimi Amadæi eiusdem lacte sine dolo nutriti, apprehendentis arma & scutum, suaque flammea dexteritate Doctrinam Doctorum IESV præclaro nomine signatorum strenuè decertantis, animositatem aduersarij coërcentis, tela retundentis, valentis cum Hieremia merito iactare cap. 13. & 21. ad Anonymum. [Tu enim docuisti me aduersum te, & erudisti in caput tuum] ictus item quibus impetuntur frustraneos, irritos & vanidos suæ doctrinæ candore detegentis. De quo Virgilius ceciniſſe videtur.

Eius doctrina frustra aduersariorum telis impetita,

Romanæ stirpis Origo.
Sydereo flammans clypeo, cælestibus armis.

Qua sydereo clypeo, armisque cælestibus defenditur.

In quo Magistris suis iuste debitum persoluit. Iure igitur feliciterque pro suis moderatoribus, Amadæus dimicauit, ac vicit. Sed age iam nollem me suspectum haberi, rigidasque Censoris leges pro encomijs commutare? Ne quis tamen nimis scrupulosè miretur limites iudicantis transgressam gratam sobolem: [sum equidem, vt verbis vtar Cassiodori lib. 12. epist. 2. ad Ioan. Pap. Iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus,] perpetuoque requiram debita lesuitis meis decantare Doctoribus. *Sic ille in suo approbat. opusculi Amadæi iam dicti, Valentiæque typis editi anno* 1661.

Societas à Capitulo Generali Franciscanorum cõmendata.

70. A CAPITVLO GENERALI *Pinciæ habito, in quo Venerandi huius Seraphicæ Familiæ Patres suum erga Societatem plenum charitatis animum ostenderunt Decreto in hæc verba edito.* Cum noster Ordo Minimorum existat, atque in humilitate præcipue, & charitate fundatus, nouerint fratres omnes vbique terrarum dispersi, religiosos cuiuslibet Religionis humiliter, & humane tractare, tum maximè eos, qui de Societate IESV fuerint: quos diligere, & honorare debent, eosque ad actus literarios, festorum celebritatem, aliosque publi-

publicos actus, ad quos religioſi conuenire ſolent, cum charitate inuitare & ſuſcipere. Nec noſtrorum quiſquam audeat ijs publicè vel occulte detrahere. *Ita refertur Par.3. Hiſt. Soc. lib.*1.*num.*119.

71. A LVCA GVADIN *Commiſſario Generali Ordinis Seraphici, viroque grauiſſimo, qui tantam de Religione noſtra, ac Ignatio Fundatore ſanctiſſimo opinionem conceperat, vt diceret,* Seneſcenti Orbi fulciendo Societatem ſummiſſam : Vniuſque hominis perpetuo ſtudio vilificantis prolem Illuſtrem; felicis Parentis felicem progeniem. *Hæc ille in cenſura aurei illius libelli de Gloria S. Ignatij. Et quæ maior Ignatij gloria, eum Religionem procreaſſe quæ ſeneſcentem Orbem, & iam pene caducum virtutis ac doctrinæ fulcris ſuſtentet.*

Seneſcenti Orbi fulciendo de cælo ſummiſſa.

Felicis Parentis proles illuſtris ac felix progenies.

72. A PETRO OPMERSENSI *In Probatione Miſſæ pag.* 129. Ieſuitæ (*inquit*) ad tranſmarinos, & nouas Inſulas, ipſoſque Antipodas (ſicut & Franciſcani) profecti multas gentes ſua prædicatione ad Chriſtianiſmum perduxerunt : Lutherani, ac alij Hæretici hunc Ordinem peſſimè oderunt, quod ipſi eorum dogmata confutent, & vehementer inſectentur. Ego vnum è Societate Patrem opponerem contra centum Lutheranos, ac totidem Caluiniſtas; in quo plus eſt pietatis, ac ſolidæ eruditionis, quàm in omnibus iſtis, etiamſi in vnam eſſent conglomerati maſſam. *Hactenus doctiſſimus, ac piiſſimus Franciſcanus in medio Germaniæ, & coram ipſorum Hæreticorum agminibus conglobatis. Ita refertur nouiſſimè à P. Gabriele de Henao Par.* 2. *de Sacrificio Miſſæ. diſput.* 27. *ſect.* 12. *num.*124.

Ieſuitæ ad ipſos Antipodas prædicatione penetrarũt.

Quàm ſint hæreticis odioſi?

Vnus Ieſuita contra centũ Lutheranos, ac totidem Caluiniſtas opponẽdus.

In quo plus eſt pietatis, & eruditionis quàm in omnibus iſtis.

AB AVGVSTINIANIS.

Nascente Societate Christiani mores Romæ reuiuiscunt.

73. AB HIERONYMO ROMANO, *Viro pietate, ac eruditione clarissimo, qui agens de initijs Societatis in Ecclesiæ vtilitatem, quàm strenuè, tam vtiliter laborantis*, Vno (*inquit*) momento mutata est tota Roma, quia isti amici Dei se dispergebant per vicos, & plateas Vrbis, vt cumulatiùs prodessent omnibus. Tunc incepit reuiuiscere antiqua deuotio Primitiuæ Ecclesiæ frequentandi confessionem & Eucharistiam: tunc repleri Templa populo ad conciones confluente. *Hæc ille apud Imaginem 1. sæculi Societ. lib. 3. cap. 8. fol. 373.* * *Et plura in hanc sententiam libro suo 6. de Republica Christianâ, de fructibus Societatis, propagatoque per eamdem vsu Sacramentorum prosequitur in hunc modum.* Considerati (*inquit*) tot Ordinum incrementis, quot iam supra assignata manent, quo pacto creuerint, ac se multiplicauerint, in hoc Societatis IESV Ordine clausi cæteri omnes videntur, quia si in illis fuerunt asperitas, Doctrina, Prædicatores, Magistri multarum virtutum; in isto id totum continetur, quia in eo inuenitur Schola temperantiæ, continentiæ, verecundiæ, Mundi contemptus, amor proximi, zelus animarum. Per hoc Institutum renouari vetus consuetudo frequentiæ Sacramentorum, Pænitentiæ, & communionis cœperunt, frænari Homines à blasphemijs, & iuramentis, seque omnes verbis sanctissimis, & amore plenis salutare. Hodie per hanc Religionem videmus modestiam in iuuenibus, educationem bonam in pueris, honestatem in Virginibus, grauitatem in Matronis, & tandem in quolibet hominum statu, ac conditione reformationem. *Sic ille, apud P. Euseb. in vita S. Ignatij, tractatu de eius zelo, Regula 3.*

Est compendium omnium Religionum.

Omnium virtutum Schola.

Hominum reformatrix.

74. A IOANNE MARQVEZ *Disertissimo Magistro, & Salmanticensis Vniuersitatis excellenti lumine in Gubernatore suo Christiano lib. 2. cap. 24.* Notauit (*inquit*) Genebrardus lib. 4. Chronolog.

nolog. anno 1521. hoc ipso anno, quo celebrata est diæta Wormatiensis, atque Luthero contigerunt, quæ de eo Historici produnt, incepisse sanctum illum Virum Ignatium de Loyola fundamenta ponere Instituti Societatis IESV, quę inter floridiores Ecclesiæ cœtus de ijs est, qui maiores fructus attulere: ex qua velut ex equo Troiano hoc sæculo prosiliere viri insignes, qui non minus prospere calamo decertarunt aduersus pessimum Hæresiarcham & eius assecias, quam glorioſus Imperator Carolus V. gladio. *Ita ille apud Paulum Leonardum in Apolog. pro scientia Media Par. 2. numer. 87.*

Cœtus ex floridioribus Ecclesiæ.

Ex ea velut ex equo Troiano insignes viri prodiere.

75. * A PETRO DE VALDERRAMA *Prædicatore egregio, ac scriptore celeberrimo in sermone de Beatificat. S. Ignatij fol. 8. col. 2.* Diuinus (*inquit*) filius Crucem super humeros baiulans se Ignatio manifestauit, cum ad prima sui Ordinis fundamenta iacienda Romam properabat. Eâdem non Te exhiberes imagine, ô Domine, qua Euangelistarum Aquilæ Te exhibuisti, accitum ex ore vibrantem gladium? siquidem ex hoc sacrato Cœtu innumera futura erat Prædicatorum multitudo, qui vndique Verbi Dei gladium versatilem rotantes in vitia & scelera, magna strage erant aliquando irruturi? vel cur ipsi non apparuisti calamum apprehendens digitis, vt illum Ignatius sibi assumeret, omnique suæ sapientissimæ communicaret Familiæ: cum ipsa tot, ac tam diuina volumina in lucem editura erat, vt tanquam prodigia celebrarentur? vel sicut Ioanni, & Ezechieli comedendum librum porrigens. Comede volumen istud: cum istius Societatis alumni, omnium Scriptorum volumina videantur deuorasse. Sed Crucem laborum insigne ostendit, quam Societatis filij humeris suis valentissime imponerent, *&c. Et fol. 9. col. 2.* Hic (*ait*) Sacratus Cœtus, licet adeò sit deditus Orationis, & meditationis studio, vt plurimas noctis horas vigil in hac occupatione persistat: tamen amor, & charitas animarum, quæ continuis ignibus eorum pectora depascit, illos adigit, vt Ec-

Sacratus Cœtus innumera Prædicatorum multitudine pollens.

Apoc. 1. 16.

Et insigniũ scriptorum.

Apoc. 10. 9. Ezech. 3. 1

deditus orationis studio,

Animarum zelo, ac puerorum educationi.

cleſiæ gregis curam ſolicitè agant, qui amor cum pinguibus paſcuis, ſalutaribus diſciplinis, & pellucidis integerrimæ doctrinæ riuulis nulla erroris impuritate turbatis indigeat, neceſſum fuit, vt à communi in choro pſalmodia abſtinerent, ne gregem abſque neceſſario cibo mortis periculis exponerent, vt mererentur Angeli vocem excipere, Dimitte me, quia iam aurora eſt. Quomodo primas litteras pueris poſſent inſtillare? Chriſtiana myſteria per compita illos edocere, primis grammaticæ rudimentis adoleſcentulos imbuere? Philoſophiam, Theologiam, & Scripturæ interpretationem adoleſcentibus tradere: & ſimul omnibus, virtutes & æquos mores inſinuare? Si continuo Chori pondere premerentur: quomodo tanta valerent eruditione populum in Eccleſijs inſtituere, quomodo in publicis vijs, in numeroſis gentium cœtibus vitia eradicare, rapaces inferorum lupos arcere? ſi totum diei ſpatium [in hymnis & Canticis occuparent: id neutiquam fieri poterat. Plurimos habet Eccleſia qui ad maiorem Dei gloriam, proprium meritum, & commune totius Eccleſiæ emolumentum in hoc occupentur; ſed hæc Sacra Religio quam charitas, & omnium ſalutis deſiderium impulit, vt curam iſtius gregis gereret, tam continuo ſtudio, his implicari non poteſt, *&c. Et fol.* 12. *col.* 1. Palma (*inquit*) pluribus illaqueata racemis Societatis eſt clariſſimum hierogliphicum, ſtatura tua aſſimilata eſt Palmæ, vbera tua quaſi botrus *cant.* 7. quàm diuerſam arborum Societatem diuinus ſponſus hîc inuexit? Palma enim non niſi poſt ducentos aut trecentos annos ad perfectam altitudinem aſſurgit; fructuſque ſuos, non niſi poſt longiſſima ſpatia producit, vitis autem tertio, vel quarto anno: verum hoc eſt Societatis miraculum, quæ cum tenella ſit adhuc planta, maturos fructus præbet, & adeo ſe in aëra extollit, ac ſi annoſa eſſet Palma. Hoc erat miraculum, quod Deus in hac Sacrata Religione Familia oſtenſurus erat. Etenim Societatis filios voluit eſſe Eccleſiæ vbera, qui vt vites doctrinæ & pietatis lacte infantes enutrirent, & voluit eſſe

Omnibus virtutes, & æquos mores inſinuans.

Palma ſublimis Eccleſiæ. Cant. 7. 7.

Adhuc tenella maturos fructus præbens.

Eius filij Eccleſiæ vbera.

Botros,

Botros, quorum solidæ virtutis vino, ætate iam prouecti corroborarentur. Igitur Societas Cœtus est, cuius vberibus admota Ecclesiæ posteritas pingueſcit, *&c. Et col.* 2. Res (*addit*) profecto mirabilis est, quod adeo hæc Religio excreuerit, & caput ad æthera sublimarit, cum tot impetita fuerit inimicorum iaculis! Palmam ergo celsissimam refert, quæ quo magis pressa, altius erigitur. Nec absque mysterio cum Palma Societatem contuli, quia quot victorijs, tot palmis exornata, & inter cæteras Ecclesiæ Legiones palma triumphali præfulget, *&c. Et tandem fol.* 13. *col.* 1. *concludit*: Vbi sapientiæ aqua, ibi Crucis lignum abesse nequit: Si ergo hæc sancta Religio ex Cathedris, scriptis, libris sapientiæ aquam dulcissimam diffundit, qua circunfusæ adolescant Ecclesiæ plantæ, & confusus dæmon in orcum demergitur, & fides maiori auctoritate firmatur, & denique recentes Hæreses delentur; quis negabit huic sanctæ Religioni Crucem grauissimam deesse non posse. *Hæc ille ex Hispano idiomate latinè reddita.*

Doctrinæ, & pietatis lacte infantes enutriuit.

Societas instar Palmæ, quo magis pressa, magis erigitur.

Sapientiæ aquam rigandis Ecclesiæ plantis, & hæresibus delendis, diffundit.

76. * A Barthol. Lopez Legvisamo *Sacrarum litterarum Interprete in Conuentu Cordubensi Bætico, egregioque Concionatore, qui sermone de Canonizat. S. Ignatij, & Xauer. post plures sanctissimi Parentis decantatas laudes à fol.* 12. *col.* 1. *&* 2. *sic eas prosequitur.* Vltimum (*inquit*) sit encomium illa cælestis visio, quæ Romæ appropinquanti Ignatio ob oculos obuersata fuit, vbi Christus illis adeo beneuolis verbis sese in Societatis Custodem Angelum Sacramento adegit: Ego vobis Romæ propitius ero. Petro nihil plus promisit, neque in hac parte toti Ecclesiæ se magis liberalem ostendit: Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Ideo fortassis fuit, quia Societatem sublimare & in dies adaugere, idem ferme est, ac totius Ecclesiæ defensionem suscipere. Quod vt clarius appareat, ob oculos constituantur præeminentiæ, quibus exornatur. Qui erroris Societatis libris non refelluntur? quæ veritates non confirmant? quæ tenebris inuoluta dubia non euincuntur? ad quas regiones non penetrauit indefessus eius filio-

Luc. 22 32.

Eam sublimare, idem est ac totius Ecclesiæ defensionem suscipere.

Suorum scriptis errores refellens.

rum labor victricis fidei signa circumferentium? Nec mysterio vacat quod Ecclesiæ Princeps Ignatium globulo tormentario ad Pampelonensem arcem saucium curaturus è cælo aduenerit. Etenim in hoc non tam pietatis persoluere officium visus est, quàm fœneratum sanitatis conferre beneficium: cum ex Ignatio nouum Ecclesiæ lumen, & firmissimum columen excresceret. Cuius argumentum clarum est, quod nulla sit Prouincia aliquibus fidei radijs illustrata, quæ à Societate lucem suam non participarit, aut conseruet. In Anglia, & in Iaponia Societatis video domos, illorum Regnorum conuersionem procurantes, & in cruentis persecutionibus semper inuictos Socios etiam vsque ad sanguinis profusionem permanentes. Hinc deducimus (*concludit*) Honoris, & æstimationis cumulum quibus Deus Societatem tam commendatam à Pontificibus, tam æstimatam à Regibus, tam celebratam ab Vniuerso, illustrat, esse præmium, quod illi iustissimè debetur, *&c. Hæc ibidem col. 2. Et plura alibi.*

Ignatius Ecclesiæ lumen, & Columen.

Societas omnibus fidei lucem communicat.

Ideo honorata.

77. * A IOANNE GALVARRO *Conuentus Granatensis Bætici Priore, egregioq; etiam Concionatore: qui in sermone de Beatif. S. Ignatij sequens illius, & Societatis elogium latine etiam redditum, edidit.* Ad hanc (*inquit, de D. Ignatio loquens*) maiorem Dei gloriam omnibus viribus consequendam, hanc totius sui Ordinis machinam tam affabrè expolitam erexit; ad hanc per varias mundi plagas, adeò molestissimas Missiones instituit: in hunc finem omnia studia, omnesque istius sanctæ Familiæ labores perfectè collimant. Quare Coronam ciuicam apud Romanos celebratissimam eius capiti annectere iure optimo audebimus, quæ in præmium cedebat ei, qui proprio vitæ, & sanguinis neglecto periculo à crudeli, & vltimo fato conciuem fortissimè eripuisset. Omnes ergo totius Societatis homines ciuico coronemus diademate; siquidem nulla extimescentes pericula, etiam propriam parui habentes incolumitatem, nunc concionibus, nunc familiari conuersatione, nunc consilijs

Machinæ affabre expolitæ, ad maiorem Dei gloriam.

Coronanda ciuica corona.

Ignatius cælestis ignis.

filijs, nunc mille alijs rationibus ab æterna morte infinitos prope homines eripuêre, *&c. Et fol.9.col.1.* Vltimus (*inquit*) huius cælestis ignis effectus (*de eodem D. Ignatio Parente loquitur*) lux est, sapientiæ atque doctrinæ flamma, quam adeò in suo Illustri Cœtu accendit, vt verè dicendum nobis sit, in ipsa scientiarum præfulgere emporia, & Musæa, in ipsa splendere Athenienses, Parisienses, Salmantinas, Complutenses Academias. Hic adsunt luces animos illustrantes, errorum tenebras depellentes, voluntates inflammantes: hinc fluit oleum, quo reliquarum Religionum luminaria conseruantur, & augentur. Ipsa enim Religiosorum domos selectissimis viris implet, Canonicis Magistralibus Ecclesias, Regijs Senatibus, & Cancellarijs litteratos subministrat viros, Cathedris Magistros, Romanæ Pænitentiariæ aptissimos Ministros. Et demum ipsa illam facem eiaculatur, quæ Collegio Cardinalium ad omnem Theologicam, & controuersam contra Hæreticos subnascentem difficultatem suppetias fert, doctissimum scilicet Bellarminum Ordine secundum, & meritis omnino æqualem Francisco Toleto eiusdem Religionis Cardinali, glorioso Cordubensium ingeniorum ornamento. Libri, & scripta filiorum istius magni Parentis adeo in omni genere scientiarum numerum vincunt, vt nullo possint numero comprehendi, *&c. Et postea addit col.2.* Tot & tam illustres viros genuit Ignatius, vt ipsi sua gloria sufficientes essent ad se illustrandos, etsi eos nullis Ignatius illustraret splendoribus: & licet Ignatius illis præexcelsis careret virtutibus illum mirabiliter illustrantibus, omnes tamen Patriarchas vinceret (*æquaret ego dicerem*) splendore, à tam lucida & splendenti posteritate, mutuato, *&c. Et fol. 12. col. 1.* Sanctus Ioannes (*ait*) in Apocalypsi 14. loquens de sanctis, qui Dei inexhausto lumine perfruuntur, de virginibus autem has duas deprædicat excellentias; Virgines sunt, sequuntur Agnum, habentes nomen eius. Et solos Virgines Agni vestigijs insistere, & vos solos Virgines IESVITAS nominari, solos Virgi-

Sapientiæ, ac doctrinæ flammam in suo illustri Cœtu accendens.

Ex quo fluit oleum aliarum Religionum luminaria conseruãs.

Quas viris selectissimis implet.

Bellar. & Toletus laudati.

Sociorum volumina innumera.

Illi quam lucida, & splendens Ignatij posteritas.

Ideo Iesu Nomine insigniti, quia Virgines Iesum agnum sequuntur. Apoc.14. 4.

A quo Virginitatem, vt patrimonium, & hæreditatem accipiunt.

nes glorioso IESV titulo illustrari. Qui, & quorum hæc sunt signa? Magni certè Ignatij Filiorum, quorum splendidissimo Nomini puritatis, & virginitatis nitor maximè conuenit. Ab hac ergo stirpe tanquam Patrimonium & hereditatem, virginitatem accepere. *Et tandem col. 2. concludit.* Ex incorruptæ fidei auctoribus pro comperto habeo Societatis IESV Institutum ex austeriſſimis austeriſsimum esse: illud enim spiritum plus omnibus mortificationis habenas laxat, illud carnem strictiſsimè macerat, animi subnascentes affectus maximè reprimit, illud nulla laxamenta, & imperfectionum vmbras, quæ in alijs institutis reperiri videntur, permittit: abs se abarcens quoscumque viderit insanabili vitiorum lue infestos. Quapropter primitiuam perfectionem & sanctitatem vegetam, & floridam semper conseruabit. *Ita ille in non modicam Societatis laudem.*

Societatis Institutum austerißimum.

Sanctitatem vegetam, ac floridam semper conseruans.

78. * A IOANNE DE CHAVES *Priore Conuentus Salmanticensis, celebrique admodum Eccleſiaſte, in ſermone de Beatificatione S. Ignatij, apud librum Feſtor. Salmantic. pro eadem Beatificat. Vbi ille fol. 179. col. 2.* Qui (*inquit*) totius Societatis mystici corporis eximiam pulchritudinem, & perfectionem ab imo ad summum, à capite ad calcem comprehendere velit, oculos in caput (quod maiestatis Sedes est) pedum non oblitus coniciat, in primisque Ignatij firmam, & viuam fidem, ardentemque amoris æstum attento contempletur intuitu. Sed ob oculos etiam constituat huius Sacræ Religionis excellentiam, & magnitudinem, *&c.* Oculos ad Pedes conuertite, ad Filios, inquam, Ignatij, illosque intuebimini largis sanguinis sui riuis mille mundi regiones proluentes, cuius roseo colore bellè purpurascunt, & in ipsis laborum, & Martyriorum ferro dulcissimum IESV Nomen insculpunt, *&c. Et fol.* 180 *col. 2.* Quasi tonitrua (*inquit*) & fulgura vniuerso orbi illuxerunt, eumque vitiorum letargo consopitum verbum Dei intonantes, excitarunt. Testes sint huius veritatis Martyres qui impiæ Elisabethæ imperio in Anglia pro fide Catholica sangui-

Eius mystici corporis eximia pulchritudo.

Quem Ignatius, vt caput, fili vt pedes componunt.

Quorum sanguis mille mundi regiones proluit.

Sunt Tonitrua vitijs consopitum orbem excitantia.

sanguinem profudere: Testes sint quadraginta, quos Ignatius de Azebedo è Lusitania ducebat in Brasiliam, quos impius Caluinista crudeliter enectos in mare proiecit: testes sint innumeri quorum laboribus finem orbis Iaponia, Indiarum Apostolus Franciscus Xauerius terminum præfixit: Testes sint Sanctorum phalanges, quæ in fidei defensionem varijs Martyrijs, & tormentis gloriosè occubuêre. Alij raptati, alij in diuersas partes dilacerati, plurimi è patibulo suspensi, omnesque pluribus iniuriarum, & ignominiarum iaculis petiti. Quam specioſi Pedes. Pulchritudo in Pedibus ob velocitatem qua per totum orbem sanctissimum Dei Nomen circuntulêre, & Euangelium intonuêre. Pulchritudo in Collegijs, in Domibus Professis, & alijs, è quibus velut armamentarijs, & armorum apothecis enses ex vtraque parte acutissimi deprompti, fortia videlicet contra Hæreses argumenta, quibus Ecclesiam semper propugnant: Quam specioſi Pedes. Pulchritudo in Academijs, vniuersitatibus, Cathedraticis, & Magistris, quos dispersos in omnibus florentissimis Academijs habent: qui licet mortalium mentes diuinæ legis præceptis instruant, inflammant etiam voluntates diuino amore. Pulchritudo in libris, & impressionibus, quas in lucem edidere, quæ adeo breui tempore excreuêre, vt si in vna coaceruarentur lance cæteras aliarum Religionum lucubrationes, suo pondere, credo, facile vincerent. Negari minime potest, si non pluribus, vna re saltem Religiones alias, superare, zelo nimirum communitatis, & communis vitæ rationis, quam (quia vitam viuunt Apostolicam) firmiter retinent, illi maximè consulunt: nemini præterquam ægrotis singulare quidpiam permittentes, *&c.* Horum ergo Pedum pulchritudine, suique Capitis exemplo, sanctitate, & virtute, noua hæc Ecclesia tanta pollet fortitudine, quanta specioſa formâ exornatur. Electa vt sol, pulchra vt luna, Terribilis, vt castrorum acies Ordinata, *&c.* *Et fol.* 183. *col.* 1. Inter cæteras (*ait*) sanctitatis dotes, quas eis velut testamento reliquit

Et fulgura eundem illuminantia.

Quam specioſa Societas in pedibus.

Ob velocitatem, quæ Dei nomen per totum Orbem circumferunt. Rom. 10. 15.

In Collegijs, è quibus velut armarijs fortia telæ contra hæreſes depromuntur.

In Academijs, & vniuerſitatibus.

In innumerâ editione voluminũ.

Noua Eccleſia tanta fortitudine, quam ſpecioſa formæ exornata.

Pulchra, vt luna, electa vt ſol, terribilis, &c. Cant. 6. 9.

Modestia ceteris præ-lucens Ordinibus.

quit Pater suus D. Ignatius, est exemplaris, qua cæteris Ordinibus prælucent modestia, quæ quidem licet sit exterior hominis compositio, est tamen interioris virtutis index, & vnionis cum Deo argumentum, *&c. Et postea fol.*185.*col.*1. vel in hoc (*inquit*) hæc sacra Religio heres sui Parentis fuit. Necdum plures excessêre anni à prima sua fundatione, confirmationeque, & tantopere excreuit, vt plus omnibus se in orbe dilatauerit, & virtute, litteris & sanctitate illustrior euaserit, *&c.* Quam propero gradu (*concludit*) cæteræ omnes Religiones certatim floresc̃ere cœperunt: en tibi vna exoritur, altera medium cursum tenet, illa splendescit, hæc ad metam appropinquat; verum Societas Iesv tanquam è specula reliquarum introitum & exitum in hac Mundi turbulenta militia contemplabatur, & opportunam in huius palæstræ arenam descendendi tempestatem expectabat, donec tempus, & occasionem nacta, exultauit vt Gigas ad currendam viam tanta celeritate, virtute, litteris, sanctitate, & veræ fidei & religionis cultu, vt cæteras Religiones non solum assecuta esse, verum etiam quodammodo præuolasse videatur, *&c. Sic ille.*

Plus omnibus per Orbem dilatata virtute, literis, & Sanctitate.

Licet omnibus posterior, omnes tamen vt Gigas assequitur, & præteruolat.

Ps.18.6.

79. * A Ferdinando Camargo, et Salgado *Historiographo eruditissimo in Chronico Ecclesiæ Militantis Classe* 16.*fol.*299. *col.*1.*fin.* Videtur(*inquit*)Deus in Orbem induxisse Ignatium, & Societatem, vt Lutheri, & Caluini erroribus, quibus Religionem in Germania, Anglia, Flandria, Gallia, & alijs Prouincijs prophanarunt, opponerentur. In his enim Prouincijs Ignatij discipuli Catholicam fidem libris, concionibus, & Controuersijs propugnant, conseruant, & strenuè vsque ad sanguinis effusionem & vitæ gloriosa dispendia defendunt. Fructus, quos hæc Sanctissima Religio ad maturitatem perduxit non vnius voluminis exigui narratione comprehendi possunt, quin potius plures copiosos & elegantes exigunt scriptores, *&c. Et post multa tandem concludit fol.* 304. *col.*2. Martyres (*inquit*) quos in lucem tanquam nobilissimos

In Orbem à Deo inducta, vt hæreticorũ erroribus opponeretur.

Cuius filij Catholicam fidem vsq; ad sanguinis dispendia propugnant.

Eius innumerabiles fructus.

simos fœtus edidit hæc Sanctissima Religio, adeo numerosi sunt, vt iure optimo Mater Martyrum pleno ore acclamanda foret. *Hucusque ille vulgari idiomate sed non vulgari erga Societatem & suos affectu, vt patet ex Martyrum, & Martyriorum sedula narratione, quæ breuitatis causa omittenda duxi.*

Est Mater Martyrum.

80. * AB ALFONSO DE LA CORTE *Doctore Primario Complutensi, qui in Approbatione ad Tom. P. Andreæ Perez de Triumphis fidei per nostræ Societatis Patres in Sinaloa reportatis, Societatem appellat.* Religionem præclaram, magnique Parentis Ignatij spiritus, ac zeli animarum Hæredem. *In quo non modica pullulat Societatis laus, tanto Ecclesiæ Giganti coæquari.*

Societas Religio præclara Ignatiani spiritus, & zeli hæres.

81. * A IOAN. GONZALEZ DE MENDOZA *Pœnitentiario Apostolico in Itinerario noui Orbis cap.14.fol.mihi 349.qui postquam Christi fidem in aliquibus Iaponiæ Insulis, accurata diligentia, ac labore Patrum Jesuitarum introductam, asseruit; subdit*, Eos sanctam doctrinam, vitamque Xauerij Apostolicam in dictarum Insularum conuersione imitatos, illisque iustissimas agendas gratias, eo quod adamantina Iaponum corda fecerint emollescere: qui bona doctrina, exemploque Patrum meliores Christianos, quàm Orientalis Indiæ se exhibent.

Eius filiorum diligentia introducta fides in Iaponiam.

Sancta doctrina, & Apostolica vita.

82. AB ALFONSO DE MENDOZA *Magistro doctissimo relato in Approbat. R. P. Fr. Ioannis Ponze de Leon ad Tom. 1. Vir Illust. Soc. fol. mihi 1. col.2.* Quæ (*inquit*) in terris regio non plena tam fructuoso (*Societatis*) labore. Illa ergo cunctarum Genitrix nationum. Sic enim oportebat quando totum Nomen Tetragrammaton hauserat. *Sic ille.*

Societas cunctarum Genitrix nationum.

83. * AB AVGVST. OSSORIO *Leridæ Priore dignissimo in ser. de S. Ign. fol.mihi 1.col.2.* Societas IESV (*inquit*) supra Iesum fundata felix ac fortunata Fabrica: sapiens Artifex B. Ignatius fundator: tam nobili principio clarum est, machinam fundamento non imparem surrecturam. Sane prototypus, in quem inspexit Ignatius, Ædificiũ diues, elaboratum quouis pretioso

Felix ac fortunata fabrica supra Iesum fundata.

Ædificium dives pretioso lapide varium, & ad perpetuitatem firmum.

lapide varium, & ad perpetuitatem firmum promittit, *&c. Et postea fol. 3. col. 2.* Sanctissima (*ait*) IESV Societas Ædificium est, fabricaque admirabilis magnitudinis. *Et rursus fol. 4. col. 2.* Scire vultis fructus rami (*Ignatij nempe & sociorum:*) ex viginti octo Regibus in India Orientali Lusitanorum Coronæ subiectis, & ex sexaginta quinque in Iaponia fere omnibus opera, & ministerio Patrum Societatis IESV conuersis, constat: de qua videtur Oseas locutus, cum dixit: Ibunt rami eius, & erit quasi Oliua gloria eius, & odor eius vt Libani cap. 4. *Et fol. 5. Postquam Societatis excursiones in omnes mundi plagas ad omnes exteras nationes enumerasset, ait:* Sed ad quid tot maria nauigamus, per tot ac tam remotas terras peregrinamur, huius sacratissimæ Religionis fructus conquirentes, cum in nostris possimus affatim exempla suppeditare: nempe eius suggesta, confessiones, exercitia, missiones, sanctam infirmorum consolationem, adiuuare patibulo destinatos, in Ecclesia Catholica frequentem Sacramentorum vsum excitasse: opera, & libros ex omnium scientiarum, & facultatum genere in lucem editos, tanta securitate, ac eruditione, vt nihil amplius desiderari possit, in sacra præcipuè Theologia positiua, & Scholastica, quorum doctrina sancta, secura, vtilisque ad animarum salutem hodie legitur, docetur in præcipuis Christiani nominis vniuersitatibus, magno hæreticorum dolore, qui doctrinæ sanctæque vitæ Societatis IESV se capitales inimicos, ac persecutores profitentur, *&c. Et postea fol. 6.* Societas (*inquit*) IESV quamuis ex se admirabilem Sanctitatis fragrantiam, suauemque virtutis, ac doctrinæ odorem diffundat, quo fragrat Ecclesia Dei; & licet hanc in Scholis maioribus Theologiæ fructibus abundantem reddat, præcipuè verò eam ex primis grammaticæ rudimentis, elementarique puerorum institutione exornat, *&c. fol. 7. col. 1. subdit:* Religio est non solum approbata in Ecclesia à Summis Pontificibus, sed etiam à sancto Tridentino Concilio, & inter approbatas celeberrima, *&c. Ac tandem fol. 9. concludit,*

Eius excursiones, & ministeria.

Volumina omnium facultatum in lucem edita.

Quorum doctrina sancta, secura, vtilisque ad animarum salutem.

Societas suauem virtutis, ac doctrinæ odorem diffundit.

Religio celeberrima, Nazarea, electa, ac singularis.

IESV

IESV Societatem Religionem esse Nazaræam, electam, ac singularem. *Sic ille.*

84. AB ANTONIO DE SAN ROMAN *In sua Mensa spiritualium ciborum Par.2. Tract.4.cap.1.fin.* Nec tamen (*ait*) idcirco quia ex cucullatorum Ordinibus, Heroas hos nouem eduxi, in Ordine Clericali desunt, qui sese offerant seligendos, cum oculatus ipse sim testis, esse quamplurimos, præsertim in Clericorum Regularium Societatis IESV religiosa Familia, qui vt Angeli pacis, licet omnium postremi ad hæc se regna contulerint, inter primos tamen Apostolici laboris mercedem, ac præmia nanciscentur.

Cuius filij Angeli pacis sunt.

Qui licet postremi venerint, Apostolicî laboris præmia inter primos nãnciscuntur.

85. AB ARCHANGELA PANIGAROLA; *quæ obiit Mediolani ann. 1525. in Cœnobio sanctimonialium S. Marthæ sub regula S. Augustini religiosissime militantium. Huic sanctissimæ fœminæ constans fama est in eo Monasterio fuisse inter alia diuinitus significatum*, Appetere tempus, quo tempore Ecclesiastica disciplina reformaretur: atque ad eam reformationem laturos auxilium Sacerdotes quosdam, qui laboraturi essent in conuersione totius mundi, concionibus potissimum habendis tanquam noui Apostoli, & de Societate IESV nominandi. *Hoc diuino monitu mire solata suas Archangela, decessit. Ita refertur apud Nigronium in Comment. Regul. Soc. Tit. Par.3. num.24. & passim alibi apud nostros, & exteros Auctores.*

Prædicta ab Archangela Panigarola, Societat.

Vt quæ ad Orbis reformationem opem erat latura.

86. * A IOANNE DE RIBERA *S. Officij Qualificatore, in Regia Limensi Academiâ Theologiæ Primario Professore, Prouinciæ suæ Capite, inter omnes huius Occidentis viros celebratissimos facile Principe, in Censurâ nuncij vniuerso terrarum Orbi acceptissimi, de honorifica Societatis* IESV *in Rempublicam, & Ditionem Venetam reuocatione, & antiquis sedibus, & pristinis honoribus restitutione Limæ Proregis iussu typis excusâ 22. decemb.* 1657. Quot lachrymis (*inquit*) olim Senatus Venetus Societatem IESV abeuntem prosecutus est, tot iubilis nuper eam redeuntem est amplexatus: quàm luctuosus egressus, tam iucundus fuit toti Reipublicæ, totique Societati regressus: imò verò multo iucun-

Singulare gaudium ob restitutionem Societatis in Venetam ditionem.

cundior: Insolitum enim bonum plus amatur, & sequenti gaudio confert dulcedinem temporum præmissa tristitia; inquit Cassiodor. lib. 8. var. epist. 20. Scilicet quinquaginta annorum patientia (improbis Hæreseos gannitibus lacessita, mille opprobriorum plaustris onerata, mordaculis maleuolorum, & inuidorum corrosa dentibus, probrosis criminationibus iactata à multis, qui eam nescire affectabant, ne cogerentur æstimare, Nolentes audire, quod auditum damnare non possent, teste Tertul. in Apolog. c. 1.) Pretium fuit, quo Societas IESV (virtutum Thesaurus, à quo non patientiæ tantùm verum etiam virtutum omnium exempla peti possunt) in Officina Prouidentiæ, honorificentissimum Elogium, & incomparabilis gloriæ diploma sibi comparauit, quo sanctissimus Pontifex noster Alexander 7. istam Religionem, errorum & vitiorum Debellatricem in Germanijs, Hispanijs, & Gallijs, & vt vno verbo dicam, in toto terrarum Orbe, à solis ortu vsque ad Occasum triumphis onustam, in nobilem illum Venetiæ Principatum reducit. Felix reuera quinquagenaria illa Patientia, quæ tam illustri corona promeruit compensari. Canat ergo Hispanus noster Iucanus 1. Pharsal.

Thesaurus virtutum Societas est.

Errorum ac vitiorum vbique debellatrix.

Onustaque triumphis.

Quod si non aliam venturo fata Neroni
Inuenêre viam, magnoque æterna parantur
Regna Deo, cælumque suo seruire Tonanti,
Non nisi sæuorum potuit post bella Gigantum:
Iam nihil, ò superi, querimur: scelus omne nefasque
Hac Mercede placet.

Id est tanta est, tamque insolita merces, tantus valor, tantaque honoris magnitudo, vt eius consideratione vilescant, imò inanescant, quot & quanta deuorauit opprobria, inuicta & inexplebilis Societatis patientia. Immeritò equidem pudore suffusa quinquagenario: vnde fuit reditus tantò gratior, quantò absentia diuturnior, & exitus causa religiosior. Etenim & opprobriorum contemptus bonis viam parat ad honores, & præ-

Eius patientia in persecutionibus inexplebilis, & inuicta.

præmissæ tristitiæ incudes sunt gaudiorum, Nam magis gaudent homines de rebus perditis (*cum recuperantur*) quam semper possessis, teste Chrisol. ser. 76. Ita mulier inuenta Dragma collætatur, & ipsemet Christus, eodem Chrisol. teste ibid. Iniuriam passionis, totam transisse sentit in gloriam Resurrectionis. Heroicum hoc opus fecit Alexander (cuius vmbella fuit Macedo) sed fuit non solus, fecerunt & Venetiæ, redeat ad nomen antiquum Præfectura illa Prætorij toto orbe laudabilis, iuxta Cassiodor. supra: fecit & vniuersus orbis Christianus voto suo: fecerunt oppida omnia suis desiderijs: fecerunt Sacerdotes suis lachrymis: fecerunt omnes à sene ad puerum; à Crœso ad Irum conspirantes ad abstergendas lachrymas à pupilla oculorum suorum Societate IESV, cupidissimi huius successus prosperitate. Quod de electione Traiani à Nerua scripsit eius Encomiastes Plinius, hîc veriùs quadrat, Non vnius Neruæ iudicium illud, illa electio fuit: nam qui vbique sunt homines, hoc quidem votis expetebant: ille tantum iure Principis occupauit, primusque fecit, quod omnes facturi erant: nec Hercule tantopere factum placeret, nisi placuisset antequam fieret. Cum ergo sit ista Communis omnibus felicitas, imprimatur, & nota fiat omnibus, vt omnes congaudeant, & inuentam suam dragmam Venetijs, & suum Thesaurum Societati IESV congratulentur. Limæ 22. Decemb. 1657. *Hæc ille.*

Ex quibus in maiorem gloriam assurgit.

Omnium vota de eius restitutione in Venetiam.

87. A BASILIO PONTIO *Scriptore doctissimo, qui cum simplicia vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, quæ in Societate post biennium prolata, Religiosum efficiunt, accusata essent nouitatis, in varijs, quæst. 3. Scholastica, ita concludit*: Ex dictis in tota disputatione colligitur laudabile Institutum Societatis IESV hisce temporibus magno Reipublicæ Christianæ commodo destinatum, non esse nouum, sed primæuum in Religione seruatum viuendi genus: ac proinde hallucinatos esse valde, & ignorantia lapsos, qui eiusmodi Instituto veræ Religionis & nomen, & rationem adimebant. Nam si vete-

Laudabile Societatis Institutum magno Christianæ Reip. commodo destinatum.

Vindicatur à calumnijs.

rum scripta euoluissent diligentius, hanc viuendi normam Societatis IESV, quoad eam partem, quæ constat Votis simplicibus post biennium emissis in Religione approbata, eiusdem prorsus rationis esse cum primis illis exordijs Monachismi, & antiquo statu Monachorum Basilij, Augustini & Benedicti, comperissent. *Hactenus Basilius Pontius sæculi nostri, & antecedentis felix prodigium. Ita apud P. Gabrielem Henao de scientia Media Historice propugnata num.* 147.

Ignatius, Societas, & Nomen Laudantur.

88. A PROSPERO STELLARTIO, *In Fundamentis ac Regulis omnium Religionum cap.* 38. *fol.* 544. *loquens de Societate, hoc præclarum edidit ille testimonium.* Inter præclaras, quæ Christo militant Religiones haud mediocrem locum sortitur Societas IESV. Auctorem habuit Virum Sanctitate præclarum, iamque in canonem relatum Ignatium de Loyola genere nobilem, domo Cantabrum, *&c.* Huius autem Sacræ Societatis sectatores apud Hispanos, & Italos Theatini passim vociferantur: male tamen, cum Institutum Theatinorum sub S. P. N. Augustini regula merentium fundatorem habeat Petrum Caratam Neapolitanum Episcopum quondam Theatinum, vnde nomenclatura dimanauit. Franci, atque Nostrates Belgæ Iesuitas appellarint, nobili quidem Nomine, *&c.* Cæterum huius Illustris Societatis IESV præcipuum studium est Ecclesiæ inter varios Hæreticorum assultus quassatæ, ac periclitanti totis neruis succurrere, docendo, prædicando, scribendo, fidelium confessiones audiendo: quibus in muneribus præclari admodum inter eos enituere viri, quorum plures Indos, & Iapones Euangelij face collustrauere. *Hæc scriptor grauissimus.*

Huius studium, Ecclesiæ inter Hæreticorum assultus periclitanti succurrere.

89. A

A CARMELITANIS.

89. A S. M. TERESIA A IESV, *Notæ in toto terrarum Orbe Sanctitatis, & sapientiæ Virgine Illustrissima tot Religiosarum personarum Fundatrice & Reformatrice clarissima: illa, inquam, Virago incomparabilis, Heroina, & inuincibilis Debora, illa omnigenæ Sanctitatis Mulier vere fortis suis exemplis, verbis, & scriptis mirifice Societatem commendauit, & honorauit.*

Quanti S. Teresia fecerit Societatem.

Primò, profundissimæ humilitatis exemplis commendauit, cum cap. 5. suæ vitæ pag. 47. sic Sancta de se scribit: Mansi in hac ætate credo plusquam septemdecim annis, donec quidam Pater S. Dominici valde doctus mihi aperuit oculos in aliquibus rebus: & illi ex Societate IESV totaliter mihi incusserunt tantum timorem (*scilicet non parui faciendi quædam peccata venialia, quæ quidam rudes Confessarij dicebant S. Teresiæ non esse peccata*) aggrauando mea adeo mala principia, sicut postea dicam.

Cuius doctrinæ suæ se spiritualem profectum debere fatetur.

Et cap. 23. pag. 246. sic eadem Sancta scribit: Laudatus sit Dominus, quod mihi gratiam dederit obediendi meis Confessarijs quamuis imperfecte, qui quasi semper fuerunt isti benedicti Homines Societatis IESV, *&c.* Cœpit postea anima mea sentire manifestam meliorationem sicut nunc dicam.

Secundus modus, quo Sanctissima Teresia Societatem IESV *commendauit, situs est in miris laudibus Societatis, de qua hæc scripsit in eodem vitæ suæ cap. 23. pag. 236.* Cum (*inquit*) venissent huc Patres Societatis IESV, quibus ego non cognoscendo vllum eorum, eram multum addicta, tantum quia sciebam modum eorum ita viuendi sicut orandi. Sed non me inueniebam dignam loquendi cum illis, nec fortem ad obediendum illis. *Et infra.* Fuit propter maius bonum meum, vt ego cognoscerem, & tractarem cum Gente adeo Sancta, qualis est Societas IESV. *Et alio in loco eiusdem Capitis 23. pag. 244. Sic ait:*

Quantum illi esset addicta?

Affligé-

Quanta de suorum Confessariorum Sanctitate existimatio?

Affligebar, quod domestici me viderent tractantem cum Personis adeo Sanctis vti erant illæ ex Societate, timens miseriam meam, & videbar magis esse obligata, ne essem adeo misera, & vt me priuarem meis recreationibus otiosis.

Et de Societatis personis.

Et cap.24. pag. 249. sic scribit: Habitabam prope illos (*scilicet Patres Societatis* IESV, *de quibus ibi egit*) gaudendo valde quod tractarem frequenter cum illis: quia tantum cognoscendo Sanctitatem illorum conuersationis, erat magnus profectus, quem anima mea sentiebat.

Et cap.33. pag.364. de quodam itinere sibi à Prouinciali imperato scribens ait: Consolabar multum quod scirem in illo loco esse Domum Societatis IESV.

Extat quoque Epistolæ fragmentum, quam ipsa Sanctissima Mater Teresia 28. Iulij anno 1568. Abulæ dedit ad Christophorum Rodriguez de Moya, cum ille Seguræ de la Sierra erigere percuperet claustrum discalceatarum Virginum, in idque suas filias ipse inducere, eâ tantum lege, vt Societatis directioni tam filiæ, quàm reliquæ absfundati Cœnobij Virgines subiacerent. Igitur sanctæ Matris verba ex Hispano idiomate latinè sic sonant. Homines Societatis IESV sunt mei Patres, quibus post Deum debet anima mea bonum omne, si quod habet. Filiabus suis afficior ex eo quod intelligam eas cum Patribus istis agere solitas: nec enim quæuis, spirituales licet sint, illico conueniunt nostro Instituto, nisi quibus illi à confessionibus sunt, quales sunt propemodum omnes Monasteriorum nostrorum alumnæ: neque memini vllam recepisse me, quæ non esset eorum filia, quandoquidem eæ præsertim nobis aptæ sunt. Equidem gratias ago Deo, quod eorum qui me genuêre, Patrum spiritus mea in Cœnobia ab eisdem transfusus sit. Itaque R^mus. Generalis Noster, nuper hac transiens ita præcepit, vt Patres Societatis exhortationes haberent ad nostras. Nec vllius auctoritate prohiberi possent, absoluerentque passim confiteri volentes. Obstare quidem Constitutiones eorum, non vetare tamen,

Quorum se filiam fatetur.

Et eorum doctrina omnes Moniales vti desiderat.

tamen, quominus interdum id fiat, nobisque inter agendum recte consulant ; quod faciunt magno cum fructu. Desiderium tuarum filiarum, vt nouum illud Cœnobium tuum Patrum curæ subiiciant ; idem & meum est. Scito tamen illos id non admissuros, esset licet Principum fæminarum ; qualia, modo vellent, ex hoc multa haberent ; adeoque quod optas, fieri non potest. Benedictus sit Deus, habere nos præ alijs libertatem agendi cum Patribus istis, quam nec auferet vsquam, neque aufert, *&c. Tam bene tum sensit de Societate Teresia, sentiretque si viueret etiamnum.*

Ac Societatis regimini sua Monasteria tradere.

Tertio modo eadem S. Mater honorauit Societatem, seu potius Deus per eam, quia res eximias ei reuelauit, tum de vniuersa Societate IESV, *tum de varijs eius personis. Qua de re sic ipsamet scribit in vita sua cap.* 38. *pag.*421. De aliquibus (*inquit*) Religiosis vnius certi Ordinis, & de toto Ordine simul, vidi magnas res, vidi illos in cælo cum vexillis albis in manu aliquoties, & alias res similes magnæ admirationis : propter quod habeo dictum Ordinem in magna veneratione : quia longo tempore conuersata sum cum illis, & video illorum vitam conformem ei, quod Dominus de ipsis mihi monstrauit. *Porrò per hos Religiosos, & per hunc Ordinem S. M. Teresiam intellexisse non alium, quàm Societatem* IESV, *testatur eius Confessarius P. Franciscus Ribera ob libros editos toti Orbi notissimus, in ea quam scripsit S. Teresiæ vita, in qua etiam asserit lib.* 4. *cap.* 3. *Sanctam Matrem in sua manu scripta Originali vitâ expressisse hoc loco nomen Societatis* IESV, *& ore tenus idem narrasse. Quod etiam Sanctius de Auila Episcopus Seguntinus eiusdem sanctæ Teresiæ Confessarius, confirmauit.*

Socios in Cælo vexillis albis ornatos vidit.

Et in Eodem Cap. 38. *& pag.* 421. *vitæ suæ eadem Sancta sic scribit.* Cum essem in quodam Templo cuiusdam Collegij Societatis IESV cum illis magnis afflictionibus, quas sensi in animo & corpore, audiendo Missam quam quidam Pater dicebat pro vno Fratre Societatis mortuo, vidi illum ire ad Cælum cum multa gloria, & ex particulari

Et IESVM cuidam è Nostris vita functo obuiam euntem.

ticulari fauore eum comitari Maiestatem Domini nostri.

Ac pretiosam vestem nostrorum capitibus impositam dum communicant.

Et Cap. 39. pag. 447. in fine Capitis ait: Cum essem in quodam Templo cuiusdam Collegij Societatis IESV, & communicarent Fratres illius domus, vidi pretiosam vestem (*seu vmbellam Italicè pallio*) supra caput illorum, hoc vidi bis: sed quando aliæ personæ communicabant, hoc non videbam.

Et Societatem magnos fructus vltimis temporibus facientem.

Et cap. 40. pag. 455. vitæ suæ sic loquitur de eadem Societate, teste Ribera lib. 4. cap. 5. eius vitæ: Manens (*inquit*) quadam vice in oratione cum magna recollectione, suauitate, & quiete videbar esse circumdata ab Angelis, & valde vicina Deo: cœpi orare summam Maiestatem pro Ecclesia. Fuit mihi indicatus magnus profectus, quem debebat facere quædam Religio temporibus vltimis, & fortitudo, cum qua debebat sustentare fidem, *&c. Verum cum hæreret sibi stupore defixa Teresia Sanctissima, inde magnis lætitijs incederet ex vehementi quo in charissimum sibi istum Ordinem ferebatur affectu, ita exaggerantem apud se sua ostenta, audiuit aliquando Dominum* IESVM *dicentem sibi*, si vero ipsa scires, quas hi futuris sæculis Ecclesiæ laboranti modò, suppetias sint laturi. Et hanc sibi, *ait*, visionem etiam sæpius oblatam. *Et licet in illa Teresiæ vita, quæ typis edita circumfertur, suo hæc Familia sigillatim non indicetur nomine, in ipso tamen Auctographo, & in omnibus calamo exaratis libris, illius nomen aperte proditum est, nempe Societatis.*

Et quadraginta socios in Brasiliam euntes ab Hæreticis pro fide occisos.

AB EADEM S. TERESIA *plurimum honoratur Societas, commendaturque in multis alijs Reuelationibus, quas de Socijs habuit. Et inprimis S. Mater (teste Didaco Lepesio Archiepiscopo Turrisonensi in eius vita lib. 3. cap. 17. Deo reuelante sciuit mortem quadraginta Patrum, & Fratrum Societatis* IESV *euntium in Brasiliam ab Hæreticis occisorum, statimque ac illos occiderunt, dixit Patri Balthasari Aluarez suo confessario*, se eos vidisse cum Coronis Martyrum in cælo.

AB

AB EADEM: *Quæ (teste Fr. Elia à S. Teresia in legat. triumph. Eccles. lib. 2. cap. 31.)* longe inde in Hispania existens animam P. Martini Gutierrez *(in Gallia defuncti)* in ipso mortis articulo vidit ouantem, & Martyrum laureolâ donatum, cælum recta conscendere.

Ac Martinũ Gutierrez Martyrij laurea donatum ad cælum cõscendere.

AB EADEM: Quæ *(vt scribit P. Ludouicus de Ponte in vita impressa P. Aluarez cap. 6. §. 2. p. 69.)* audiens quadam die sacrum P. Balthasaris Aluarez è Societate IESV sui Confessarij, vidit eum toto tempore quo sacrum durauit habuisse in Capite diadema quoddam magni splendoris. *Et rursus (vt idem auctor ibidem scribit cap. 11. §. 2. p. 124.)* eadem Teresia Deo reuelante cognouit dictum P. Aluarez fore saluum: ostenditque illi Dominus noster præstantem quemdam locum in cælo, quem esset habiturus. *Et adiecit*, Quod ille tunc in terra esset adeo excelso perfectionis gradu constitutus, vt eo tempore nullus esset in altiori, & iuxta talem gradum reddendos illi gradus in cælo: & quod ipse P. Aluarez excederet in perfectione omnes tunc in terra existentes.

Et P. Aluarez splendoris diademate coronatum.

Omnesque tunc in terra degentes perfectione superantem.

AB EADEM: *Quæ (vt idem Ponte ibidem scribit cap. 58. §. 1. p. 607.) Cum multis annis post suam mortem apparuisset cuidam famulæ Dei S. Matri Teresiæ valde deuotæ, & probatæ virtutis, & fidei, volens ipsam in quadam afflictione magna solari, inter alia multa, hæc ei verba dedit.* Et Ego sum Filia Societatis: habui in ea Confessarium, quem nunc in cælo & agnosco, & veneror. *Quod intellexit de eodem P. Aluarez. Hucusque dicta, & per varios Auctores dispersa quasi in fasciculum collegit nouissime noster Nicolaus Lancicius Tom. 2. Opuscul. spiritual. 17. de Præstantia Instituti Soc. cap. 3. à num. 196. & à fol. mihi 566. Et etiam Opuscul. 18. de Gloria S. Ignatij cap. 19. à fol. 616. Quæ omnia protulit illa virorum Dux fœmina præclarior. Ille ductus è Carmelo Fons, & Origo defæcatissimæ Sanctitatis. Quo nescio num illustrius dari de Societate testimonium possit. Ingentia sane sunt quæ hucusque dedit Teresia, in qua velut in speculo resplenduerunt ostenta tam illustria, tam inusitata de Cælo in charissimæ suæ Societatis encomia, quæ*

Iterum se Societatis filiam fatetur.

si à Matre tot extollitur laudibus, à filijs non minoribus honoratur.

Quantum Deus in Ignatij anima delectetur? & Euang. Ioan.

90. A B. MARIA MAGDALENA DE PAZZIS *Carmelitana de Obseruantia ab Vrbano VIII. in Beatarum Virginum Catalogum adscripta: Quæ die 26. Decembris anni 1599. raptum passa vesperi, videbat Deum complacere sibi, & delectari adeò in anima S. Ioannis Euangelistæ, vt quodammodo non viderentur esse alij sancti in cælo: & simili modo videbat Deum delectari in anima B. P. Ignatij Fundatoris Societatis* IESV; *vnde dicebat, loquendo fortiter*: Spiritus Ioannis, & ille Ignatij est idem, quia totus est amare, & conducere ad amandum. *Et intelligebat Deum ideo delectari, & complacere sibi adeo in his duobus Sanctis, quia illorum scopus, & finis fuit amor, & charitas, & per viam amoris, & in charitate trahebant creaturas ad Deum. Et postea dixit hæc verba.* Maximè felix spiritus, qui regnat hodie in terra est ille Ignatij, quia eius filij in conducendis animabus ad Deum, procurant principaliter dare notitiam, quantopere sit gratum ipsi Deo, & quantum interfit attendere operibus internis, & tractare interius cum Deo, quia hoc exercitium facit amplecti cum facilitate res arduas & difficiles propter lumen, quod recipit anima, ex quo nascitur amor, qui conuertit in dulcedinem omnem amaritudinem: *Videbat hæc benedicta anima quod toties, quoties filij B. Patris Ignatij tractabant in terra cum animabus tali modo, toties in Cælo renouabant Deo complacentiam, & delectationem, quam percipiebat in anima Beati Patris. (Dixit etiam manendo quoque in raptu)* Bene potest lætari, & gaudere noster Pellicanus *(id est Mater Priorissa)* quia conducta est ad illud tempus, quod tantopere desiderabatur, videndi pullulare in Religione nostra primitias spiritus Ignatij. *Sic refertur apud Nicol. Lancicium cit. Tom. 2. Opuscul. spirit. Opusc. 17. de Præstantia Instituti Societatis cap. 1. n. 169.*

Cuius spiritus totus est amare, & conducere ad amandum.

Hic spiritus in eius filijs regnat.

Et in Carmelitanis Monialibus.

Reditus Societatis in Galliapetitur à B. Magdalena de Pazzis.

AB EADEM: *Quam cum Principissa Maria Christianissimo Regi Galliæ Henrico 4. desponsata visitasset anno 1600. Suasque necessitates eius precibus commendasset; nominatim autem desiderium*

prolis

prolis masculæ, promisit illa, se id petituram à Deo, dummodo tria ipsamet ad regium thronum euecta præstaret. Primo, vt procuraret apud Maiestatem regiam reuocari in Galliam Patres Societatis IESV, dicens illi, Hoc esse vnum ex magnis obsequijs, quæ illa posset præstare Deo in beneficium illius Regni. Secundo, vt procuraret extirpationem hæresum. Tertio, vt esset amatrix pauperum. *Sic ibidem cap. 4. num. 217.*

Tanquam vnum ex magnis obsequijs in illius Regni beneficium.

91. A VALERIO XIMENEZ DE EMBVN *Sacræ Theologiæ Professore in Cæsarauguſtano Conuentu Carmelitano, qui nec dictis multo longius ab his duabus Heroinis, fortius etiam atque vehementius augustum suum prodidit de Societate iudicium.* Voluit (*inquit ille*) Dominus Cæli & terræ ditare, & illustrare nobilem Societatem IESV, Columnam Ecclesiæ firmissimam, Murumque fortissimum, & inexpugnabilem contra Hæreticos, ex qua vna tot prodierunt, prodeuntque quotidie doctrina & virtute duces robustissimi, quot ex alijs omnibus simul iunctis Ordinibus Clericalibus. *Hæc ille: non Ego, non Ignatius Parens Societatem omnium Minimam passim ingeminans: beneuolentiæ igitur hic error, & excessus amoris est, vasto natus animo, & verbis expressus ingentibus. Ita in Imag. 1. sæc. Societ. lib. 5. cap. 11. fol. 678.*

Societas Columna Ecclesiæ firmissima: ac Murus fortissimus, & inexpugnabilis contra hæreticos.

Ex qua, virtute, & doctrina robustissimi duces prodiere.

92. * A CHRISTOPHORO AVENDAÑO *Scriptore atque Prædicatore admodum celebri, in sermone de Canonizat. SS. Ignat. & Xauer. discurs. 3. à fol. 84. col. 2. vbi ille sequens de Societate testimonium vere aureum latine redditum edidit.* Hæc (*inquit*) Sacra Religio per actum intellectus semper cum populo Christiano præcincta est, illum scilicet instruendo, iam sua prædicatione, iam Magisterijs, iam priuatis scriptis, iam voluminibus illustrissimis: insuper est per actum voluntatis cum eodem populo præcincta, illum scilicet feruore suo inflammando, *&c. Et postea supponens Societatem à Clemente VIII.* Brachium Ecclesiæ Dextrum appellatam, *ait*: Notandum maximè quod quando ictus aliquis capiti imminet, statim

Eius munia in populi Christiani vtilitatem.

Hæresis ictus Ecclesiæ Capiti imminētes, Societas vt eius Brachium auertit.

In Germania cum Canisio:

In Gallia cum Bellarmino:

In Anglia cum Suario.

Brachium naturaliter eleuatur, erigitur ad illum auertendum. Et quidem nullum ictum hęresis fecit in Ecclesiæ Caput ab Ignatianis temporibus, quem Societas vti Brachium Dextrum Ecclesiæ non auerterit. Lutherus Pontificis auctoritati minitatur ex Germania, Caluinus vocans Papam Antichristum ex Gallia, Henricus VIII. ex Anglia, negans illi obedientiam, si neget Matrimonij dispensationem, vbique autem Societas vti Brachium Dextrum Ecclesiæ, illius Caput defendit, ictus in illud iactos porrecto Brachio eludit vbique, in Germania cum suo Canisio, in Gallia cum suo Bellarmino, in Anglia cum Suario suo, *&c. Et infra addit*: Contra persecutiones validas hęresum, quas habuit Ecclesia, magnos Sanctos, ac Religiosas Familias in eius defensionem Deus excitauit. Igitur contra Massilienses S. Benedictum cum sua Familia vocauit, contra Abailardum S. Basilium cum sua, contra Albigenses S. Dominicum cum illustri suo Prædicatorum Ordine, contra Sacramentarios S. Franciscum, ac zelatores filios; contra Donatistas magnum Augustinum, & suos; contra Nestorium Carmeli Religionem: at vero aduersus maiorem, & vrgentiorem persecutionem (qualis Lutheri futura erat) Ignatium, & Religionem suam reseruauit: quam cælum miraculosè Ecclesiæ dedit vti Brachium eiusdem Dextrum ad Hæresum ictus Lutheri, atque Caluini auertendos, *&c. Et postea fol. 85. col. 1.* Gregorius XIII. (*inquit*) validos Ecclesiæ Remiges socios vocat, & non sine diuini Numinis prouidentia: remiges enim sunt triremis serui, & ad laborem sine libertate destinati; quod cernitur in Societatis Professis, qui per quartum votum tribus consuetis superadditum, obstricti manent seruorum instar ad obediendum summo Pontifici, laborandumque in Ecclesiæ Naui; vnde per irrisionem Hæretici, Papæ mancipium Societatem vocant: & hæc est maxima illius gloria. Quod si remiges sunt, qui plures victorias consequuntur valenter remigando: proh! quot victorias Societatis Patres in Iaponia, Magno Mogori, in tota India, Sinis,

Sicut alias Religiones contra varias hæreses Deus excitauit.

Sic contra Caluinum, & Lutherū Societatem.

Cuius filij Ecclesiæ validi Remiges.

Et Papæ mancipia.

Sinis, & alibi reportarunt! quot animos in his partibus Deo lucrata est! quot cælo Martyres filios dedit sacrata hæc Religio! &c. *Et tandem eod. fol.* 85. *col.* 4. Præ cæteris autem (*concludit*) maior Societatis excellentia est, qua super omnes eminet Religiones, quartum eius votum, quo se Deo in holocaustum offert ad suum proximum redimendum, si Pontifici placuerit, etiam cum propriæ vitæ periculo. Huic voto diuinæ misericordiæ, cælestes fauores, insignes Magistri, quos habuit, & habet Societas, præclara volumina, Sacramentorum frequentia, Regum ac Principum amor, & quod magis mirandum, barbarorum Principum fauor plane debetur. *Ita ille.*

Quot victorias Ecclesia vbiq; pepererint?

In holocaustum ad proximos redimendos Pontifici ex voto se offerunt.

93. * Ab Alfonso Bohorqves *Inquisitionis Hispalensis Consultore, Ordinisque Definitore in sermone de Canonizatione S. Ignatij fol.* 1. *col.* 1. Adeo (*inquit*) docti sunt huius sacræ Religionis Religiosi, vt in Domo sapientiæ, Mineruaque scientiarum mihi esse videar, tantaque sanctitate conspicui sunt, vt filij ipsiusmet sanctitatis videantur. Dixi, me in domo esse sapientiæ, quia plus in eius scriptis, quàm in magnis Bibliothecis inuenio; vniuersalem scilicet totius Theologiæ Scholasticæ, & positiuæ notitiam, verborum grauitatem ad ponderanda fidei mysteria, miram dulcedinem ac suauitatem in rebus spiritualibus scribendis, cælique fulmen contra Hæreticos: item litterarum humanarum notitiam quandam habet incomparabilem, Historiarum memoriam penè infinitam, summam in suis allegationibus fidelitatem, in rationibus supra Platonem subtilitatem, eloquentiam Tullio parem, suauitatem ad respondendum aduersarijs cerâ molliorem, quæ est veluti quinta essentia, ac vltima linea prudentiæ, humanæque sapientiæ. Dixi Societatis Viros, ipsiusmet sanctitatis filios videri, quia cum eorum modestiam, exterioremque compositionem contemplor, in illis spiritus sancti gratia cum suis donis ac fructibus videtur commorari. Testes huius veritatis sunt fidelitas, ac veritas, quibus in hac sacra

Societas sapientiæ Domus.

Scientiarū Minerua.

In suis scriptis mira dulcedo, suauitas, ac cæli fulmina contra Hæreticos.

Societatis viri, sanctitatis filij.

sacra Religione Sacramenta administrantur. Testes sunt Puritas suarum Virginum, perseuerantia suorum confessorum, patientia suorum Martyrum, zelus suorum Prædicatorum, sana ac sancta suorum Magistrorum atque Doctorum doctrina, *&c. Et post plures paginas addit fol.* 10. *col.* 1. Lustrentur (*inquit*) huius Religionis cubicula, & in eis summa videbitur Paupertas, etsi eorum plurimi sint, qui non solum Episcopali, ac Cardinalitia dignitate verum & suprema digni censeantur, *&c. Ac tandem concludit*: Ignatio Romam eunti apparens Christus Dominus dixit: Ego vobis Romæ propitius ero: & ni fallor hæc causa est, cur cum omnes aliæ Religiones Cardinalem habeant Protectorem, sola Societas Protectorem non habet Cardinalem, quia Christus Dominus se illius Protectorem esse promisit. *Ita ille.*

Cardinalem Protectorem non habet, quia eius Protector IESVS.

94. * A PETRO CORNEJO *Cathedratico Durandi Doctore Salmantino doctissimo in sermone de Beatificat. S. Ignatij, qui habetur in libro festorum Salmaticens. de eadem Beatificat. fol.* 134. *col.* 2. Gloriosus Ignatius (*inquit ille*) etsi nouissimus Fundator extiterit, ipse tamen, nec sacra eius Religio postremum locũ obtinet in virtute, litteris, Prædicatione Euangelica, orbisque existimatione: imo potuit contingere, in executione Societatẽ vltimam fuisse Religionem, in intentione vero diuina Primam ob ingentes fructus à se producẽdos. Ex duodecim prę-cipuis Ecclesiæ Religionibus quatuor Monachalibus, quatuor Mendicantibus, Militaribus totidem, verum est Societatem postremam prodiisse, illa tamen est Beniamin Christi Domini atque adeo doloris filia, quam Ecclesia Mater eius, ingentibus pressa doloribus Lutheranæ Hæresis peperit, *&c. Et postea fol.* 135. *col.* 1. Homo (*inquit*) in prima mundi molitione etsi postremus à Deo formatus, tamen præ cæteris creaturis ab eo dilectus, ad imaginem suam factus, cui tandem & naturam suam diuinam dedit, & nomen: Homo enim verè dicitur Deus, postquam Deus factus est Homo. Non aliter Mundi spiritualis noua creatione, etsi in Religionibus vltimam

Etsi alijs Religionibus tempore posterior, non virtute, literis, & prædicatione.

Est Christi Domini Beniamin.

Quam peperit Ecclesia Lutherana hæresis pressa doloribus.

Gen. 1. 26

Sicut homo omnium creaturarũ postremus earum est Microcosmus,

mam Christus Dominus Societatem fundauit, ad imaginem vero suam creauit illam, in Paupertate scilicet voluntaria, in proximorum amore, in vitæ perfectione, & vel in ipso IESV Nomine: & sicut Homini vltimo licet creaturarum, earum omnium perfectiones Deus impertitus, nempe intelligere Angeli, sentire brutorum, vegetari plantarum, ac esse elementorum, quibus homo Microcosmus effectus: ita sane Christus in hanc vltimam suam Societatem perfectiori modo quam in præcedentes Religiones, omnes congessit, vitam contemplatiuam Monachalium, clausuram & silentium Carthusianorũ, amorem proximi Mendicantium, ac tandem bellum interruptum cum inimicis fidei Hæreticis ac Gentilibus, Militarium: & hæc omnia gradu adeò heroico, atque eminenti, vt hæc sacra Religio non nisi quædam Quinta essentia (*vt vulgo dicitur*) cæterarum Religionum diuini amoris igne elicita & stillata, & breuiarium earum omnium esse videatur', *&c. Et fol.* 136. *col.* 2. Nec exaggerate loquar (*inquit*) si huic sacræ Religioni tanquam instrumento præcipuo gloriam postremi ac præcipui triumphi de Luthero, ac sequacibus reportandi, attribuam: quod videtur prædixisse Euangelista Ioannes. Is in libro, quem scribit de rebus, quas in Ecclesia euenturas à Deo acceperat, vidisse se ait stellam de cęlo cadentem, cum quintus Angelus Tuba cecinit. Sanctus vero Thomas quatuor Angelis quatuor Prædicatorum Ordines Mendicantes, qui sua ætate florebant designatos asserit: de Quinto autem sic interpretatur, verius dicam, vaticinatur. Prædicatorum, *ait*, Ordinem excitatum iri, cum alia fuerit Hæresis exorta. Prædictio euentu comprobata. Orta quidem est Hæresis ista, cum stella de cælo cecidit, hoc est cum Lutherus ab Ecclesia defecit. Quintusque hic Angelus Ignatius est Fundator quintæ Religionis Prædicatorũ Mendicantiũ: sic eam Pius V. appellat. Qui sacer Ordo officium ac ministerium huius Angeli adimplet doctrina Catholica, quam docet iam cathedris, iam suggestis, iam libris, iam confessiona-

Sic omniũ Religionum Societas.

Quæ earũ est quinta essentia diuini amoris igne stillata.

Est Instrumentum præcipuum postremi triumphi de Luthero reportandi.

Apoc. 9. 1.

Quod portendit Stella illa de cælo cadens ad sonitum tubæ quinti Angeli.

Per quem Ignatius & Societas figurantur.

sionalibus, iam vitæ exemplo, effusoque suorum Martyrum sanguine, *&c. Et postea fol.* 139. *col.* 1. *postquam Ignatio P.N. sanctissimo illud Isaiæ applicuit*, Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissimam, *subiungit*. Cuius diuini Minimi Religio reliquas omnes fructibus tam breui tempore reportatis videtur excedere. ô quot Gigantes paruulus iste Dauid, Ignatius scilicet lapidibus è funda doctrina suorum iactis exturbauit! quot Gentilium ac Hæreticorum exercitus superauit, *&c. Et post multa.* Quatuor (*inquit*) in rebus affirmare possumus, Ignatium per filios in prædicatione Euangelica plus cæteris laborasse. Primò ad remotissimas Gentilium, Indorum, ac barbarorum nationes penetrauit, quo nec fidei Euangelicæ vestigium vsquam peruenerat. 2. Ministeria prædicandi docendique sine vllis stipendijs, exercet. 3. Nullus Ordo tot in locis prædicauit. 4. Neque tot libros scripsisse Religiones omnes ab exordio Societatis, quot ea sola scripsit; volens non solum præsens verbis, sed absens scriptis Mundum instruere: cui tot scriptorum calami, lucernæ sunt, quæ in suis manibus accensæ animas in Ecclesia Dei vsque ad sponsi aduentum illuminent, *&c. Et fol.* 145. *col.* 2. *tandem concludit.* Quatuor illis mysticis Ezechielis animantibus currum illum diuinitatis, tot mysterijs, quot ornamentis instructum portantibus, quatuor Societatis status comparo. Leoni Professos, qui præcipuæ ac nobiliores partes Societatis sunt. Aquilæ Scholares ob ingeniorum acumen. Homini spirituales Coadiutores ac Confessarij ob mansuetudinem, & humilitatem, qua cum peccatoribus conuersantur: Boui Coadiutores Temporales ob humilitatem qua in domesticis officijs laborant. *Sic ille.*

Eorum de Infidelibus, & Hæreticis triumphus. 1. Reg. 17 50.

Societas plus ceteris laborauit. 1. Cor. 15. 10.

Docendo, prædicando, excursionibus, & libris.

Suorum scriptorum calami, lucernæ in manibus accensæ. Luc. 12. 35.

Quatuor Ezechielis animalia, quatuor Societatis status adũbrant.

Illa fidem in Gallia, Hæreticis frementibus sustentat.

95. * A MARCO DE GVADALAJARA, *Miris encomijs per totam suam Pontificalem Historiam commendante Societatem, ab hostiumque calumnijs passim defensante: & imprimis Par.* 4. *lib.* 3. *cap.* 12. Eam (*ait*) sustentare veram in Gallia fidem sermonibus, lectionibus, disputationibus, consilijs, priuatisque collo-

colloquijs, frementibus in ipsam Hæreticis, *&c.* *Et postea subdit*: Eorumdem astutijs expulsam à Gallicano Regno Societatem, vbi pulcherrima excolebat fruteta in Catholicæ Religionis augmentum, & Hæreticorum confusionem. Quorum industria Parisijs Pyramis erecta marmorea ingenti præfixo titulo, eximio opere, sed pleno in Societatem calumnijs, *&c.* At cognita veritate (*inquit in eadem* 4. *Par. lib.* 12. *cap.* 3.) ac sociorum innocentia, benignitas Regis Henrici hoc nomine quarti, Ecclesiæ iam vniti, totum monumentum funditus voluit aboleri, ne qua palam extaret memoria decreti contra Societatem facti. Destructa igitur Pyramis est insigni Hæreticorum dolore, quorum in Iesuitas machinæ omnes, atque conatus cum hac Pyramide ruebant. Vicit ergo omnia improborum odia, abundeque pensauit Regis beneuolentia. Vetera restituisse domicilia parum erat: noua addidit, fundauitque præcipuis in vrbibus; Flexiæ imprimis altrice sua in domo, quam in Collegium Societatis conuertit. Fontem tandem amoris Cor suum testamento legauit, & Flexiano in Templo Iesuitico sepeliri voluit. Vnde maiora ab exilio Societatis incrementa, laus maior, & gloria. *Et Par.* 5. *eiusdem Historiæ Pontificalis lib.* 16. *cap.* 11. *referens omnium Religionum Scriptores admodum insignes sic describit.* In Carmelitana Religione 45. floruere: in Dominicana 87. in Augustiniana 68. in Seraphica ingens numerus, in Mercenaria 36. & sic de alijs. De Societate autem IESV (*concludit*) dicam quod Euangelista Ioannes in sua Apocalipsi: Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. Hæc siquidem Religio est, quæ suis scriptis, ac doctrina ditauit Ecclesiam. *Hucusque ille, & plura alibi per dictam Pontificalem Societatis encomia dispersa habet, quæ etiam nemo dinumerabit.*

Quorum astutijs expulsa.

Et Henrici IV. beneuolentia iterum restituta.

Qui Cor suum illi testamento legauit.

Societatis scriptores innumeri.

Apoc. 7. 9

Quorum doctrina ditauit Ecclesiam.

96. * A DIDACO DE BENAVIDES *Optimo Sacrarum literarum Interprete in Vniuersitate Salmanticensi: qui postquam Societatem*, Illustrissimam, Religiosissimam, & doctissimam *nominauit*, *Eamdem ait*, sua sapientia erroris inimicam; sua

Est Illustrissima & doctissima Religio,

Sua sapientia erroris inimica: & sanctitate malitiæ oppositæ.

sanctitate, malitiæ oppositam: idque satisfactione tanta, tum suorum scriptorum calamis, tum Martyrum sanguine, vt glorioſa mereatur elogia; non alia epiteta, non alia attributa obsequijs à se Ecclesiæ factis, contraria. *Et tandem addit.* Irritatam Societatem iras modeste refringere. *Sic ille in Approb. Informat. P. Fran. de Contreras, qua probat non posse Episcopum sine Bullis præsentibus consecrari.*

Scriptorum suorum calamis, & Martyrum sanguine glorioſa meretur elogia.

97. * Ab Antonio Tavares *Lusitano in ser. de Canoniz. S. Ign. & Xauer. fol.* 1. Secundum (*inquit*) quod in hac Societatis Repub. considerare debemus Personæ sunt, quæ in ea procreantur. Quis non miretur in Prædicatoribus eminentiam? in Theologis perspicatiam? in Sacræ Scripturæ explanatoribus securitatem? in Metaphysicis acutiam? in Philosophis studiositatem? in Logicis subtilitatem! in Latinis Ciceronianum nitorem? in Græcis notitiam? in Rethoribus eloquentiam? in Hæbreis peritiam? in Confessarijs experientiam? in Ianitoribus affabilitatem? in Ædituis vel in minimis rebus munditiem? in infirmarijs charitatem? in Prælatis prudentiam? Quid si de virtute loquamur; hæc ab omnibus satis nota: cur tempus insumamus in ea laudanda, quæ à nemine ignoratur. Id solum aio, Societatis Iesv Patres virtutem veluti infundere illis, cum quibus communicant. *Sic ille ex Lusitano Latine redditum testimonium protulit.*

Laudatur ex omnium scientiarum genere.

Et Virtute, quam eius filij illis cum quibus agunt, infundunt.

98. * Ab Hiero. à S. Iosepho: *Qui in Historia sua Discalceati Carmeli lib. 5. cap. 5. fol. 793. expendens visionem illam, qua bis B. Theresia pallium supra Capita Nostrorum sumentium Eucharistiam viderat, sic ait:* Miraculosa, & singularis demonstratio innuit, quam gratæ illæ benedictæ animæ Deo essent, qui pallio, quod insigne Regum est, eas vt Reges coronabat. *Et postea Ibid. num.* 10. *expendens celebrem illam de Vexillis albis visionem, quibus Nostros in Cælo eadem Theresia viderat, subiungit:* Hæc reuelatio tam magnifica, & honorifica est, vt vel ea sola vnum ex præcipuis testimonijs, ac elogijs magni-

Ij Pallio, vt Reges coronantur in terra.

magnitudinis, & perfectionis huius sanctæ Religionis esse possit. Enimuero candida in manibus vexilla purissimæ victoriæ triumphum significant; siue quia dealbauerunt stollas suas in sanguine agni, effundentes in fidei defensionem suum sanguinem tot insignes huius Religionis filij: siue ob immaculatam suæ Castitatis mundiciem. *Sic ille ibi, & passim alibi Sociorum laudes inculcat.*

Et ob niueam puritatem vexillis candidis in cælo triumphant.

99. A CAPITVLO GENERALI *Excalceati Carmeli sub Francisco à Sanctissimo Sacramento Romæ celebrato, plurium quærimoniæ, quod è vita D. Theresiæ quædam ad Societatem spectantia fuissent abolita, sic satis faciente*: Accepimus scripta S. Matris Nostræ Theresiæ edita esse truncata quoad illa omnia, quæ spectant ad Societatem IESV, ita vt & in manu-scriptis plerisque, & in plerisque exemplaribus pridem editis, & in ipsomet S. Matris contextu Originali omnia illa, quæ notantur in Libro, cui Titulus Gloria S. Ignatij, exarata inueniantur, tamen in ea editione, de qua dictum est, omnia fuerint erasa: hanc infidelitatem editionis non tam Societati IESV, quam S. Matri iniuriosam omnino improbamus, & à nobis non esse profectam contestamur. Quin imo, si quis ex Ordine nostro deprehenderetur tale quid admisisse, aut fieri curasse, impunitum non debere esse decernimus: ipsam quoque editionem truncatam in vsu nostrorum esse prohibemus. Propositionem hanc Capitulo Generali nostro propositam, & per acclamationem omnium approbatam testamur, die 16. Maij, anno Iubilæi 1650. In hoc nostro Conuentu S. Mariæ de Victoria Almæ Vrbis. Fr. Franciscus à Sanctissimo Sacramento Generalis, Fr. Ioachimus à IESV Mariæ Capituli Generalis Secretarius.

Decretum Capituli General. Carmel. in Societatis fauorẽ superscriptæ B. Theresiæ

100. A IOAN. BAPT. DE LEZANA *Sacræ Theologiæ apud Complutenses Lectore in Libro suo Apologetico pro Immaculata Mariæ Conceptione cap. 2. fol. mihi 9. Vbi enumerans ille Religiones pro tanti mysterij veritate militantes hæc de Societate scribit.* Sed quis non expectabit, vt dum instituti nostri commilitones annumero

Illa Vniuersõ Orbi celeberrima, colendissima, ac splẽdidissima Religio.

mero Vniuerso mundo celeberrimæ & colendissimæ Iesuiticę Societatis huius partis fautores Theologos recensęam. Tota enim hæc Familia iuxta sui Ordinis Decretum à Congregat. 5. Generali Can. 55. vbi præcipitur quod sequantur sententiam, quæ magis hoc tempore communis est, magisque recepta, huic parti adhæret. De hac igitur vnica splendidissimaque Religione, speciale hoc affirmare quibimus, nullum scilicet ex illa prodijsse qui (quod sciam) Immaculatæ Conceptionis Mariæ aduersarius extiterit. Quin (quod in magnum illius decus cedit) quadraginta, & amplius celeberrimos Theologos recensere possem, qui pro illa strenuissime militarunt, *&c. Omnesque suis nominibus recenset.*

Militans strenuißime pro immaculatæ Virg. conceptione.

Quadraginta & amplius filiorum calamis.

101. A NICOLAO A IESV MARIA *Discalceato Polono in Apologia, siue Propugnaculo Religionum Propositt. 59. fol. mihi 119.* Atque hæc (*inquit*) quam sunt glorioſa, & honorifica Religiosis, nihil tamen præclarius, aut glorioſius, quam noui orbis conuersio, quæ opera Religiosorum choro incumbentium inchoata est, & eorum adhuc opera propagatur. Quamuis etiam Societas IESV à choro auctoritate Apostolica exempta, insignem huic rei operam nauarit, & nauet, *&c. Et postea Propositt. 84. fol. 195. Societatem*, sanctissimam, & inclytam *appellat. Et rursus Propositt. 86. excludens inanem timorem cuiusdam Theologi asserentis Prædicatores ex eleemosynis viuentes, veritatem dicere non audere, & vitia libere corrigere, hæc in contrarium subiungit fol. 204. col 2.* Nunquid etiam (vt omittam alios Ordines) Religiosi Ordinis Minorum, & Societatis IESV Professi solemniter, non audent veritatem palam profiteri; aut timent benefactores offendere, corrigendo eorum vitia, etiamsi paupertatem in communi profiteantur? Oppositum certe monstrant fructus insignes editi in Ecclesiam Dei ab istis Religionibus, quos longum esset recensere.

Insignem noui Orbis conuersioni operam nauat.

Illa sanctißima, & inclyta nominatur.

Contra vitia, veritatem palam profitetur.

Fructusque insignes edidit in Ecclesia Dei.

102. * A PETRO DE ANGELIS, *etiam Discalceato Priore Conuentus D. Hermenegildi Matritensis in Censura Tomi 1. Monitorum Spiritualium D. Teresiæ, commentatore P. Alfonso de Andrade*

Andrade nostræ Societatis, vbi hæc habet. Non sine consilio, sed supremi Numinis prouidentia factum arbitror, vt Parentis nostræ scripta ad clarissimi Patriarchę Ignatij filios accurrant, vt vbi primas auras ebibêre, inde noui luminis incrementa mutuentur. Cum enim in primis spiritualis vitæ incunabulis à filijs huius magni Parentis Euangelicæ perfectionis nacta fuerit initia, par erat, vt ex eadem familia inauratum candelabrum foret, ex quo eius scripta nouis decorata fulgoribus Orbi vniuerso, fulgentes, qui in ipsis latebant radij propalarentur. Iacobum filium ad Labam mittebat Rebeca, fuge ad Labam fratrem meum Gen.27. vt vbi enutritus, nominis, ac diuitiarum incremento ditatus, maiori gloria eluceret, nullibi enim sibi in animum induxerat prudens mater charissimo filio certiorem magnitudinis, ac gloriæ cumulum posse accrescere, quam, vbi ipsa fuerat nata, & enutrita, vt inquit Caietanus. Beatissima igitur Teresia felicem hunc suæ mentis partum noua lumina ambientem ad Ignatianam familiam Rebecæ imitatrix solertiæ immittit è cælo, vt vbi ipsa nacta est Euangelicæ perfectionis cunas, superiorisque alimenta vitæ recepit, caro fœtui illustrius splendoris iubar affulgeat, magnitudinisque ditescat incremento: nec feliciter minus Teresiæ, quam Rebecæ suæ curæ cesserunt; si enim Iacobo itineris lassitudinem leni somno subleuanti, scala visa, cuius cacumini innitebatur Deus, ac cuius sublimes gradus, qua sursum, deorsumque Angeli peragrabant, haud aliter nouello huic Teresiæ germini contigit: etenim cum obliuionis somno credebatur oppressus, supremi Numinis prouidentia Angelum ei destinat ex ijs vnum, qui Ecclesiæ scalam perambulant, tali enim titulo Ignatij Patriarchæ filios par est insigniri; nam si Angeli eo nomine decorantur, teste Caietano, quia Nuncij Dei sunt, quis diligentius, attentiusue hocce munus in militantis Ecclesiæ Cælo exequitur, quam Illustrissimæ huius familiæ filij? Illi orbem vniuersum quaquauersum lustrantes, idololatris lumina subministrant, illi fideles,

B. Teresia spiritualis vitæ rudimenta Societati debet.

Gen.27. 43.

Et suorum Commentariorum noua lumina.

Societatis filij Angeli Ecclesiæ scalam perambulantes.

Eorum varia munia in animarũ vtilitatem.

fideles, ne qua exorbitent cæli viam edocent, innumerisque per varias terrarum partes sparsi veritatis calles ostendunt, inceſſanterque Euangelij ſemina vel per Orbis extremos angulos ſpargunt. *Hæc edidit Petrus ab Angelis; & quid aliud Angelus loqueretur, niſi Societatis filios nobili Angelorum titulo decoraret?*

Ignatius Sol ſanctiſſimæ Societatis inſtitutor.

103. AB HELIA A S. THERESIA *Etiam Diſcalcèato Tom. 1. de legatione Eccleſiæ triumphantis ad militantem lib. 2. cap. 31. num. 14.* Ab Aurora, *inquit,* deueniamus ad Solem, videlicet Ignatium de Loyola ſanctiſſimæ Societatis inſtitutorem, & fundatorem: Deus bone, quas non difficultates & impedimenta obiecit Satanas diuiniſſimo huic Viro, dum Societatem ab eo condendam præſentiſceret, cuius alumni tam ſtrenuè, tam viriliter, tam animosè contra ſuos emiſſarios hæreticos, eſſent decertaturi. Sed inuictus, & à ſpiritu ſancto interius confortatus S. Ignatij animus, omnes illas difficultates, & remoras veluti leuiſſimas quiſquilias illæſo pede conculcauit, proſtrauit, ſuperauit. Condita eſt Societas, nequidquam frendente Diabolo, fruſtra inſanientibus hæreticis, in caſſum obluctantibus pſeudochriſtianis. Hæc nimirum eſt, vt quodammodo illud ex ſacra Scriptura huc applicare liceat; illa offenſionis petra, in quam hæretici impingentes, alliduntur, confringuntur, comminuuntur: hic eſt ille Ignis quem Deus è cælo mittere, & in mundo accendere volebat per D. Ignatium, veluti quoddam ignitabulum, excitatus, qui amburit Hæreticos: hinc tot iſtorum clamores, tot in Societatem vociferationes, conuitia & calumniæ, quia ſcilicet ab hoc igne vrgentur, haud ſecus quam olim neſcio quis impius Apollinis Sacerdos, qui Paulinum iudicem in S. Vitalem Martyrem incenderat, inclamare cœpit, Tu me nimium Vitalis Martyr incendis. Reuera de duobus hiſce Sanctis Ignatio nimirum & Xauerio intelligere poſſumus illud Geneſis 1. Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præeſſet nocti.

Ea condita frendente diabolo, inſanientibus hæreticis.

Petra eſt, in qua Hæretici impingunt. Luc. 12. 49.

Et ignis, in quo cremantur.

Ignatius luminare maius diei, Chriſtiani Orbis præſidens. Gen. 1. 16

De

De reliquis eiusdem Societatis viris illustribus illud, & stellas. Luminare maius mysticum est S. Ignatius, qui diei, id est Christiano Orbi, & iam ad Catholicam fidem conuerso præfuit, hoc est in ipsa Ecclesia Romana radios suos extulit. Luminare vero mysticum minus est Xauerius: & sane cur hoc dicam, mihi sunt rationes. Veluti enim Sol à Deo lumen sibi inditum habet, ita S. Ignatius à Deo ipso immediatè illuminatur, & ad tantum in Ecclesia apicem, & fastigium sublimatus fuit. Veluti item Luna à Deo quidem est creata, vt nocti præsit, eique lumen suum communicet, non id tamen habet immediatè è vi suæ creationis, sed à Sole illud accepit: ita etiam Xauerius à Deo præordinatus est, vt gentibus in tenebris, & vmbra mortis sedentibus, hoc Indis, & Iaponibus Christianæ, & Catholicæ fidei lumen participaret, non tamen missionem suam immediatè à Deo habuit, sed mediante magno illo Sole Sancto Ignatio. *Hæc ille. O Verum, & animatum Societatis Cælum! in quo Ignatius vt Sol rutilat: Xauerius vt Luna splendet: cæteri filij vt Stellæ micant. De quibus Stellis idem Auctor grauissimus à num. 14. citato vsque ad 77. Et à fol. 181. pro ingenti suo erga Societatem amore, & plura numero, & sane grandia Elogia continet.*

Stela filij.

Xauerius luminare minus nocti gentilitatis assistens.

Is lucem ab Ignatio Sole mutuatur.

A MERCENARIIS.

104.* AB ALFONSO REMON *Prædicatore, Ordinisque Historiographo Generali Laudatissimo: qui Tom. 2. Histor. General. eiusdem Ordinis lib. 14. cap. 3. asserit*, Societatem Religionem esse in suis actionibus prudentissimam, & præstantissimam, nec non & Matrem filiorum doctissimorum in Ecclesia Dei, his sæculis, vt eorum euulgant scripta. *Et postea addit*: Eamdem Societatem esse lucem præstantissimam inter cæteras Religiones sanctitate, virtute, literis, exemplo, cathedris, suggestis, regimine spirituali, & politico,

Societas filiorum doctißimorũ prudentißima Mater.

Lux præstantißima inter ceteras Religiones sanctitate, virtute, literis, &c.

tico, normaque viuendi Mendicante & Monastica. *Hæc ille.*

Bacchanalium reformatrix.

105. * A GABRIELE TELLEZ, *Definitore, ac Generali etiam Ordinis Historiographo in suo Thirso fol. 77. col. 1.* Bacchanalium (*ait*) dierum reformatio perspicaci in omnibus Religioni Iesuiticæ omnino debetur: illa hos dies tot ludis prophanatos, tot vitijs armatos, & pietati, & sermonibus, lubilæis, & cultui Sacramenti Sanctissimi dedicauit. Eius filij vti dissertissimi reformatores, carnis effrænatam licentiam Christi carne refrænarunt: eorum diligentia non iam Bacchanalium, sed quasi Maioris Hebdomadæ hi dies antecinerales apparent, *&c.*

Christi carne, carnis licentiam refranans.

Clarissima supra omnes sacras Congregationes.

106. * A FRANCO BOIL *Regio Concionatore ac celeberrimo in sermone S. Fran. Xauerij, qui habetur in sua sacra Decima §. 1. fol. 129.* O clarissima (*exclamat ille*) supra omnes sacras Congregationes Religio sacra, ac insignis Societatis IESV, cuius ardens charitas facit, vt quamuis te præcingas scientiarum omnium insigni toga, vrgeat te tamen magis cum exutis supremi Magisterij tui ornamentis, induis iam Angli, iam Belgæ, iam Indorum personam, vt omnes Christo lucrifacias. *Et §. 3. fol. 146. col. 2. iterum exclamat.* O Societas IESV Religio Sacratissima, Orbis Schola, fidei Ornamentum, Euangelij Officina maxima, vera Apostolorum successio, humeris Christi subsidium dignissimum, filiorum tuorum multitudine stellas ipsas superante, & innumerorum Martyrum Coronis, quas omnes Xauerio debere se fatebuntur, nobilissima. *Hæc ille. Et in Approbat. ad Discursum P. Andradæ de Baptismo Deiparæ*, Societatem vocat, Sacram & excelsam, Scholamque Vniuersalem Ecclesiæ.

Præcincta scientiarũ omnium toga.

Ardenti charitate omnibus se accõmodat.

Orbis Schola, fidei ornamentum & Euangelij officina.

Vera Apostolorũ successio, humeris Christi subsidiũ dignissimũ & schola Vniuersalis Ecclesiæ.

107. A FRAN. HENRIQVEZ *Ordinis Præsentato, scriptoreque in Vulgari idiomate non vulgari, qui per varias Excellentias, in Ignatij, & Societatis laudes mirum in modum, acute & eleganter excurrit, Tom. 2. de sanctis, oratione de S. Ignat. Excellent. 2. fol. 4. col. 1.* Societas (*inquit*) IESV, ideo forsan tam hono-

honorifica nomenclatura appellatur, quia Saluatoris Socia in opprobriorum, & Martyriorum tolerantia. *Et Excellent.* 4. *fol.* 8. *col.* 1. Societatem (*ait*) non terrestrem esse sed cælestem, & diuinam, & Filij Dei Societatem. Hanc(*dicit col.* 4.) & persecutionibus fundatam, & laboribus auctam, infidelium, fideliumque insectationibus creuisse, quibus vel antiquissimæ familiæ vestem induisse, *addit fol.* 9. *col.* 2. *Et col.* 3. *subdit:* Vel ab ipsis cunis nouit libros scribere Societas. Ignatius adhuc tyro cælestem illum Exercitiorum spiritualium librum à Summis Pontificibus toties approbatum, & commendatum: Salmeron eius Socius tot varia & erudita volumina in ipsamet Societatis infantia typis excuderunt: A suomet exordio steriles infidelium solitudines suorum Martyrum fœcundauit sanguine: Ipsemet Sanctissimus P. Ignatius adhuc in viuis agens, 7. filios suos variè trucidatos pro fide Catholica numerauit. Ne ergo vocetis recentem Religionem, quæ obsequijs antiqua est, & quæ tam breui tempore tantum fructificauit scriptis, virtutibus & facinoribus ac si ad millia vsque sæcula duraret. Quæ alia Religio (*ait col.* 4.) quamuis præclarissima tam breui spatio tot fructus in omnium virtutum genere attulit? Hęc est Religio fertilis Martyrum, abundans confessoribus, Seminarium literarum, *&c.* Et quam mihi ostendes Religionem ita fertilem, quem nidum tam numerosa prole fetosum? *verbis vtitur S. Chrysost. Hom. de SS. Machab.* Quod si (*prosequitur fol.* 10. *col.* 2.) in Martyrum monte exordium habet hæc Ignatij Familia, si persecutionibus nascitur, vocate eam ore pleno, Martyrum Congregationem. *Et postea Excell.* 7. *fol.* 16. *col.* 1. Cum Mundus (*inquit*) vidit talis Societatis homines, Apostolos Dei nominauit: & sic eos Lusitania vocat. *Et quidem in Epistola ad Hebr.* 1. *noluit D. Paulus* vocari Apostolus, quia iam ibi IESVM Apostoli nomine appellarat: Nec fuisset congruum (*inquit Hieronym. ad Galat.* 1.) vt vbi Christus dicendus erat Apostolus, ibi etiam Paulus Apostolus poneretur. Et hæc summa excellentiarum huius

Saluatoris Socia in opprobriorũ, & Martyriorum tolerantia.

Cælestis ac diuina persecutionibus fũdata.

Aucta laboribus, libris, Martyribus.

Vix nata tantum fructificauit scriptis, & virtutibus ac si ad millia sæcula duraſſet.

Religio fertilis Martyrum, ac literarum seminariũ.

Nidus numerosa prole fœtosus.

Eius filij Dei Apostoli.

huius sacræ Religionis, quod virtute suorum professores tales sint, tam excellens suæ doctrinæ lux, vt Ignatij filijs, & Iesu Christi socijs commune sit Apostolorum Nomen. *Et rursus Excellent 9. fol. 1. col. 2.* Si in lucem edita Ignatij Familia & ad Hæresum tenebris resistendum, & ad Hæreticorum astutias, & machinas destruendas, quid mirum, quod Dei Filius IESV Nomine eam nobilitet, vocans eam Societatem suam, *Et fol. 21. col 3.* Si Francisco (*ait verbis D. Antonini vtens*) ostensa est Domus sibi per Visionem militaribus apparatibus plena, in signum præsidij, quod eius filij Ecclesiæ erant allaturi, id ipsum in Ignatij filijs iam, iusta cordium nostrorum lætitia cernimus. Hos igitur nouos milites iam videmus in campo, lingua, & calamo velut gladio duplici defendere nos ab ijs, qui suis erroribus nos perdere, ac destruere tentant, *&c.* O quam bene (*addit col. 4*) Ignatio conueniunt Nazianzeni verba orat. 20. Prior Pater certauit, nunc filij succedunt. Tres libros S. Ignatius scripsit, innumeros filij in fidei defensionem, & Ecclesiæ ornamentum. Pater bella quidem sanguinolenta Romæ, & alibi cum Hæreticis habuit, & victor euasit, filij omnia Septemtrionis Regna, vt ea reducerent Ecclesiæ gremio, penetrarunt. Pater plures animas conuertit, filij ampli Orientis Gentilitatem: Pater suo tempore Ecclesiæ Athlas, filij hodie brachio suo veluti scuto eam protegunt. *Et fol. 23.* Nouus (*inquit*) exercitus, nouum Dei subsidium Societas IESV, sed Societati Hæreticorum opposita: vtraque Societas est, sed vtraque in omnibus contraria. Iesuitica Vnitatem, & charitatem amplectitur, Hęretica discordias: illa morum moderationem exercet, secus ista. Quàm discinctus Hæreticus! quàm reformatus Iesuita! *Et fol 24. col. 2.* Prope montem Carmeli (*subdit verbis vtens Abulensis 3. Reg. 18.*) Comedit Achab, dum Elias orabat in monte. Hoc idem videmus hodie in Ecclesia Dei: sacri enim Societatis Religiosi spiritus feruore Eliæ zelum renouant, magis puram, magisque feruentem orationem

Edita in lucem ad hæresum tenebris resistendum, & Hæreticorum astutias destruendas.

Contra quos suorum militum lingua, & calamo velut duplici gladio Ecclesia defendit.

Socij Parenti suo quam similes.

Iste Ecclesiæ Athlas, illi scutum.

Societas nouus Exercitus, nouum Dei subsidium Hæreticis oppositum.

Renouat Eliæ zelum in Bacchanalibus. 3. Reg. 18 42.

in

in Bacchanalibus, dum huius ſæculi filij gulæ & abdomini indulgent.

Et poſtea Excell. 11. *fol.*29. *col.* 4. In hac (*inquit*) Domo amicorum Dei vita actiua, & contemplatiua iunguntur, ſtrictiſque amicitiæ vinculis vniuntur Martha, & Maria. Non ſum vni angulo natus, Patria mea totus eſt hic Mundus, *dicebat de ſe Seneca lib.* 3. *Epiſt.*28. *& de Societate Encomiaſtes.* Igitur egredimini (*ſocios alloquitur*) ô Euangelici Prædicatores, ô Magiſtri Chriſtianæ doctrinæ: egredimini de veſtris receſſibus, per ſecularium domos intrate, tenebroſas carceres luſtrate, in quibus vinculis aureis præpediti, miſeri captiui rident ſuam infelicitatem. Regia Palatia veſtra ſancta communicatione fruantur: gens enim in omni virtute adeo exercitata, omni religioſa occupatione tam munita, inter ſæculi pericula ſecurè viuere poteſt: ſiquidem inter ſæculi confuſiones illi ſupremam Dei maieſtatem laudant, & extollunt. *Et Excell* 13. *fol.* 39. *col* 3. *Noſtris applicat quod Euſebius dixit de Primæuis Eccleſiæ Religioſis*: Ab ortu autem diei vſque ad veſperam omne eis ſpatium ſtudiorum exercitijs ducitur, quibus ad diuinam Philoſophiam Sacris literis imbuuntur, habent etiam diſputationes quaſdam: itaque non ſolum ſubtilius intelligunt hymnos veterum, ſed & ipſi faciunt nouos. *lib.* 2. *Hiſt. Eccleſ. c.* 13. Verè qui hæc ſcribit (*ſubdit Auctor*) in Societatis munia oculos ieciſſe videtur: in ea enim videmus concertationes literarias acerrimas: vnaquæque huius Religionis Domus, noua quædam Vniuerſitas videtur: hîc ſcriptores, hic docti ſcripturæ Interpretes: viri denique in omni virtutum genere perfecti.

Domus amicorum Dei, in qua vita actiua, & contemplatiua iunguntur. Luc. 10. 38.

Commendatur ex literarum exercitio.

Et Excell. 14 *fol.*40. *col.* 2. Ignatius (*inquit*) & eius Familia ſapientiæ lucernas in manibus portant, ideo eum emerito titulo Vrbanus VIII. & Ducem, & Athlantem Eccleſiæ vocat, ſuſtinentem orbem humeris ſuæ doctrinæ. Præcipuum exercitium, & occupatio huius Sacræ Familiæ ſtudium literarum eſt, adeo, vt de illa dicere poſſimus, quod Cyrillus

Sapientiæ lucernas in manibus cum Ignatio portat.

Quî vt Dux, & Ecclesiæ Athlas, suæ doctrinæ humeris sustinet Orbem.

Hierosolymitanus de Hieronymo : vsque ad mediam noctem quiescebat, qua quidem continuo surgens lectionibus, & scripturis sanctissimis, quibus tota radiat Ecclesia, vti lampadibus pretiosis intentus, vsque ad esus horam perdurabat. *Et postea fol. 41. col. 1. De viris huius Societatis dicit, quod de vetustioribus religiosis, primisque Christianæ perfectionis exemplaribus refert S. Isidorus.* Simul agunt viuentes in Orationibus, in lectionibus, in disputationibus, in Vigilijs, in ieiunijs, modesti, verecundi, placidi, concordissimam vitam sectantur, cogitationes suas alterutrum reuelantes, inuicem discutiunt & corrigunt. *Et fol. 42. col. 1.* Tabernaculum (*ait*) vbi adstabat diuina Maiestas plumis ornatum, & in introitu eius opere plumario fecit tentorium *Exod.* 38. ad indicandum fortè, maiorem Ecclesiæ ornatum ex sacrorum scriptorum calamis componi : ô quàm multi, & diuersi ditant Societatem ! Non est excogitabilis literarum materia, de qua eius professores libros pene infinitos non scripserint. Si Orco capita tollant Hæreses, hi calamis ea demetunt : si alij Scripturam nouis lucubrationibus illustrant, hi orbem illustribus Commentarijs replent. In Theologia Morali & Scholastica, in legibus, & Concionibus quis neget excellere ? ô Ciuitas literis exornata, in qua mysterioso artificio exodi citati pennæ ad Te ditandam concurrunt, *&c. Et tandem fol. 43. col. 1.* ô suprema (*exclamat*) Ciuitas literarum, in qua omnes benè occupati, nullus otiosus viuit : omnes fructificant, omnes gemellis fætibus, & sterilis non est in eis. Quæ Augustin. & Bernardus de viro Euangelico explicant : ille Epist. 83. iste ser. 63. in Cant. Et quidem sanctis exhortationibus, doctis scriptis, literarum eruditione fructus producis, ô sancta Societas crescas in millia millium. *Hucusque ille, & quidem in summam Societatis laudem, & commendationem.*

Socij laudati.

Quorum calamis Tabernaculum Dei ornatur. Exod. 38. 18.

Societas suprema Ciuitas literarum. Ios. 15. 15

In quo IESV Nomen vacuum non est.

108. A IOANNE DIAZ MORQVECHO *in Censura Tomi singularium Moral P. Anton. de Quintanadueñas.* Quando (*inquit*) non Iesuitica proles, hos tam locupletes fructus partu-

riuit ?

riuit ? Nullatenus vacuum Nomen IESVS in illa extitit familia, vt de aliquibus veteris Testamenti aiebat Bernardus : illa enim Vocabula in illis nec lucent, nec pascunt, nec medentur, sicut in nostro IESV, verba sunt Bernardi. At vero in Societate IESV palmitibus non ita, sed frondes, flores, & fructus vberrimos parturiunt, sicut in nostro IESV; lucent in verbis, pascunt in exemplis, & languores animæ suis medentur scriptis. *Sic ille.*

Flores enim, & fructus vberrimos parturit.

109. * A FERDINANDO DE RIVERA, *Socio ac Secretario R. P. Generalis suæ Illustrissimæ Religionis in Concione, quam habuit in Templo nostro Matritensi, qui postquam asseruit, Christum Dominum Societatis contractum (seu vt vulgo dicitur Trato de Compañia) cum Ignatio inijsse ad animarum lucrum acquirendum, hæc habet fol.* 21. *col.* 1. Est tamen impossibile recensere fructum quem illa protulit, & innumerabile lucrum animarum, quo gaudet Ecclesia eius causa : dicat illud Sacramentorum, Confessionum, & communionum frequentia, multitudo hominum, qui Religiones profitentur : dicant Hæretici conuicti in Germania, Anglia, & Gallia : dicant Gentiles ad veram fidei notitiam in vtraque India reducti. O quam bene conuenit IESV Societati, quod de Æterna Sapientia dixit Sapiens, Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Omnia bona (*addit col.* 2.) ad tria genera reducuntur, ad bonum honestum, vtile, & delectabile. Quæ omnia pariter inueniuntur in Ecclesia per hanc sanctam Societatem IESV, & per manus illius. Honestum ; in prompta obedientia, perfecta charitate, humilitate profunda, laborum, ac Martyriorum tolerantia, alijsque virtutibus. Vtile : (*subdit fol.* 22.) in eruditorum, ac sanæ & Catholicæ doctrinæ voluminum editione, scientiarum omnium in omnibus Academijs per eam susci tato splendore, confessionibus, ac concionatoribus, Congregationibus sæcularium Equitum, & Ec-Ecclesiasticorum, alijsque pene innumeris. Delectabile : in Tem-

Innumerabiles fructus ex illo secuti.

Præcipue in Hæreticis, & Gentilibus reperiendis.

Sap. 7. 11.

Bona honesta, vtilia, & delectabilia Ecclesiæ attulit.

Templorum eius nitore, domorum munditia, Altarium ornatu, afflictorum dulci congressu, ægrotorum solamine, in eo denique quod omnibus se accommodans, cum dolentibus doleat, & gaudeat cum gaudentibus, omnes speciali lætitia afficiendo, *&c. Hæc inter alia multa addictissimus Societatis Encomiastes.*

Religio magna, vtriusque Ecclesiæ felix lætitia.

110. * A SILVESTRO DE SAAVEDRA *in Approb. Relectionis Sacræ pro celebratione primi sæculi Societatis, habitæ in Collegio Gaditano à P. Thoma Legionensi mira eruditione, Hispalique typis editæ ann.* 1640. Magna (*inquit*) Religio, sæculi huius superbia (Ponam te in superbiam sæculorum) vtriusque orbis, siue Ecclesiæ vtriusque felix lætitia, sic effulsit, ac si sæcula vixissent innumera, non bene perpensis Catholicæ Monarchiæ lucris: tanto irrigata sanguine primum eius sæculum aureum emersit: eaque instar auri laborum Christiano perpurgata igne, splendens, ac puriſſima: plantataque iuxta persecutionum aquas. Arbor tota ex auro in æternum duratura; securius sane quam de suo Augusto Platano vaticinabatur Marcialis:

Isai. 60. 15

Multo irrigata sanguine.

Instar auri laborũ igne perpurgata.

Arbor tota ex auro in æternum duratura.

O dilecta Deis, ô magni Cæsaris Arbor,
Ne metuas ferrum, Sacrilegosque focos.
Perpetuos sperare licet tibi frondis honores,
Non Pompeianæ te posuere manus.

A TRI-

A TRINITARIIS.

III. * AB HORTENSIO PARAVISINO *Prouinciali, ac Visitatore Generali Bætico, Concionatore vere Regio, scriptoreque elegantissimo. Tomo de Sanctis, Oratione Euangelica in Beatiſ. S.Fran. Borgiæ fol.208. col.4.* Societas (*inquit*) IESV est verè Cælum, imo stellarum Firmamentum, Virorum scilicet insignium, viuido charitatis igne Ecclesiam per totum Orbem illustrantium. Coadiutores spirituales Iesu Christi, Socij officio, Filij autem Discipulorum successione: Omnes Pauli Doctores Gentium adimplentes cum efficacia effectus, qui deerant sufficientiæ sanguinis Iesu Christi: Collegium Apostolicum ad continuandum Christi Collegium substitutum. Cæli sunt Religiones omnes: nulli Religioni Planetæ desunt fœcundis illam luminibus illustrantes: Sol Thomæ, Stella Dominici, Globus Benedicti, Mars Augustini, via lactea Bernardi, Ardores purpurei Franciſci, Zonæ Carmeli, Paralleli Basilij, & Hieronymi, Aurora Nolasci, Iupiter verus Trinitatis. SOCIETAS vero Firmamentum est, nusquam stellas, nusquam signa, nusquam salutares influentias in ea desiderabis. Magistri omnes sunt in scribendo, Prædicatores in concionando, Doctores in docendo, Ascetici in exhortando, calamo, voce, exemplo, libris, suggestibus, confessionalibus. O spiritualis rationalium apum officina! quæ ex cælesti sudore, ac proprio fragrantes fingunt fauos, mel dulce, & vtile spiritui, lucentem ceram Ecclesiæ. O Religio Sancta, quam Charitas, literæ, Modestia, & Puritas insignem adeo fecerunt, vt vix aliquando cepisse videaris: vsque adeo magna semper fuisti. Societas nempe IESV, Ierusalem noua de Cælo ad Ecclesię reformationem descendens: Communitas prodigiosa: Cœnaculum Domini in Pentecoste, ex quo Apostoli

Societas vere cælū, imo Firmamentum. Gen.1.14

Cuius filij Stellæ charitatis igne Ecclesiam illustrantes

Coadiutores, ac Socij Iesu Christi.

Collegium Apostolicum.

Omnes Magistri Doctores, ac Prædicatores.

Calamo, voce, & exemplo.

Societas spiritualis rationalium apum officina.

Ierusalem noua ad Ecclesiæ reformationē de cælo descendens. Apoc.21.2 Act.2.1.

Communitas prodigiosa, & Domini cœnaculum

igne variarum linguarum accensi ad Orbis conuersionem prodeunt. Tu Athenæ Euangelicæ: Tu fidelium Christianorum Seminarium: Tibi debemus omnes, id quod sumus. Ego autem, ne aliquem offendam, Tibi soli debeo, quod scio: Tibi me debitorem agnosco: in Te rationis lumen mihi affulsit, in Te studium: mea lingua, meus calamus, non grates, sed debitum naturale rependat. *Hæc ille, qui hoc tam magnificum testimonium pro ardenti in Societatem beneuolentia latinè redditum edidit.*

Athenæ Euangelicæ, & fidelium Seminarium.

112. * AB EMANVELE REYNOSO *Definitore Maiori Ordinis, scriptoreque non Vulgari in defendenda Deipara. Is in Tractatu de Immaculata eius Conceptione ser.* 8. *Discur.* 8. *fol.* 159. *col.* 2. Magnus (*inquit*) Patriarcha Ignatius spiritum de immaculato Virginis conceptu in suam Religionem infudit, tanto nisu, firmaque adeo & stabili deuotione, vt possimus cum veritate pronunciare: ex omnibus probationibus tam de facto, quàm de iure his temporibus elaboratis, in Virginea puritate ac nobilitate comprobanda, plures ab illustris huius Communitatis hominibus prodijsse, eosque solos plus in hoc articulo de Immaculata Conceptione, quam ceteras omnes Religiones, scripsisse. *Ita ille in non modicam Societatis laudem. Et antea ser.* 1. *fol.* 17. *iam dixerat*: Societas IESV hisce vltimis mundi temporibus ad illius lumen, & exemplum venit. Et ob filij honorificum Nomen, excellentiam Matris buccinauit. In his enim temporibus inuenimus fere quadraginta huius Sacræ Religionis Auctores, qui ex calamis enses fabricantes purissimam eius Conceptionem defendunt. *Et sermone vltimo eiusdem Tractatus de Concept. fol.* 291. Festum Conceptionis (*ait*) à Societate IESV celebrari quidem, & bene celebrari, si quidem tam præclari huius Religionis filij, sanctitate, virtute, literis, & nobilitate, scriptis, & pulpitis defendunt.

Suorum calamis pro immaculata Virginis Conceptione supra omnes pugnauit.

Eius excellentiam buccinauit.

Quam filij sanctitate, virtute, ac literis defendunt.

113. A LVDOV. MOYA CORONEL *Theologiæ Professore in Collegio suo Complutensi in Approbat. Logicæ P. Fran. Alfonsi.*

Est

Est (*inquit*) hæc Societas illa Prophetarum 1.Reg.19. vbi ad solum ingressum omnes prophetant. Est Societas illa IESV Magni Sacerdotis Zachar.3. Vbi omnes viros Societatis IESV, viros portendentes Angelus Domini prædicauit. Est denique Domus illa IESV, in qua Ioan.1. à Baptistæ discipulis res grandes, & valde subtiles (Cyrillo teste) iudicabantur dignè edoceri, refert ergo filius Matrem, *&c.*

Est Societas Prophetarũ & IESV magni Sacerdotis. 1.Reg.19 20. Zach.3.8. Ioan.1.38

114. * A FRAN. DE S. IVLIANO, *Qui in Approbat. ad Librum Prædicationis fructuosæ inscriptum, & à P. Hieronymo Continente elaboratum, & typis editum Cæsar august. an.* 1652. In Societate (*inquit*) IESV virtus cum literis amico fœdere coniunguntur: illa spiritu mundum ædificans, hæ ignorantias veræ sapientiæ oppositas, expellentes. Quod mysterium Euangelista Ioannes in Visione cap. 1. vers. 16. suæ Apocal. videtur prædixisse, cum IESVM vidit, & Gladium vtraque parte acutum de ore eius prodeuntem. Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat. Vbi sancti, & Euangelici Prædicatores signantur, secundum Gloss. Aretas, Primas. Ambros. & alios, qui diuinæ prædicationis gladio bicipite, iam vitia vitæ exemplo, iam sapientia ignorantiæ radicem præcidunt. Sed cum Gladius ille de IESV ore exire visus sit, mihi persuadeo, verè in illo Societatis filios designatos, qui sibi in Ecclesia vendicarunt hoc tam iustè meritum Prædicationis stemma. *Hæc ille.*

Virtutem cum literis coniungens.

Cuius filij ancipites gladij ex ore Domini prodeuntes. Apoc.1.16

Vitia exemplo, sapientia ignorantiæ radicem præcidunt.

115. * A FRAN. DE ARCOS *Regio Concionatore S. Officij Qualificatore, ac sacræ Scripturæ Magistro in Vniuersit. Toletana, in Approbat. Tom. 1. de Sanct. Toletanis per P. Anton. de Quintanadueñas.* Societas (*inquit*) Respublica est Sapientiæ adeo coniuncta, vt de ea dicere possimus (quod de Catholica dixit Lactantius lib.6.q.) Non potest nec Religio à sapientia separari, nec sapientia à Religione secerni.

Societas Respublica sapientiæ.

A MINIMIS.

116. * A Ioanne Ponce de Leon *Generalis Inquisitionis Qualificatore, & Hispaniæ Bibliothecarum Visitatore Generali: qui in Approbat. Tom. 1. Viror. Illust. Societ. miris eam extollit encomijs: Omissis autem ijs, quæ ex varijs Auctoribus colligit (& in toto hoc opere sparsa continentur) sic ille in tantæ Matris, filiorumque commendationem latinè redditam erumpit.* In hoc, & in alijs Tomis Auctor (*is est P. Eusebius Nierembergius*) nobis primum Societatis sæculum proponit, eius conceptionem, Organizationem, Ortum, educationem infantiam, pueritiam, iuuentutem, ætatem perfectam in viris suis mirabilibus, quos toto hoc tempore produxit; describens. Indeque eius Genealogia ostenditur miraculosè fœcunda, ob talis Parentis originem, Illustrissimaque prodigiosa, quia Mater est tot, ac tam insignium virorum. Hodie hæc magna Religio 281. Martyribus ditescit, qui eius pulchritudinem exornant, necnon & viris exemplaribus 1447. qui in omnibus scientijs, ac facultatibus Venerabile eius nomen fecere, quorum Operibus dives Hispania, Anglia, Bohæmia, Germania, Polonia, *&c. Et postea loquens de Sanctiss. P. Ignatio,* Alter (*inquit*) Abrahamus est, Ecclesiæque magnus Patriarcha apud tot, ac tam varias totius Orbis Nationes, de quo dicere licet, quod de Abrahamo exhibet sacer Textus Gen. 17. vt fieret in gentem magnam, vbi Rupertus aduertit, non dixisse in gentem multam, sed magnam: & vere magna gens filij huius Illustrissimæ Societatis, in qua magni Patriarchæ, Prophetæ, scribæque periti, ac diuersorum meritorum magni viri, passim occurrunt, per quos veram Dei magnitudinem mundus agnoscit. *Et rursus addit:* Sine lite res est, neminem esse qui se sacræ Societati IESV, eiusque filijs debitorem non agnoscat. Hispania tota eius exemplo à vitijs reformatur:

Societas miraculosè fœcunda, ac insignium virorum Mater.

Martyribus, & scriptoribus ditissima.

Quorum voluminibus Orbem vniuersum ditat.

Ignatius alter Abrahamus, & magnus Ecclesiæ Patriarcha Gen. 17. 5

Mira eius filiorum encomia.

Quam vtilis Societatis opera varijs Nationibus.

tur: Anglia occultis Catholicis conseruatur: Bohemia, & Germania hæreses abhorrent: Ibernia, & Vngaria Trinitatis mysterium profitentur: Iapones Indiarum ac Gentilitatis incolæ Ecclesiæ obediunt, suorumque Martyrum sanguine veritatem Catholicæ fidei testantur, *&c.*

AB EODEM *In Approbat. lib. de Triumphis fidei à P. Andrea Perez in lucem editi.* In hoc opere (*inquit*) vtrique orbi mirabilia patent, quæ in Sinaloensi Gentilitate per illustrissimos filios magnæ Societatis operatus est Dominus: per quos (vt ad alium scopum dicit Rupertus) veram Dei magnitudinem cognouit Mundus. *Et post pauca subiungit:* Sociorum prædicatione, heroicisque eorum actionibus, cælum magna gloria ditatum est; Ecclesia filiorum fecunditate; Religio numerosis fidelibus; Mundus singulari luce; Dæmones speciali confusione ac dolore, dum vident per filios illustrissimos S. Ignatij, & infernum minutum iri, & cælum multis incolis auctum. *Et rursus.* Maiores fructus sunt quos hæc Societatis IESV magna Religio in vniuersali fecit Ecclesia, quàm damna, quibus Caluinistæ hæretici, ac Lutherani aduersus eamdem perpetrarunt: in cuius rei comprobationem natum videtur, quod Nicephorus Calixtus refert de Ciuitate Constantinopolitanâ magnis terroribus obruta, Constantinus condidit, Syrus restaurauit. lib. 5. cap. 46. Igitur nitantur Lutherani, ac Caluinistæ nouas machinas aduersus Ecclesiam moliri, conentur Gentiles bellum aduersus eamdem mouere Idolorum adoratione, *&c.* Tunc IESVS magnam suam Societatem erigit, quæ per omnes Nationes ad ouile Christi totanimas per tenebricosa pascua aberrantes, sua vita, exemplo, continuaque prædicatione reducit. Omnes hi fructus medijs magnæ Societatis Missionibus comparantur, iam Ecclesiæ ruinas reparando, iam eam ad pristinum splendorem reducendo, adeo vt asserere possimus, Christum suam Ecclesiam fundasse, filios autem Syri (qui idem est ac qui ignem producit) eam ad antiquam suam venustatem reduxisse,

Per eius filios veram Dei magnitudinem cognoscit Mundus.

Cælum magna gloria ditatum est.

Ecclesia filiorum fœcunditate, mundus singulari luce, &c.

Plus vtilitatis Ecclesiæ attulit, quam damni Hæretici.

Infideles sua vita, & exemplo ad Christi ouile reducit.

Suis excursionibus.

se, restauraſſe, &c. *Hactenus, præter alia multa, indefeſſus vbique Societatis Encomiaſtes. Qui etiam in Approbat. Par. 3. de Imitat. Virginis per P. Alfonſum de Andrade conſcripta,* Societatem fertilem Paradiſum *appellat. Et tandem in Cenſura Epiſtol. P. Euſebij* : Illuſtriſſima (*inquit*) Religio Societatis IESV eſt, in cuius glorijs noua recognoſcuntur argumenta, quandoquidem eius alumni ſuis æquè doctis, ac fidelibus calamis Eccleſiæ Catholicæ conſtantia ac firma maximæ ſuæ eruditionis monumenta præbent. *Non aliter de Societate, ac ſocijs ſentiebat, loquebatur, ſcribebat ſemper vir iſte grauiſſimus, & in tota Hiſpania celeberrimus.*

Societas fertilis Paradiſus.

Eius alumni doctis calamis Eccleſiæ firma monumenta præbent.

Illa eſt vltima Dominici exercitus Pars.

Sed quæ præcipuè Balani oculos rapuit.

Pro Eccleſiæ Pedibus deſtinata.

Cuius Caput, ac Corpus Scriptoribus, Magiſtriſque ſuſtentat.

Et Collum, nempe B. Virginem immaculate conceptam.

117. A FRAN. FREIRE, *Collegij ſui Hiſpalenſis Moderatore, in ſerm. Canonizat. S. Ignatij fol. mihi 7. aſſerente,* S. Ignatium Societatem quamdam præcinctorum militum inſtituiſſe, eſſe vero vltimam exercitus partem, ſed talem, vt quamuis in prima veterani milites, forteſque Duces exercitus Dei, Benedictini ſcilicet, Baſiliani, Hieronymiani, Dominicani, Franciſcani, Auguſtiniani, & ceterorum Ordinum acies, collocentur; iſta tamen præcinctorum Balani Prophetæ oculos rapuerat, eamque vt præcipuam lumine ſuæ prophetiæ intuebatur, &c. *Et poſtea fol.* 8. Non modica (*inquit*) huius Religionis excellentia eſt Eccleſiæ Pedes eſſe, ob duo præcipua Pedum munia: quorum primum eſt, Caput, Corpuſque ſuſtinere, ne in terram decidant: alterum, Corpus, quo homo velit, deferre, hinc inde deambulando. O inclyta Societatis Religio! quam Cælum vti poſtremam pro Sacris Eccleſiæ Pedibus deſtinauit. Illi ſunt qui eius Caput (*nempe Pontificem*) ſcriptis adeo inſignibus ſuſtentant. Scriptores 300. extant (*hodie innumeri*) in hac ſacra Religione, tot ac tam inſignes Prædicatores; tot Magiſtri; tam inſignis aduerſus hæreticos zelus; tantus ardor in animabus conuertendis, quid aliud eſt, quam Eccleſiæ Caput ſuſtentare? Quod ſi Eccleſiæ Collum Virgo beatiſſima eſt, quis hiſce temporibus ad eius puritatis immunitatem defendendam, ſcriptis, Cathedris, ſuggeſtis,

gestis, sic manum applicuit, ac IESV Societas? Illa hisce sæculis Religiones omnes præclaros viros subministrando, qui ex eius Scholis prodiere, sustentat, &c. *Hæc ille inter alia multa Societatis encomia, quæ per totam illam Concionem, vere auream, dispersa sunt.* *Et Religiones præclaros viros subministrando.*

118. A CLAVDIO RANGOLIO *In Comment. sup. lib. Regum Tom. 1. lib. 1. cap. 10. vers. 8. fol. mihi 1253. Qui vindicatis à calumnijs obmurmurantium Religiosis, plura in animarum vtilitatem enumerat, in quibus illi se laudabiliter exercent; posteaque addit:* Quo in genere Iesuitæ multa cum laude versantur, & ab ijs etiam, quorum inuidiam iustis operibus meruerunt, ob eloquentiæ, eruditionisque vim maximam, cupide, ac frequenter audiuntur. *Ita Scriptor doctissimus.* *Defensa, ac laudata ob eloquentiam, & eruditionem maximam.*

A CANONICIS REGVLARIBVS.

911. A MARTINO CARRILLO *Abbate Montis Aragonij asserente,* Videri diuinitus Ignatium Mundo datum, vt se Luthero, & Caluino fidei Catholicæ pestibus opponeret: idque ab eo, eiusque filijs factum strenuè iuxta, ac feliciter. Horum opera Christi vineam vberrimos fructus produxisse: horum non modo laboribus, doctrina, scriptis, vitæ exemplo, sed & sanguine defensam, conseruatamque veram religionem. *Nec veretur, ob multitudinem eorum, qui in hac causa vitam profudere,* Societatem, Matrem Martyrum *appellare. Ita apud Imaginem 1. sæcul. Societ. lib. 5. cap. 11. fol.* 679. *Ignatius, & Socij Hæreticis à Deo oppositi.* *Quorum doctrina exemplo, & sanguine defensa, & conseruata Religio.* *Societas Mater Martyrũ.*

120. * A RAYMVNDO DE LVNA *in Concione quam ille habuit Placentiæ Italorum in Collegio Societatis* IESV, *in solemnitate Canonizationis Sanctorum Ignatij, & Xauerij fol.* 24. Sanctissimus (*inquit*) Patriarcha Ignatius, Auctor, & Parens Religiosis- *Religiosissima florentissima, ac doctissima.*

Ferax Sanctorum, & Martyrum ornata. coronis.

Seminariũ Prædicatorum, doctorum fodina ac militantis Reip. Trophæum.

Basis supremæ sedis, fidei propagatrix veritatisque Columen.

Hæreticorũ Malleus ruina idololatriæ, & in Romano Cælo Athlanti Hercules.

Ignatius splendens Societatis Sol.

Illa decus Italiæ, Hispaniæ honos, & Galliæ splendor.

Belgij ornamentum Germaniæ pompa, lumẽ Poloniæ

Noui Orbis salus, Gloria Ecclesiæ prodigium Vniuersi.

gioſiſſimæ Familiæ Societatis IESV; Familię, inquam, florentiſſimæ, doctiſſimæ, ſanctiſſimæ, ac breuiſſimo temporis interuallo in tantam magnitudinem euectæ. Ipſa enim eſt, quæ in tot effuſa terrarum tractus, ferax ſanctorum, tot Martyrum ornatur Coronis, ac purpura; tot Beatorum virorum candidatâ fulget innocentiâ. Seminarium eximiorum verbi Dei Præconum: Doctorum Fodina, Chriſtianæ militantis Reipublicæ Trophæum: Apoſtolicæ velum Nauiculæ: ſupremæ, ac maximæ Sedis Baſis, ac firmitas: Cultrix Vineæ Domini Sabaoth: Chriſtianæ fidei Propagatrix, Veritatis Columen: Vexillum Chriſtianæ militiæ: Hæreticorum Malleus: Hoſtis, & Ruina idololatriæ: Mundi Prodigium: ac ſacer tandem in Romano Catholico Cælo Hercules Athlanti. *Hæc ille ex Italico idiomate fideliter reddita, quibus nil elegantius.*

121 * AB ASCANIO ORDEI *Mediolanenſi Abbate, ac Prædicatore celebri in libello ſuo aureo Orationum ſacrarum Italico etiam idiomate conſcriptarum, in Oratione 5. exornatiua Sanctorum Ignatij, & Franciſci Xauerij recitata Mediolani in eorum Canonizatione ann.* 1622. Verum *(inquit ille fol.* 156) clarè admodum elucet, & innoteſcit huiuſce Solis noſtri (*D. Ignatij*) ſplendor, calorque fœcundiſſimus in hac inclyta Religione Societatis IESV inſtituenda, quæ quidem eſt Decus Italiæ, Hiſpaniæ Honos, Splendor Galliæ, Belgij Ornamentum, Germaniæ Pompa, Lumen Poloniæ, Noui Orbis Salus, Gloria Eccleſiæ, Prodigium Vniuerſi. *Sequenti vero pagina ita proſequitur.* Quid eſt Ignatium Parentem eſſe Societatis? quid aliud amabo vos, quam Auum eſſe, & Progonum bonarum artium? ſpiritualium Magiſtrorum Parentem? Speculorum totius Iuſtitiæ Inſtitutorem, tot tantorumque Sanctorum, tot millium Martyrum, Confeſſorum, & Doctorum Parentem, *&c. Hæc ille in tantam Sociorum, Societatis ac Ignatij Fundatoris Sanctiſſimi commendationem, quæ vel ſcribenti noſtro calamo ruborem pariant.*

A CLE-

A CLERICIS REGVLARIB. THEATINIS.

122. A Ioanne Mariono *Neapoli fama Sanctitatis celebri, è primisque huius Illustrissimæ Familiæ viris. Cum Ludouicus Massellus haud suo fideus iudicio ac sensui, virum bonum, doctumque è Benedictinis tyronum Magistrum de ineunda Societate, ad quam animo incitabatur, consuluisset, ille ad dictum Ioannem Marionum remisit: qui audita Oratione post aliquantum silentij alto cum gemitu verba illa Christi Domini protulit,* si scires Donum Dei, & quis est qui loquitur tecum. *Tum iterum silens, cum quasi admirans æternæ illius maiestatis benignitatem, qua hominum corda tacitis alloquitur motibus, ad seque trahit, aliquamdiu hæsisset,* Abito, *inquit,* fili, ipsos consule Societatis Patres, rectius me illi norunt quid optimum factu sit, quod suadent, exequere, *sic refertur Par. 2. Histor. Societat. lib. 2. num. 67.*

Quanti Marionus fecerit Societatem?

123. Ab Antonino Diana *S. Officij Regni Siciliæ Consultore meritissimo, & Antistitum in Romana Curia examinatore, Auctoreque huius ætatis celeberrimo: Is in suis Resolutionibus Moralibus Par. 6. Tract. 1. de Immunitate Ecclesiastica Resolut. 1. num. 3.* Societatis viros sapientissimos vocat. *Et Resolut. 5. num. 2. ait,* Societatem, Religionem esse nunquam satis laudatam. *Et Par. 7. Tract. 3. Resolut. 45. Constitutionem Societatis de correctione fraterna tot iaculis à multis impetitam, scuto suæ auctoritatis munitissimo propugnat. Et propositionem contra illam in quibusdam thesibus appositam,* scilicet, Nullo modo licere peccata denunciare Prælato vt Patri, omissa præuia admonitione secreta, *damnatam asserit, ab Inquisitore Generali per Edictum datum Matriti die 19. Nouembris 1625.*

Eius filij sapientissimi.

Illa nunquam satis laudata.

Et in Correctione fraterna propugnata.

Iesuita, proinde Theatini dici videntur, quasi diuini, aut contemplatores Dei.

124. * AB EMANVELE CALASCIBETTA, *In Vita B. Caietani sui Ordinis Fundatore cap.6.pag.19.* In Hispania (*inquit*) Theatinorum nomine intelliguntur Patres Societatis IESV, quia ita eos communis vox nominat, forte ob opinionem, & virtutem horum Religiosorum, quos plaudit Orbis. Sed hæc vox à Græca deducta videtur, siue Teos, qua Deus signatur: siue Teatis, qua contemplator; proinde dici videntur, quasi diuini, seu contemplatores. Vnde Theatinum dicere, idem est, quod diuinum, aut contemplatorem Dei appellare. *Sic ille. Vnde Theatinorum appellatio vulgaris, Iesuitis cedit in gloriam.*

A BARNABITIS.

Epistola Barnabitarum in obitu B.P.N. Ignatij.

125. *HAc ad literam Epistola Romam Mediolano missa audito Sanctissimi Parentis nostri obitu dolorem suum explicantibus, & in tanto Patre Filios, & Societatem venerantibus.* Postquam (*inquiunt*) nobis renunciatus est hinc in vitam meliorem recessus beatæ memoriæ Venerabilis Patris Ignatij, non mediocris cor nostrum pupugit dolor, tum vestri causa, totiusque sanctæ Congregationis IESV, quæ tali Magistro, ac Parente orbata dolens, mœrensque remansit; tum nostri, quorum etiam Pater erat. Dolendum quidem quod raptus est nobis hoc maxime tempore, quo bonorum virorum tanta caritas est; consolandum vero est, quod ad meliora transierit. Iustis enim viuere Christus est, & mori lucrum: quia & dissolui, & cum Christo esse multo illis melius. Quo fit vt cum B^mo. Petro Kalendas Augusti corporeis solutus vinculis, ad cælestia lætus migrauerit. Hoc tantum metuendum est, ne aliquo nostro peccato ereptus sit mundo, & sicut de sancto Iosia legimus, quia Iudæorum populo graue imminebat exitium, Rex iustus ante sublatus est. Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum: sed neque

Qui instar Iosiæ è viuis sublatus est.

Eccli. 49. 1.

que etiam omnino à nobis receſſit. Viuit apud omnes, quocumque ſe per totum Orbem nomen Chriſti protendit, dulcis & grata ſancti viri memoria, qui tantum de Chriſtiana republica meritus eſt. Quo Magiſtro, ac Duce Chriſti fides, religio, doctrina adeo propagata eſt, vt ipſos quoque Antipodes penetrauerit; apud quos multa millia hominum ad fidem conuerſa, nouam Eccleſiam primæ illi Apoſtolicæ æmulam, nouos Apoſtolos, nouos Martyres legimus extitiſſe. Præmiſit filios: nunc poſt multos ſuperatos labores pro Chriſti nomine ſubſequutus eſt Pater, non minus magnis curis excruciatus, multa Eccleſiarum ſolicitudine confectus, in otio martyr; in quem non tantum domus veſtra tam magna tot annos recumbit, ſed plurimorum aliæ. Communis erat bonorum omnium Parens. Et quem mœrentem non eſt ſolatus dulci alloquio? cui afflicto non affuit benignus conſilio? quem indigentem auxilio non iuuit? non eſt tutatus? Pes claudo, oculus fuit cæco, pauperibus ſolamen, & miſeris omnibus præſidium. Reddat illi Dominus bonorum operum mercedem. Nos in tanto funere Sacram Deo Hoſtiam in altari non ceſſamus offerre, ſpargant alij Tumulo purpureos flores: hæc Sacerdotum ſunt lilia, magiſque vernantia, & Deo amabilia, myſteria pro ſancta illa anima, licet iam beatæ vitæ gaudia (vt credimus) perfruente. At his ſaltem illum, quem viuentem nobiſcum pio amore coluimus, recedentem ab hoc ſæculo nequam, quibus poſſumus müneribus proſequemur. Dilectionem veſtram rogantes, vt has amoris lacrymas, fidei, & obſeruantiæ noſtræ teſtes libenti animo ſuſcipiant, mutuoque nos diligant; memores in ſuis oratiõnibus paruitatis noſtræ. Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſit cum omnibus vobis. Amen. Ex Cœnobio noſtro Mediolani Kalend. Septembris 1556. *Ita Par.* 1. *Hiſtor. Societ. lib.* 16. *num.*124.

Magiſter, ac Dux fidei.

Noua Eccleſiæ Apoſtolicam æmulantis fundator.

Martyr in otio.

Communiſque omnium Parens.

126. A CHRISTOPHORO GIARDA *Viro egregie docto ac pio, eximioque Societatis Panegyriſta, libro ſuo de Ape Religioſa.*

Societas, Sodalitas beatiſſima.

Doctrinæ sublimitatem cum sanctitatis præstantia connectens.

Beatissima (*inquit*) Sodalitas ab Ignatio Conditore centum annis nondum elapsis tantum operum & scripsit, & gessit, vt si quis librorum sublimitatem, multitudinem, varietatem, cum rerum gestarum splendore, fructu, magnitudine, conferat, non modo ætatis obstupescat breuitatem, sed tantæ sanctimoniæ, tanta cum doctrina, vti difficillimam, sic præclarissimam connexionem admiretur. Ita enim late duobus sub Polis eruditionem & pietatem circumtulit, vt qui progressus illius admirabiles non audiunt, sed inspiciunt, non vnius religiosi Ordinis, sed omnium planè Societatum, locorum, temporum, ætatum, virorum, virtutumque in hac vna complexionem agnoscant. Nam breui tot Collegijs, tot Domibus, tòt honorum gradibus, tot diuitijs, tot sanctissimis hominibus aucta est, vt ad hanc constituendam, amplificandamque contendisse hominum fauor, & cæli munificentia videantur. Vehementer autem ad hanc assequendam magnitudinem pertinuisse arbitror, primum illum virorum delectum. Vidit enim Ignatius diuina quadam & alta mente præditus, agendarumque rerum peritissimus, quanto augustiorem aditum principio habuisset, tanto augustiores pietatis & eruditionis progressus Societatem relaturam. Quàm feliciter illius optatis prouidentia cælestis respondérit, hodiernus Societatis splendor, & perfecta filiorum similitudo testatur. Hos enim è summis viris natos arguit probitas Illustris, arguit Doctrina singularis, arguit celsitudo animi incredibilis, arguit peritia rerum omnium admirabilis, vita, oratio, modestia, incessus, vox, gestus, libri, arguunt denique omnia. *Hæc ille apud P. And. Lucam in Vita S. Ignat. lib. 4. cap. 20. Quid huic testimonio in Societatis commendationem dici, nedum fingi potest Illustrius?*

Illius progressus admirabiles.

Non vnius Religionis, sed omnium Societatum ac temporum esse videntur.

Ignatius laudatus.

Illius filiorum Elogia.

APA-

A PATRIBVS CONGREGAT. ORATORII.

127. A THOMA BOZIO *De Signis Ecclesiæ Tom. 1. lib. 5. cap. 5. fol. mihi* 161. Quin etiam (*inquit*) memoria nostra vidimus amplissimam diuinitus à nostris excitatam IESV Societatem, quæ totius Orbis loca percurrens id vnum præ oculis habet, vt in præcipuis quarumlibet regionum ciuitatibus excitentur Gymnasia, in quibus per eos ad bonas literas, moresque pios, & verè Christianos adolescentuli erudiantur, *&c.* *Et postea fol.* 162. Ego vero (*subiungit*) mirabilissimis prorsus euentis hanc rem totam illustrabo: & vt omittamus recens Societatis IESV Institutum, cuius non modo inter nos, sed etiam multoque magis inter Indos, & Occidentales, & Orientales sunt vberrimi fructus in institutione adolescentum, *&c.* *Et in eodem Tom. 1. lib. 7. cap. 1. fol.* 241. *loquens de S. P. N. Ignatio hæc inquit:* Quantos fecerit progressus ex eo possumus conijcere, quod celeberrimam IESV Societatem constituit, cuius est in Euangelio, vt Pauli vtar verbis, maxima laus apud omnes. *Et Ibidem lib. 9. cap. 5. fol.* 339. *loquens de Societatis Religiosis addit:* Hi Auctore Ignatio Loyola nihil amplexi sunt, quo virtutes verè cælestes bonasque literas, & doctrinas pectoribus humanis toto Orbe terrarum possint inserere, idcirco pueros humanitatis artibus imbuunt, ac nullis laboribus, vt mortalibus bene per ipsos esse possit, vnquam parcunt. *Et tandem lib. 11. de eisdem signis Ecclesiæ cap. 1. signo* 43. *de Patientia fol. mihi* 422. *sic loquitur.* Atque vt apertissima res fiat, nostra ætate possemus ex vna Societate IESV nominare supra mille viros, qui pro Christi cultu inter Indos amplificando, nil non mali tolerauerint, vastissima maria transmiserint, nullo non vitæ discrimine, cum gentibus omni humanitatis sensu abhorrenti-

Societas diuinitus excitata totius orbis loca percurrit.

Adolescentes ad bonas literas, & pios mores erudiendo.

Ex hoc vberrimi fructus.

Celeberrima est: cuius laus maxima in Act. 8. 18.

Eius filij virtutes verè cælestes toto Orbe pectoribus inserunt.

Occupati in diuino cultu inter Indos amplificando.

Maximis periculis etiam vitæ discrimine.

bus versentur, à quibus pene singulis horis, ne dum diebus mors timeatur, multis iniurijs afficiantur, multis opprobrijs onerentur, dum non occulte, & clam more Hæreticorum, hos, illosve reducunt, & venena per Indias spargunt, sed Christi Religionem palam prædicant, nullis armis, nullis præsidijs sepți, sola muniti patientia, sola fortitudine obtecti, *&c. Et Ibid. lib.6.cap.3.n.12. loquens de vno Xauerio Indiarum Apostolo tandem concludit.* Age vero, maxima de Xauerio dicamus. Vniuersi Hæretici ab Ecclesiæ Christianæ constitutione per tot sęcula per annos mille quingentos & amplius, haud traduxere ad hæreses suas tot Gentes aut Idololatras, ac alioqui à Christi cursu alienas, quot vnus Xauerius ad cultum Christi annis vndecim; tot enim fuit in Indijs vir iste admirandus. *Quæ tanti Filij suprema gloria non minor Matris Societatis Corona est.*

Suprema Xauerij laus.

128. AB AVGVST. MANNO DE CANTHIANO *In Tomo suo Selectarum Historiarum.* Beatus Ignatius (*inquit ille*) venerandæ Societatis IESV sapientissimus Institutor, spiritu sancto plenus, & præsertim sapientiæ dono conspicuus Religionem suam instituit, quæ hodie per vtrumque Orbem communi beneficio propagata Mundum fulcit, ne cadat: qua in re videri potest, cuius spiritus esset, qui opus tam magnum facere potuit, & qualem à spiritu sancto sanctitatem esset consecutus, qui in Dei Ecclesia collabentes virtutum ædificationes restaurabat. *Hæc in Parentis Ignatij sanctissimi eiusque Societatis laudem illustrissimus Encomiastes.*

Societas ab Ignatio spiritu S. pleno instituta.

Per vtrumque Orbem propagata, Mundum fulcit, ne cadat.

ELO-

ELOGIA SOCIETATIS IESV.

PARS SECVNDA,

SIVE

STATVS SECVLARIS,

IN

VNDECIM CLASSES

DIVISVS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ELOGIA SOCIETATIS IESV.

Nec segnius Ecclesiastico hoc, quem vocant Ordine, in tuenda, & amplificanda Societatis dignitate Secularium Principum, & Rerum publicarum Ordo politicus laborauit, adeo, vt non satis ille sibi aliquando in procuranda, & defendenda Sociorum apud omnes late populos existimatione temperasse videatur. Et sanè nescit hic quo se vertat calamus: æmulationis honestissimæ ingerunt se mihi potentissima Imperia, ac Cæsares: Regna, ac Reges: Respublicæ, ac Principes: Ciuitates, ac Magistratus: Concilia, ac Senatores: Tribunalia, ac Iudices: qui omnes certatim in extollenda Minima nostra Societate, primas partes sibi vendicare totis viribus enituntur. Verum ego à Principe Cæsarum dignitate exordior.

CLAS-

CLASSIS I.

AB IMPERATORIBVS.

1. A CAROLO V. *Inuictissimo Cæsare qui cum à B. Borgia inuiseretur, & calumnias aduersus Societatem sparsas ab eo manifeste refutatas videret, sensim contra delatores accensus, militari illo recalescente spiritu, fronte sibi manu repente percussa exclamauit:* Ergo mihi mentiuntur? *Alia multa de secessu suo, vitæque asperitate disseruit cum Borgia Cæsar, eumque post tres dies abeuntem iussit sæpe ad se redire: dictuque facile non est, quantam hæc Caroli humanitas vulgo cognita, & sermonibus celebrata serenitatem & laudem rebus Societatis attulerit. Ita Par. 2. Hist. Societ. lib. 1. num. 115. Et postea, eumdem Borgiam Sanctissimum in Testamenti sui Procuratoribus Cæsar idem scripsit. Quam rem pro magna commendatione, & Borgiæ & Societatis fama celebrauit. Sic ibidem lib. 2. num. 134. Qui tandem Imperator benignissimus,* Se Societatis Adiutorem futurum, *eidem B. Borgiæ inter alia multa promisit, vt refertur in Eius Vita per P. Eusebium scripta lib. 2. cap. 19.*

Societas à Carolo V. æstimata.

Cui se adiutorem pollicetur.

2. A FERDINANDO I. *Cuius benignitas in Societatem tanta fuit, vt cum in Styriam iter haberet, priusquam Vienna discederet, Collegij nostri memor, certa pecuniæ Summa ei quotannis nulla interiecta mora numeraretur suis administris, & ijs qui à Consilijs erant graui oratione mandauit. Viennam mox reuersus, cum cognouisset desiderari Collegio ad Sacerdotales amictus, arasque conuestiendas supellectilem Sacræ Vestis, eam sane lautam atque magnificam dono misit. Interiecto dierum spatio tota fere cum Curia Collegium ipsum, haud obscura suæ erga nos voluntatis, humanitatisque significatione conuisit; domum comiter intrauit, & vniuersam inspexit; suis illico sumptibus muniendam, & concinnandam curauit. Ita Par. 1. Hist. Societ. lib. 11. num. 42. Cuius etiam Imperatoris, tunc Regis Romanorum in Societatem tanta pietas, & liberalitas,*

Pecunijs, & fauoribus aucta à Ferdinando.

vt ex eo tempore, quamdiu vixit Romano Collegio quadringentos singulis annis aureos nummos perbenigne donarit. Nec pia tanti Principis in commendanda suis, & Ignatio, & Pontifici literis re Bohemica desiderata sedulitas est. Nec Prouinciam tam indigam opis, *aiebat*, ac prope depositam, desertamque prorsus paterentur: sed paterna charitate complexi per Societatis homines subleuarent. *Ita Ibidem lib. 15. num. 23.*

Et desiderata Bohemiæ.

Nullum miserrimis temporibus præsentius subsidium.

AB EODEM *fatente*, Nullum præsentius miserrimis hisce temporibus se inuenire subsidium, quàm si huius Familiæ, *nempe Societatis*, Viros in terras quam plurimos auocaret. *Hæc Par. 2. Hist. Societ. lib. 4. num. 64. Et in Germania*, Antidotum contra Hæreses efficacissimum Scholas à se nostras adhibitas esse, *scribente. Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. cap. 4. fol. 345. Et rursus testante*: Sociorum sese operam ad extirpandas hæreses imprimis vtilem in sua Germania expertum, haud dubie talem in Belgio futuram. *Sic Ibid. liter. ad Philip. 2. lib. 6. fol. 887. Tandem, vt literas, quæ cum Religione diffugerant, pius admodum Imperator, reuocaret, euocauit nos primum ad Viennensem Academiam, è qua totos annos viginti constabat, neminem sacris initiatum prodijsse: deinde etiam ad Pragensem. Ita Ibid. lib. 3. Orat. 5. fol. 439.*

Eius Scholæ antidotum contra hæreses efficacissimum.

Sociorum opera quam vtilis ad eas extirpandas.

3. A MARIA *Augusta Maximiliani Cæsaris coniuge meritissima, quæ incomparabilis, & munificentiæ, & deuotionis & prudentiæ Imperatrix fuit, literis ad SS. Pontificem Clementem VIII. datis Matriti 14. Nouemb. ann. 1598 in hæc verba.* Beatissime Pater, experta & in Germania, & in Hispania cum animi magna consolatione, quantum Religio Societatis IESV Deo, & eius Ecclesiæ deseruit, obligor ex intimo corde concupiscere, & adniti eius conseruationem, & augmentum, præsertim cum videam eam à sancta illa sua, & Apostolica Sede, à Catholicis Principibus tantopere coli, & adamari, quantum eam Hæretici & Pontificiæ Cathedræ omnes hostes detestantur: persuasum enim habeo tales fauores necessarios esse, vt fructus laborum, quos suscipit, crescat, & mercedis, atque præ-

Literæ ad Pontificem in Societatis commendationem.

Quæ ab Apost. Sede, ac Principibus colitur, ac amatur.

Et ab Hæreticis detestatur.

mij

mij quasi debitos titulo, ob plura, & insignia eius merita erga Vestram Sanctitatem, & totam Catholicam Ecclesiam, pro qua incessanter fatigatur. Vestram Beatitudinem suppliciter deprecor tum propter Vniuersalis Ecclesiæ gratiam, tum propter nostræ in hanc Religionem deuotionis ardentiorem affectum, vt quam commendatissimam Vestra habeat Sanctitas; & paternè defendat in omnibus occasionibus, speciatim eâ, quæ oblata est de P. Ludouici Molinæ libro, quem librum ex auctoritate Vestræ Sanctitatis Archidux Albertus filius meus, dum esset supremus in Regno Lusitaniæ Inquisitor, cum toto sanctæ Inquisitionis Senatu examinauit, ob quorumdam æmulorum instantiam, & reperit criminationes illorum nullius esse momenti, librumque securum, & Catholicum esse: quod ipsum quoque iudicatum est à multis Vniuersitatibus, Prælatis, & hominibus doctis Castellæ: quod Vestra Sanctitas fusius percipiet ab Hispaniæ in Vrbe legato: cuius Beatissimam Personam Numen tueatur cum omni felicitate, & augmento fidei, vt populo Christiano necessarium est. Vestræ Sanctitatis Obedientissima Filia MARIA. *Hæc Imperatrix Sereniſſima, noſtrique Matritenſis Imperialis Collegij Fundatrix munificentißima: in Apolog. pro ſcientia Media per Paulum Leonard. Par.1. n. 29.*

Fatigatur incessanter pro Ecclesia Catholica.

Scientia Media Soc. Pontifici commendatur.

4. A RODVLPHO *Eiusdem Mariæ, & Maximiliani Cæsaris filio in literis alijs peregregijs ex Praga ad eumdem Clementem VIII. datis anno* 1600. *die* 8. *Iulij*: Si enim (*inquit*) in vllam Orbis Christiani gentem Societatis IESV ab illo (*videlicet B. Ignatio*) iustitiæ fructus extat in Germaniam nostram multitudine populorum pene immensam adeo in omnia Regna, ditionesque vniuersas, ita se multiplicem effundit, vt obscuratus superiorum temporum iniuria Domus Dei nitor quasi nouo sole illustratus vbique resplendescere, maiestatemque religionis Catholicæ primæuam adferre videatur, ita siquidem, vt spes nobis pulcherrima sit fore, vt ardente Societatis illius zelo, ac cælesti qua præfulget doctrina, diuersorum erro-

Multiplici vbique terrarum fructu sese effudit.

Quasi nouus Sol obscuratam Dei domũ illustrat.

Ardenti zelo, ac cælesti doctrina præfulgens, errorũ tenebras discutit.

errorum, sectarumque tenebris dissectis, ac discussis, ditio omnis nostra verum Dei cultum breui temporis intercapedine amplectatur, &c. *Hæc Cæsar in Apolog. cit. Pauli Leonard. pro scientia Med. Par. 2. n. 82.*

Vni Chara Cæsari: qui acrem se illius propugnatorem spondet.

AB EODEM: *Qui in Cæsarem electus à Francisco Antonio Patre nostro salutatus, oratusque, vt patrocinium Societatis vellet suscipere, neque aures præbere obtrectatoribus, multa cum familiaritate respondit*: Societatem sibi vnicè charam, & quamuis nullus intercederet deprecator, acrem se eius Propugnatorem, ac perpetuum fore. *Ita Par. 4. Hist. Soc. lib. 4. n. 85. Rursus idem Imperator, cum Pragæ contra Collegium nostrum rumores varij excitarentur, ad extinguendam rei memoriam, sermones de ea Edicto vetuit. Sic Ibidem lib. 5. nu. 103. Item Lutheranismo per Edictum Rodulphi Viennæ de medio sublato, alijsque rebus præclaris gestis, secum ille Magium nostrum, sicut paulo ante Posseuinum in Vngariam duxerat, ita post duxit Lintium Superioris Austriæ Metropolim, eo & Confessionis, & diuinissimæ Eucharistiæ administro vtens, cum à concionibus Georgium Scherum haberet. Sic Ibidem lib. 6. num. 79. Sicque à Rodulpho Societas in filijs maxime honorabatur.*

Ab ipso defensa, & æstimata.

Et ab Imperatore Mathia.

5. A MATHIA I. *Vnico huius nominis, ac Imperatoris Rodulphi etiam Cæsare fratre, qui Viennensis ac Pragensis Academiarum toto Orbe celebratarum, Nos in perpetuum moderatores esse voluit. Ita apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. cap. 12. Orat. 5. fol. 439. Qui cum Austriæ esset Serenissimus Archidux, pro suo erga Societatem fauore, ac singulari beneuolentia, Patres Congregationis Prouincialis Viennæ congregatos humanissimè complexus, nihilque non egit, vt toti mundo palam fieret, quem nostri apud suam Serenitatem locum obtinerent. Itaque ad Collegium sub aduentum Patrum carnem ferinam, vinum, pecuniam mitti curauit, nec id satis suæ Serenitati Officij ad declarandam suam in Societatem beneuolentiam visum est. Omnes Patres conuiuas in nostro suburbano habere voluit. Dies conuiuio dictus erat Dominicus: eo die mane cum tota sua aula ad hortum nostrum descendit, quo loci postquam rei diuinæ (quæ non sine pompa solemni, & Symphoniacorum aulicorum concentu transacta est)*

inter-

interfuisset, familiariter omnes excipiens, singulis manum porrexit, regalique plane epulo exceptos, lautissime habuit: inque eodem cænaculo cum nostris (magna ciuitatis parte, festo tubarum, & timpanorum sonitu, qui in eo præter solitum loco reboabat, ad spectandum excita) accubuit, Officialibus aulicis dapes inferentibus, & nostris ministrantibus. Demum mensis remotis, cum è nostris vnus suæ Serenitati, oratione tempori illi accommodata gratias ageret, stans sua Serenitas (fuerit licet illi Sedes posita) non sine multorum etiam aulicorum admiratione perorantem audiuit, quod in tanto Principe non potuit non esse maximæ beneuolentiæ signum. Ita refertur in Annal. Soc. ann. 1606. fol. 471. Et in Annal. ann. 1608. dicitur Austriacum hunc Cæsarem Mathiam, Brunam inuisentem asseruisse, Se nullum studij genus, quod in Societatis res valere videretur, vllo se loco, aut tempore prætermissurum. *Ita fol. mihi 538.*

Nec non à Ferdinando II.

6. A FERDINANDO II. *De cuius laudibus nulla posterorum ætas conticesset, quem Apostolicus Nuntius ad suam Sanctitatem rescripsit, post Constantinum, parem in Ecclesia illi non fuisse, quem Imperatorem Sanctum Vrbanus Pontifex appellauit. Huius igitur tanti Cæsaris, tam pia, atque tam sancta educatio, Societati tribui merito debet, à qua est puer literis, & virtutibus institutus: quam institutionem adeo cognouit Optimus Imperator, vt postea iam* Societatis filium *se diceret, iam* Societatem Matrem *nominaret, sæpe & scriberet. Et hoc filiali certe affectu, & tenerè forti eam fouebat & tuebatur. Ita apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. cap. 4. fol. 346.*

Qui se illius filium fatetur.

Eius in Societatem largitas, amor, & beneficentia.

AB EODEM: *Qui post natos, notosque Germaniæ Cæsares fuit in Societatis curanda, ac promouenda decora, & emolumenta supra modum omnem prodige liberalis. Quod vt videas, nihil dicam de fundatis, ac erectis Domicilijs Societatis plusquam decem, nihil de instauratis, & dotatis minimum duodecim, nihil de vsu, ac familiaritate perpetua, qua posito velut diademate, ac Cæsarea Maiestate, priuatim complectebatur socios, & admittebat ad tractationem, & oscula suæ dexteræ benignissimè exporrectæ. Hoc dicam, quod non ab vno quopiam, sed vulgo iactatum est,* Ferdinandi tangi & oculos,

oculos, & pupillam, cum Societas tangeretur; non posse vllum Societatis hostem censeri, qui Ferdinandi hostis non esset; qui Ferdinando benè vellet, eum bene velle Societati. *Ad hæc quoties à suis ipse filijs Austriacis Principibus, aut salutaretur aduenies, aut ijsdem vel abeuntibus, vel abiens ipse felicia precaretur, solemne semper fuit, vt amandam, colendamque Societatem præciperet dicens*: Spero meos filios Societatem amaturos: id si egerint felices, ac beati erunt. *Ita Ibidem lib. 5. cap. 9. fol. 660. Et apud Guerrero in Corona gloriosa cap. 20. fol. 143.*

Ab Eodem: *Qui* xiiii. *Kalendas Martias ann.* 1618. *Austriæ tum Archidux in literis ad Sextam Patrum Congregationem Ratisbona datis, perpetuam in Societatem nostram voluntatem tabulis expressam solemnibus consignauit.* Ego (*inquit*) pro meo erga vos, Reuerendi admodum Patres, fauore, & ab ineunte ætate beneuolentia, atque obseruantia, elaborabo, ne in vestræ eximiæ Religionis tuenda, & augenda dignitate, mea opera vel studium, vel Officium vllum desiderari vnquam possit. Amo enim vos, & vnice diligo, ita vt vestras calamitates, infortunia, & rerum omnium vestrarum acerbitates, proprias meas esse prorsus existimem; & ideo Collegia vestra, quæ partim à meo Sereniſſimo, & chariſſimo Parente Carolo, partim à me in meis Prouincijs erecta, & aucta sunt, vt meas proprias facultates, & familias tueri, amplificare, & ornare non desinam. *Summum sane Ferdinandi de Societate testimonium. Quæ tanta Potentissimi Principis existimatio de Societate concepta; eo subinde increuisse visa est, vt in eiusdem commendationem, iam tum Cæsar aliquando diceret*: Si liber essem, vt fratres mei hodie sunt, Societatem Iesv omnino ingrederer. *Ita hæc omnia in Imag. Soc. cit. lib. 5. cap. 10. fol. 672. Et rursus Par. 5 Hist. Pontif. lib. 18. cap. 7. fol. mihi 533. ait idem Austriacus Cæsar semper Augustus, semper nostri Ordinis commendator egregius*, Societatem Defensatricem esse iuris Regum concionibus æque, ac scriptis. *

Benignissimis testata literis.

In Eam ingredi optat Cæsar.

Et defensatricem iuris Regum vocabat.

Ab

AB EODEM: *Qui Societatem à manifesta calumnia, ex eius vulgata Curia, liberauit, cum super ea interrogatus à nostro Generali, sic per Epistolam respondit.* R^de. in Christo P. Remitto Reuerentiæ vestræ mendatium mendatiorum omnium mendacissimum, quod quidem risi, sed simul totus excandui. Et si vestra Reuerentia in hoc puncto, seu mendatio à nobis testimonium in contrarium petierit, non detrectauimus ad conseruandam bonam famam Matris nostræ Societatis in amplissima forma extra dare. Seruet Deus Societatem cum vestra Reuerentia, cuius precibus, & sanctissimis Sacrificijs me totaliter commendo. Ebortorffij 17. Septemb. 1633. R.V. in Christo Ferdinandus. *Ita apud P. Guerrero in sua Corona gloriosa cap. 20. fol. 146. Et apud Euseb. in sua Corona virtuosa fol. 279.*

Eius puritatis famã à calumnijs vendicat.

AB EODEM: *Qui ne expiraret cum tanti Cæsaris vita Societatis amor, in suprema sua voluntate, qualem, & quantum erga illam haberet, suis successoribus in sui Testamenti Codicillo in summum nostræ Religionis encomium, sequenti clausula testatum reliquit:* Præ omnibus serio, & summopere cum feruore & zelo commendamus nostris successoribus plurimum Venerandam Societatem IESV, eiusque Patres, considerando quantum Ecclesiæ Catholicæ, non solum in his nostris Austriacis Regnis, & Prouincijs prosint, quantoque studio, feruore, & fidelitate pro conseruanda, & plantanda vbique terrarum Religione Catholica præ ceteris omnibus laborent; & quod econtra huic peruerso, & ingrato mundo magis sint odiosi, maioresque persecutiones patiantur, quàm quiuis alij, & hinc etiam maiori præsidio, & protectione indigent, & merentur. Quod certe à nostris hæredibus, & successoribus factum iri confidimus. Et hæc est nostra inuiolabilis voluntas. In cuius fidem similiter hunc Codicillum propria manu subscripsimus, & nostro sigillo muniuimus, in nostra Vrbe Viennensi 10. Maij, 1621. *Ita Tom. 1. singular. P. Anton. Quintanadueñas in Appendice Tract. 7. singul. 1. num. 9. Ista Augusti Cæsaris, Parentis verè*

Illius amorem suis filijs testamento legat.

Societas præ ceteris in plantanda vbique Catholica religione laborat.

Et quiæ ideo magis odiosa, maiori protectione indiget.

verè pij, verè Catholici Ferdinandi nouissima verba fuêre: quibus quo esset in Deum, in Ecclesiam, in Societatem, in posteros animo, & qualem cuperet hereditatem suis filijs, vnam præ omnibus, secure transmittere, ostendit liquido satis.

Iterum à Cæsare commendata.

AB EODEM: *Qui Archiduci Ferdinando Ernesto speciali cura, ac ardentissimo illo amore, quo erga Societatem ferebatur hisce verbis commendauit.* Imo vero: (*inquit*) Illam Tibi iterum, & etiam, atque etiam commendo: protegas illam non minus contra hostes apertos, quàm contra fictos amicos. Decursu enim temporis deprehendes, multos in eum Ordinem amorem iactare, qui non amant, tamen debere. *Hæc tantus Imperator, ac pientissimus Cæsar, apud P. Bartholom. Guerrero in Corona sua gloriosa cap. 20. fol. 144.*

Quàm fuerit amata, & æstimata à Ferdin. III.

7. A FERDINANDO III: *In quem ipse sanguis integerrimi Patris, ipsa indoles inuictissimi Cæsaris, ipse (si ita loqui fas est) Ferdinandi II. genius transfusus. Sic eum instituit, nihil vt in Ferdinando III. Augusta, Austriacaque prole, Parentis Optimi, requiras. Perrexit ille amando, & protegendo Ecclesiam, tuendo etiam, atque defendendo Societatem. Homonnæ, Cassouiæ, alijsque locis agitati, pulsi, spoliati fueramus, damna tunc pientissimus Imperator reparauit: qui vti reliquas à maioribus virtutes, ita hereditarium in nos amorem hausit. Sic in Imag 1. sæc. Soc. lib. 2. cap. 4 fol. 214. Et cum idem inuictissimus Cæsar laureatus triumphis à Nortlingana Victoria ad Augustam Vindelicorum Obsidione cingendam conuerteretur, inter triumphi sui decora, hoc quoque non minimum esse censuit; quod Academiam istic prioribus ereptam possessoribus, curæ Societatis, fideique permitteret; Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. cap. 12. Orat. 5. fol. 439.*

CLAS-

CLASSIS II.

A REGIBVS HISPANIARVM.

1. A PHILIPPO II. *Cui tot Regna per tot annos prudentissimè gubernata dedêre nomen Sapientis: & licet initio difficilius tardiusque* SOCIETATEM *in Belgium admiserit, in hoc quoque fuit prudens. Etenim neque illam tunc satis cognitam habebat ipse, & nescio qua sinistra opinione à maleuolis ingenerata, mouebatur, & quod caput erat, deterrebatur magnorum virorum consilijs, dissuadentium in tanta veterum Ordinum Religiosorum copiâ admissionem noui. At vbi Petrus Ribadeneira præter B. Ignatij litteras, etiam à Ferdinando Romanorum Rege commendatitias repræsentauit quibus ille præstantissimus Imperator testabatur,* Sociorũ sese operam ad extirpandas hæreses in primis vtilem in sua Germania expertum, haud dubiè talem & in Belgio futuram: *continuo Philippus Rex in vitam, ac munia nostra diligenter inspexit, laudatissimaque omnia comperiens, eum in Patres accepit animum, quem, nobis tacentibus, tot Collegiorum fundamenta loquuntur. Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 6. cap. 5. fol 887. & postea fol. 896. additur: Quo non obsequij debito sibi* SOCIETATEM *obstrinxit Philippus II. Rex sapientissimus, qui delectatus eo fructu, quem è* SOCIETATE *passim per Belgium decerpi videbat, anno præteriti sæculi octogesimo quarto non tantum insigni eam encomio exornauit, sed publico etiam diplomate potestatem fecit toto Belgio Domos, & Collegia fundandi.*

Societas à Philippo II in Belgium admissa.

Quàm ad extirpandas Hæreses imprimis vtilem testabatur.

Multiplici Collegiorũ fundatione.

* AB EODEM, SOCIETATEM *Occidentali Orbi per litteras enixè ab eius Generali Borgiâ sic efflagitante.* Ob bonam (*inquit*) relationem, quam habemus de SOCIETATIS personis, ingen-

Et literis ab Eodem expetita ad Indicã expeditionem.

ingentisque fructus, quem fecerunt, & faciunt in his Regnis, optaui illorum aliquos in nostras Indias maris Oceani mitti, ordinetur: & quia in illis quotidie magis crescit similium personarum necessitas, & in maximum diuini Numinis obsequium cederet dictos Patres in partes illas pergere ob sanctitatem, ac bonitatem, quâ pollent; & quia gens aptissima est illorum Naturalium conuersioni; & ob deuotionem quam habeo erga prædictam SOCIETATEM, in votis mihi est, vt illorum aliqui in plagas illas se conferant. Quamobrem Ego Te hortor, ac rogo, ad Indias nostras prædictas ire iubeas 24. Religiosos, vbi à Senatu nostro fuerint designati. In quo vltra obsequium diuino Numini faciendum, magnam ego capiam voluptatem, omniaque ad iter necessaria prouidebo, ac demum Terra illa ad quam perrexerint, ingens gaudium, ac beneficium sua præsentia accipiet, *&c. Hæc Rex Catholicus, in vita B. Fran. Borgiæ per P. Eusеb. lib. 3. cap. 8. fol. mihi* 211.

Ob Sociorum bonitatem, & sanctitatem.

Et ad Peruuiam.

* AB EODEM, *In Peruuium missionem Sociorum exposcente ab Eodem Generali Borgia alteris literis in hunc modum*: Ob necessitatem (*ait*) quam Prouinciæ Peruanæ patiebantur, Religiosorum qui ad conuersionem & Institutionem suorum Naturalium attenderent, & ad deuotionem, quam erga SOCIETATEM habebat, petebat, hortabaturque vt in Peruuium viginti pergerent ex illa Religiosi, & in conuersionem, ac eruditionem Indorum incumberent, fundareque domos, ac Collegia inciperent: ad iter necessaria se daturum promittebat, *&c. Ibid. lib. 3. cap. 9. fol. 213. col. 2. Et in Par. 3. Hist. Soc. lib 3. num. 268. quam abunde Philippus Rex prouiderit, sic refertur. Ad viæ impensas, & vestimenta, simulque ad Bibliothecam, ac suppellectilem sacram, suppeditauit: negotio dato Peruuijs Magistratibus,* vt in Vrbe Regum (*quæ eadem Lima dicitur, & est Peruuiæ Princeps*) ad ædificium quoque situm attribuerent: quibusque beneficijs ex regia liberalitate cęteræ Religiosorum Familię fruerentur: eorum omnium nouus hic Ordo particeps fieret.

* AB

Et ad Mexicanam.

* AB EODEM : *Qui Regno Mexicano eamdem* SOCIETATEM *desiderauit, & petijt : quo Regio iussu quatuordecim ex ea profecti sunt. Ita refertur in vit. B. Borgiæ ex Euseb. citat. lib. 3. cap. 11. fol. 219.*

Mira Sociorum puritas.

* AB EODEM, *Qui etiam mirabatur vehementer* inter tot irritamenta nequitiæ posse Homines (SOCIETATIS) ætate non graues, tot instructos à natura gratijs ab omnibus tam impensè susceptos, tanta non vitæ solùm, sed ipsius etiam famæ integritate versari. *Ita in Imag. cit. Soc. lib. 5. cap. 10. fol. 668.*

Societas est Præsidium Belgicarum Ciuitatum.

Neque voce tantùm Rex tantus commendabat SOCIETATEM, *sed litteris, quibus Parmæ Ducem Alexandrum monuerat, vt* SOCIETATIS præsidio munire satageret præcipuas quasque Belgij Ciuitates. *Sic Ibid. lib. 6 fol. 755. Quid plura? laborabat iam dudum Groningæ res Catholica, & Regis, inualescente Fœderatorum Ordinum potentia : sola restabat Vrbs Prouinciæ caput Groninga, & constabat in fide erga Regem, siue bonorum virtute Magistratuum, siue quia valido præsidio tenebatur. Ciuium tamen aliqui nouas de fide opiniones auide hauriebant, quas furtim & malis artibus ingressi nouatores Hæretici ex occulto disseminabant. Philippus tunc noster periculi admonitus,* SOCIETATEM *gliscenti malo ire obuiam voluit ; professus* Eam sibi maximè idoneam videri ad retinendos in obedientia Ciues, præ ipsis armis, & omni milite præsidiario.

Præ ipsis armis ac militibus maximè idoneum.

Quod grauissimum Prudentissimi Regis de SOCIETATE *iudicium ingentes nobis stimulos addidit, vt tantæ opinioni exspectationique respondere conaremur. Ita Ibid. lib. 6. fol. 756. Item primis Collegij Bruxellensis annis ex Belgio in Hispaniam ad Regem aduersus nos scripta est accusatio : diuitiæ nostræ immodicæ iactabantur, & præter eas insatiabilis cupiditas habendi. Grauiter pro merito Rex tulit adeo falsos accusatores,* multum se Belgis Patribus debere professus, *eorum paupertatem modis omnibus leuandam suscepit, quin imò suggestam à Senatu rationem pro* SOCIETATE *non probauit solùm, sed sua ipse manu notauit præterea quædam iuuandis opportuna Collegijs. Hæc Ibid. fol. 849.*

Defensa à Rege contra accusatores.

Electa ad morum reformationem.

AB EODEM: *Qui (vnà cum Apostolico Nuncio) Religiosorum quorumdam, & Cleri emendationem toto Regno moliebatur: in eamque rem* SOCIETATIS *operam destinabat: atque ad res tacite cognoscendas Gundisaluum Menendez Matritensis Collegij Rectorem, licet multum reluctantem, coegerit pergere. Tanta tanto Principi de* SOCIETATE *opinio, & existimatio. Ita Par. 4. Histor. Societ. lib. 3. num. 159.*

Postulata ad Gorgadas à Philippo III.

2. A PHILIPPO III. *Qui ad Insulas Gorgadas (earum præcipua à Capite Viridi nomen vsurpat) Generali Societatis Claudio pergratum sibi significauit*, Si aliquos è Nostris ad curandum spiritualem Lusitanorum, & incolarum quæstum transmitteret. *Ita in Annal. Soc. ann. 1604. fol. 108. Et in Synopsi Soc. lib. 5. cap. 30. fol. 281. additur, eò Claudium Generalem misisse Balthasarem Barreiram Angolana commoratione, & prodigijs nobilem, ternosque Socios in conatus Cacodemonis aduersos.*

Et ad Sinas.

AB EODEM: *Dum Sinas peteret Nicolaus Trigautius cum alijs triginta Socijs, Sinensem ad Regem ditati muneribus verè Regijs à Paulo V. Pontifice, Alberto, & Isabella Principibus Belgicis, Galliarum Regina, Babaro ac Hetruriæ Ducibus, ab Hispano autem Rege nostro Catholico, ac vere in Societatem liberali, autographæ litteræ pro fundandis per illud Regnum Domicilijs quindecim, & victu Sociorum ter centum. Ita in Synopsi citata lib. 6. cap. 3. fol. 300. O summa summi Regis erga Societatem liberalitas, & existimatio!*

Insignis Regis liberalitas erga Societatem.

Et in fundatione Collegij Salmantini.

AB EODEM: *Cuius benignitas pro fundando Salmantino Collegio partem adstruxit è Margaritæ coniugis voto. Hæc testamento dudum octoginta aureorum millia legarat dicto Collegio. Puerperij tempus, & mortis periculum interuenit: per codicillares tabulas tantumdem addiderat: sed erant ea sine robore, quando infra puræ, & sine sigillo testantis. Suppleuit amantissimus, & coniugis, & Societatis Rex: & summam vtramque, demum addixit. Ipse, & Regina Salmanticensis Collegij Fundatores dicti. Ita Ibid. lib. 5. cap. 32. fol. 292.*

* AB

* Ab Eodem; *Quibusdam Societatis Patribus Margaritæ vxoris eximium erga nos amorem his verbis commendante*: Videte quantum vos amat Regina, quæ vt vos maioribus cumulet beneficijs, mercenaria fit apud Indos. *Ita in Appendice Memorial. Prouinc. Mexicanæ ad Philip. IV. super solut. Decimar. fol. 253. §.7.* *Singularis Margaritæ Reginæ amor in Societatem.*

3. A Margarita Eadem *Austriaca tanti Regis digna coniuge, Societatis magna Matre, & omnium virtutum admirabili Regina. Hæc Ariæ Saldaniæ Proregi in Indiam iamiam profecturo, vltimum illud impensè commendauit,* Singulare in Societatem studium, & amorem. *Ita in Annal. Soc. ann. 1600. fol. 127. Et quoties expeditio in Indiam pararetur, Societatis homines ceteris Proregibus commendabat tanquam suos. Sic in Annal. eiusdem Soc. ann. 1610. fol. 4. Et in Testamento suo sequenti clausula suum erga Societatem amorem testatum reliquit:* Auos suos (*inquit*) inclytos Cæsares Societatem Iesv in Germaniam vocasse, & per eam Deo auxiliante fidem Catholicam inter Hæreticorum mille pessimas artes conseruatam. *Ita apud Paul. Leonard. Apolog. pro scient. Media. Par. 2. num. 82. Grandis sane Margaritæ erga Societatem amor, & vere supra mortem fortis, qui nec ipsa morte extinctus est.* *Quam impensè commendabat.* *Vt conseruatricem in Germania Catholicæ Religionis.*

4. * A Philippo IV. *Rege verè Catholico Magnique cognomento verè insignito: qui vnus inuentus est vera Patris effigies, Matris aureæ Margaritæ partus aureus, Aui perennitas, Caroli Cæsaris noua vita. Is adeo in Societatem liberalis, vt cum eam ingentis gazæ hæredem institutam contra Regni Lusitani legem videret, in tali lege dispensauit, in Societatis fauorem,* Ob fructum (*sic Princeps aiebat prientissimus*) ab illa, Xaucrioque suo in Indis Orientalibus factum. *Sic Tom. 1. viror. Illust. Soc. in vita P. Marcel. cap. 10. fol. mihi 253.* *Philippi IV erga illam eximius fauor.* *Qui pro Eâ in lege dispensat.*

Ab Eodem: *Qui Matriti nouissime in Imperiali nostro Collegio Academiam Societati erexit, futuram posteris documentum, & voluntatis regiæ erga nos, & munificentiæ, vel in tanta potentia admirandæ. Nec sane magnificentius aliquid neque præclarius nobis accidere* *Academiam Imperialem Matriti erigit.*

cidere potuit, quàm in licæo illo augustissimo disciplinæ tutorem, ac Mæcenatem habere eum, qui imperij magnitudinem solis ortu atque occasu metitur. Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. cap. 3. fol. 338. & fol. 440.

Defendit in Missione Castrensi.

AB EODEM: *Qui cum à Marchione Spinola supremo militiæ Imperatore literas accepisset pro seruanda Missione Castrensi ab aliquibus oppugnata, ex ijsque didicisset quanto suæ Maiestatis honore, quanta Ducum, militumque gratia, & animorum vtilitate adhuc in Castris versata esset Societas, quantis se confecisset laboribus, ac periculis sola salutis alienæ causa: hæc, inquam, postquam Rex Catholicus indubitata Marchionis testificatione comperta habuit, indicto importunis monitoribus silentio, perpetuam Missionem esse voluit, deditque castrorum censoribus præfectisque ærarij sui mandata,* Ne quid in posterum aduersus Patres, quorum operam probatissimam haberet, querelarum admitterent; sed promptiores etiam ex hinc essent, in annumeranda eleemosyna sustentandis illis, quos nihilo sane minus, quàm milites in bello vtiles, ac necessarios censeret, quorumque laboribus, & meritis certius, quàm militum armis, veniret spectanda victoria. *Sic Ibid. lib. 6. fol. 810.*

Et anteponit militum armis.

Commendat Proregi Peruano.

* AB EODEM: *Qui ad Proregis Peruani Principis Schilachensis literas, literis sic respondit.* Scribis (*inquit*) propter bona facta, & res bene gestas Religiosorum Societatis IESV operæ pretium esse, vt Indorum curiones instituantur, expediret equidem huiusmodi Prouincias illis delegari plurimas. Quia verò in meo Indiarum Concilio rebus Indicis satis consulitur, quod tibi respondeam nihil occurrit aliud, quàm quod velim te semper magnopere gratum erga huiusmodi Ordinis capita, beneuolum, facilemque te præbeas, vt par est, & eorum honestissima spectatæ vitæ ratio, tanto animorum bono postulat. *Hæc Tom. Schedul. pag. 113. apud Polit. Indian. Doct. Solorzan. lib. 4. cap. 16. fol. mihi 643.*

* AB EODEM, *In Schedula data Matriti 15. Iun. ann. 1654. quâ Regij Patronatus forma à religiosis quibusuis Ordinibus seruanda*

da

da proponitur, in qua dum de Societate agitur, subdit in hæc verba. Meæ voluntatis est, & imperij, vt in possessione, ac administratione pagorum Indicæ plebis, quos Reductiones vocare assolent, perseuerent, cum indubium sit ex tanto Ordine id in opere sperandum, quod ad animarum præsidium & Catholicæ fidei incrementum sancto adeò Instituto suo Magisterio, ac doctrina respondeat. *Hæc Rex verè Catholicus.*

Ac conseruari iubet in Indorum Administratione.

Ad animarũ præsidiũ & Catholicæ fidei incrementũ.

Ab Eodem: *Qui tanti in vno Xauerio Societatem facit, vt aliquando dicere auditus sit, non sine audientium admiratione,* Eius Coronam plura Regna vni Xauerio, quàm suis armis debere. *Excessus iste amoris est in tam Catholico Rege erga Xauerium, & Societatem ex tanto filio mirificè commendatam. Sic refertur hoc tam celebre dictum, Societati adeo perhonorificum apud lic. D. Mathiam de Peralta Calderon in Epitome Indiar. Apostoli Xauerij, epist. Dedicat. ad Marchionissam de Cadareita fol. mihi 2.*

Vni Societati in Xauerio plura Regna debet Hispania, quam suis armis.

4. * A Marianâ *Austriacâ Magni Philippi coniuge meritissima, Hispaniarum Regina, ac Gubernatrice, postulante (per Regium suum Decretum ad Rectorem Vniuersitatis Complutensis expeditum) duas ibi Cathedras assignandas Societati, alteram Theologiæ Primariam, vespertinam alteram.* Ob venerationem (*inquit magna Regina*) quam Rex Dominus meus, glorioſique sui Progenitores in hisce Hispaniæ Regnis, meique in Germania Societatem semper habuêre: quorum vestigijs æquali ego deuotione insisto: & insuper ob id quod hæc Corona Societatis doctrinæ debet: ob fructumque, quem suo Magisterio in toto Christiano orbe produxit: & ob æstimationem, quam vbi illa stabilita est, attentione sua, virtute, prudentia, modestia, eruditione, & generali satisfactione, qua eius Religiosi procedunt, sibi promeruit: attendens insuper ad maiorem Dei gloriam, fidei exaltationem, ac propagationem, ad vtilitatemque boni communis, hunc scopum propter applicationem, ac solida fundamenta, quibus Societas Theologiam discutit, maximè conducere, & ad ipsius vniuersitatis conuenientiam propriam: auctis quippe Cathedris, crescet Scholasti-

Mariana Hispaniæ Regina duas Theologiæ Cathedras in Vniuersitate Complutensi Societati decernit.

Quam verbis ingentibus commendat.

lasticorum numerus, & opinio, & studiorum æmulatio illam faciet celebriorem. Propter hæc, & alia motiua singularis mei affectus volui hoc meum magnum desiderium vobis proponere, certa de vestris attentionibus mihi complacendi, non irritum euasurum. Nec solum prompti eritis in admittenda hac fundatione, quam tam anxiè expeto, verum media quæretis opportuniora ad faciliorem eius executionem: securosque tam in vno, quàm in altero vos esse velim, gratius seruitium, & præcipuæ æstimationis mihi facturos. Dat. Matriti 25. Iul. 1667. *Hactenus inter alia Decretum. Et tantis Reginæ votis annuit Vniuersitas.*

Et duas alias in Salmanticensi procurat.

* AB EADEM: *Altero Decreto non minus perhonorifico ab Vniuersitate Salmanticensi duas alias similes Cathedras eidem Societati, procurante*: Ob maius incrementum (*Reginæ verba sunt*) auctoritatem, ac famam ipsius Vniuersitatis: & rursus ob maiorem æstimationem, & ornatum Religionis Societatis, quæ tam dignè recepta benè est, ac celebris in toto Orbe, ob literarum excellentiam, virtutem, prudentiam, modestiam, obedientiam, eruditionem, religiosumque procedendi modum: & quæ tot titulis, ac meritis, meum amorem, ac Venerationem promerita est, ad exemplum illius, quam de ea glorioſi mei Progenitores habuêre: & speciatim quia in harum Cathedrarum fundatione gratificare cupio Ioannem Euerardum Nithardum meum Confessarium, in mei, & filij Regis, & totius Regni seruitio anhelantem, &c. *Matriti* 10. *Ianuar.* 1668. *Ita inter alia Regina Gubernatrix in dicto Decreto ad Rectorem dictæ Vniuersitatis Salmantinæ: quæ Reginæ votis acquieuit libentissimè in maximam Societatis commendationem.*

Iterum Societatem commendat & Confessarium Euerardum laudat.

CLAS-

A REGIBVS GALLIARVM.

5. AB HENRICO II. SOCIETATIS *adeò perstudioso, vt pulsa ipsa toto Regno foret, si eius in aures, animumque malè uolorum penetrare sermones, & ficta crimina potuissent, imo Rex ipse profitebatur*, sibi, & Cardinali Lotharingio pene solis SOCIETATIS patrocinium relictum idque nunquam desserturos. *Ita Par.1. Hist. Soc. lib.15. num.40. Et in Cœtu Procerum è præcipuo flore Galliæ* IESVITARVM *orta mentione, (iam enim hoc nomen increbescebat) interrogauit Henricus idem, singulos de nouo illo hominum genere quid sentirent; ac cæteris vel doctrinæ famam, vel vitæ innocentiam, vel studium propagandæ Religionis, vel alia huius generis cum laude memorantibus; cum vnus quoque inuentus esset, qui egregios virtutis simulatores, & hypocritas videri, respondaret, graui Rex vultu*, Fabor & ipse quid sentiam, Næ isti, meam fidem, viri egregij, probique sunt: vitam Apostolicam viuunt, ac fructus quemadmodum rectè compertum habeo, ferunt præclaros toto Orbe terrarum. *Sic Par.2. Hist. Soc. lib.3. num.66.*

Patrocinata Societas.

Eius filij vitam Apostolicam viuunt, & fructus præclaros vbique ferunt.

6. A FRANCISCO II. *Adolescente Optimo, & sinceri sacrorum cultus perstudioso, qui Henrico Patri etiam in* SOCIETATIS *amore successerat, vnas, alteras, ac tertias litteras impetrarat, quibus Rex abs se admitti in Gallias* SOCIETATEM *contestans, Senatui Parisiensi mandabat*, vt eam ipse quoque suo rite Concilio amplecteretur. *Omnibus hisce litteris obstitit Senatus. Hoc vbi Rex Christianissimus vidit, totiesque sua repelli iussa, quartas litteras adiecit, quibus & decretum Sorbonicum, & quæcumque obiecta fuerant, refellens*, Rem testans à se diligenter perspectam, & cognitam, vt sine cunctatione obsequantur, *imperat: Regiumque suum Procuratorem Parisijs vrgere negotium iubet, & omnino*

Quanto studio à Rege curatum vt in Gallias susciperetur.

conficere. Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 4. num. 86. Quo non confecto (additur num. 90.) & quintum omniumque acerrimum senatui mandatum edidit. Quidquid olim nuperue à quouis contra obiectum esset, SOCIETATEM in Regnum acciperet, vti liberè in Gallijs, quemadmodum in cæteris Orbis Christiani Regnis publicæ saluti seruiret. *Exitum rei immatura sanè intempestaque mors Regis* SOCIETATIS *propugnatoris acerrimi æque ac amatoris abrupit.*

Caroli benignitas in Societatem.

7. A CAROLO IX. *Qui Lugdunum ad res eius Vrbis statuendas veniens, vbi salutatus ab Edmundo Augerio nostro, non dubitauit Rex Christianissimus de susceptis pro Religione laboribus agere gratias, & ad nouos incitans, Patris (qui Tuba Franciæ dicebatur) ruere in amplexum: nec solum publico Regni, sed etiam propriæ* SOCIETATIS *bono consulturum se perbenigne recepit. Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 8. num. 80. Nec dubitauit asserere Rex tantus,* se vnicum IESVITARVM Collegium pluris facere, & pro Religionis, & pro Regni amplificatione, quam Omnium munitissimam totius mundi arcem: seque IESVITAS, & pro subditis fidelissimis agnoscere huiusque SOCIETATIS incrementum ad gloriam quoque, & Maiestatem Regni, & populi Gallicani pertinere. *Sic in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 10. fol. 668. ex Montan. in Apolog. pro Soc. cap. 54. Sed proh dolor! Pridie Kalendas Iunij ann. 1574. magno omnium bonorum dolore, & rei Christianæ publicæ incommodo talis ac tantus Princeps cessit è vita; cum ad cætera in* SOCIETATEM *merita, nuper ei potestatem fecisset,* sua quæuis obeundi ministeria, Domosque etiam Professas toto Regni statuendi. *Ita Par. 4. Hist. Soc. lib. 2. num. 63.*

Eius Collegium munitißimæ arci pro Religionis amplificatione præponebat.

Societas Musarum Lucium.

8. AB HENRICO IV. *quem publicè ferunt coram Regni Proceribus id affirmasse,* SOCIETATE è Gallijs discedente, Musas quoque illinc abijsse, cum reuertente esse reuersuras. *Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. cap. 4. fol. 345. Et datis ad Rupellanos 15. Kalend. Octob. anni 1606. litteris verè Regijs ita pro Socijs Rex ille cognomento Magnus scribit.* Experti (*inquit*) pluribus in Vrbi-

bus

bus Regni nostri probitatem, capacitatem, atque modestiam Patrum SOCIETATIS IESV, qui in omni consuetudine, moribus atque doctrina sat liquido ostendunt, nihil se nisi vnam Dei gloriam habere præ oculis. *Sic Ibid. lib. 5. cap. 10. fol. 668.* *Et ibidem addit*, Nouem ipsos annos, quibus de reducenda in Gallias SOCIETATE deliberatum est, diligenter se inquisiuisse, num quid in ea, vel SOCIETATE culpabile reperiret, seque nihil in illa non integrum reperire potuisse, *non semel professus est.*

Eius scopus Dei gloria.

Nil in ea non integrum.

AB EODEM: *Qui si quem videbat, audiebatue de Nostrorum fama detrahentem, cohortabatur:* Noris illos (*inquiebat*) eos cognitos non poteris non amare: nam simul atque te in eorum consuetudinem immiseris, & has peruersas opiniones erues, & odium in studium amoremque conuertes. *Ita in Annal. Soc. ann. 1604. fol. 434. Et sæpius asserebat:* Amo SOCIETATEM *vestram. Et aliàs:* Perieramus Pater (*Rectorem alloquebatur*) perieramus. Hæretici iam omnes essemus, exularet à terris meis vera fides, nisi vos obstitissetis. *In Annal Soc. ann. 1608. fol. 237.* *Et aduersus quasdam ementitas in nos Hæreticorum calumnias aliquando respondit:* IESVITAS sibi melius notos, perspectosque, ac longe alios, quam ipsi aut imprudenter iudicarent, aut inuidiosè criminarentur. *Ita in Annal. Soc. ann. 1609. fol. 155.* *Et cum Idem Rex videret alios Hæreticos nostrum Ordinem calumniantes, quod* IESV *nomen præferret, idque arrogantiæ adscriberent, eorum confutauit ineptias, addiditque*, sanè mallem dici IESVITA, quàm alio Nomine Religiosus. *Sic apud P. Magallan. lib. Iudic. cap. 3. v. 9. sect. 1. annot. 9.* *Et rursus aiebat;* Ingentes Indiarum tractus, totque Hæreticorum regiones ad Catholicam fidem, per socios adhæsisse. *Qui summè collætatus fuit, cum solis Patribus* SOCIETATIS *in sua Gallia sexaginta sex millium (demptis alijs, quorum præ multitudine numerus ignoratur) ad fidem* Romanam *à Caluinismo paucis annis traductorum nomina & cognomina accepisset. Ita apud Paul. Leonard. Apolog. pro scient. Med. Par. 2. num. 82.* *Et aliquando cum amicis de Religiosis Fami-*

Cognita nequit non amari.

Obstitit ne vera fides à Gallijs exularet.

De Ea Henrici Regis celebre testimonium.

Infidelium, & hæreticorum miriades ad fidem Cathol. reducit.

Aliud eiusdem Henrici testimonium.

lijs disputans, se quidem si animarum saluti operam dare vellet, Societatem; si contemplationi se addicere, Carthusianorum Familiam secuturum fuisse, *dicebat. Sic apud P. Rho de var. Hist. lib. 1. cap. 3. num. 1. de Ign. fol. 44. Nec silentio inuoluenda celebris illa eiusdem Regis Christianissimi vox*: Neminem cui SOCIETATIS res perspecta est, de ea perperam aut loqui, aut sentire posse. *Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 4. cap. 14. orat. 4. fol. 558.*

Qui pro Societate ad Gallias restituenda in Senatu perorat.

AB EODEM *In Senatu Parisiensi pro* SOCIETATE *acriter perorante. Is cum Reginâ, & magna Procerum Coronâ in Senatum venit pridie Natalitiorum ann.* 1603. *Hic Harlæus primarius Præses bene longam & vehementem in nos Orationem habuit. Epitome erat conuitiorum omnium, criminumque quæ Paschasius aliquando, atque Arnaldus in nos declamauerant. Grauiter, vehementerque vrgebat, vt Senatus consultum quo toto Regno exulare iussa erat* SOCIETAS, *Rex adhuc ratum habere vellet, neque de restituendis tam noxijs hominibus vllam admittere cogitationem. Id obnixè rogare Senatores, adductos solo eius vitæ atque incolumitatis amore. Verum Rex Christianissimus sublatis primum in cælum oculis, ac sereno vultu quasi causæ nostræ patronum ageret, neruosam contra, iudicioque plenam Orationem exorsus est. Nulla profectò vnquam instituta actio nomini nostro honorifica magis, nulla theatro celebriori, nulla maiore Patrono: Eam, vt apud Petrum Matthæum, & Scipionem Duplex reperit, refert Imago 1. sæc. Soc. lib. 4. cap. 7. fol. 508. Eam ego, vt apud Becanum Tom. 3. opuscul. quæst. Batauic. num. 13. quia fusiori calamo descriptam inuenio, referam. Igitur actis primùm gratijs amplissimo Ordini de eâ quam præ se ferebat curâ, ac solicitudine de Regis Regnique incolumitate, cum esset acri vir ingenio, & perspicacissima mente Henricus, dixit.*

Et ad rationes contra eam adductas egregie respondet.

Ad 2.

Quod viris è SOCIETATE IESV Poissiacum obiicitis Conuentum, vtinam reliqui ita sese in eo gessissent, atque vnus duoue ex ijs qui peroppertunè eidem interfuerunt; sanè res multo melius Catholicis cessissent. Quamobrem & tunc non

eorum

eorum ambitio, sed virtus enituit. Et sanè obstupesco, dum dispicio, vnde nam illis vitium ambitionis affingitis? ijs, inquam, qui dignitates, atque Sacerdotia quæcumque ipsis offeruntur, respuunt: quique vouent se ad eadem nunquam aspiraturos, nec verò aliud in hoc mundo cupiunt, quam omnibus suam gratis præstare operam, qui eâ velint vti.

At displicet hoc Nomen IESVITARVM. Cur igitur non displiceant qui se Religiosos Trinitatis nominant? Quod si istos eiusdem esse probitatis, quales sunt IESVITÆ arbitramini; cur item filias vestras, eodem nomine, & virtute non æstimatis, quali Parisijs extant quæ Filiæ Dei nominantur? Quin etiam cur vos non iactatis non minus esse Ordinis Spiritus Sancti, quàm sunt ijdem qui Ordinis sancti Spiritus sunt Equites mei? sanè mallem dici IESVITA, quàm alio nomine Religiosus. Ad 2.

Sed additis: Sorbona eos damnauit. Sanè quidem: sed eos non nouerat: qui si ab antiqua Sorbona passi sunt repulsam, iam re melius perspecta, qui sunt nouæ Sorbonæ ab ijsdem IESVITIS excoluntur, quos & ideo magnopere commendant. Ad 3.

Quod autem hactenus permissu, & vt dicitis, per modum prouisionis in Gallia vixisse, hanc mihi gloriam Deus reseruabat (quam quidem vt gratiam cælestem agnosco) nempe vt eos statuam, atque omnino stabiliam. Itaque posthac edicto, & decreto apud nos erunt. Reges mei prædecessores voluerunt eos admittere. Volo ego eosdem statuere. Ad 4.

De Academia Parisiensi, quæ ijs fuerit aduersata; id inde accidit, quod alijs diligentiores fuêre, atque aptiores (testabatur hoc frequentia studentium, quæ ad illorum Collegium confluebat) quodque in ea nondum erant admissi. At nunc eos non respuit: iubebo enim vt admittantur, quod cogemini à me petere, vt efficiant. Ad 5.

Obiicitis: Doctores qui sunt in vestro Senatu nihil didicisse à IESVITIS. Sic Doctores sunt seniores, id ipsum fateor: ij Ad 6.

enim antequam IESVITÆ Gallis innoteſcerent, diſciplinis alibi operam dederunt. Sed enim non me latet alios ſecus de ijs loqui, eoſque adeò qui veſtri ſunt Ordinis. Et verò ipſis oculis cernimus eorum abſentia, relictam eſſe deſertam Academiam veſtram, ad eoſque etiam extra Regnum noſtrum accurrere, decreta nihil curantes, & pœnas quas aduerſus eiuſmodi homines promulgaſtis.

Ad 7. Quod fœderatis adhæſerint, id temporum iniuriæ, non autem ipſis eſt adſcribendum. Certè minore culpa, quàm alij id fecêre: ac certus ſum eamdem illorum conſtantiam, cum ijs beneficijs iunctam, quæ erga illos conferam, mihi magis, quàm fœderatis, eos eſſe deuincturam.

Ad 8. Bonæ indolis adoleſcentes (dicis) ad ſe alliciunt. Ego verò eò magis hoc nomine iſtos æſtimo. Nonne nos fortiorem militum delectum habemus. Quod ſi ſtudijs, & commendationibus inter vos locus non eſſet, an ne aliquem veſtro cœtu indignum cooptaretis in Senatum? Si IESVITÆ ſuos vobis præceptores aut concionatores traderent Ignaros, eos ſine dubio irrideretis: at cum ingenio valeant eos arguitis? quod ſint ad res attentiores calumnia eſt? in vniuerſo Regno quantacumque Collegia obtinuerant, redditus annui eorum omnium non excedebant duodecim, ſiue quindecim aureorum millia.

Ad 9. Voto autem Obedientiæ, quo ſe Pontifici Maximo obſtringunt, non adigentur, vt externis propius adhæreant, quàm fiet fidelitatis iuramento, quod mihi præſtabunt. Quare nec aliquid quod ſuo Principi naturali aduerſetur attentabunt. Porro votum illud Pontificium, eò tantum ſpectat, cum eorum opera is qui Pater eſt Eccleſiæ, & Pontifex Max. vti velit ad conuertendos infideles: ac planè liquet ingentes Indiarum tractus, totque Hæreticorum regiones ad Catholicam fidem per eoſdem acceſſiſſe, idque eſt, quod ſæpè dixi, ſi Hiſpania ſuis IESVITIS vſa eſt, cur Gallia Gallis IESVITIS non vtetur! an alijs deteriores ſumus? Hiſpania ne Gallis eſt ama-

amabilior? Quod si Hispania suis est amabilis, cur Gallia non erit Gallis?

Additis: IESVITÆ ingrediuntur vt possunt. Ita verò & alij faciunt. Quin & ipse vt potui in meum Regnum ingressus sum. Sed & credere, & fateri debemus magnam eorum esse patientiam, quam certè admiror. Hac enim & ipsa vitæ probitate perficiunt omnia. Ad 10.

Neque vero eos minoris æstimo, quod suum egregiè colant Institutum. Propterea enim stabit illorum SOCIETAS, quæ causa fuit, cur nulla in re leges eorum immutauerim. Quod si nonnullarum conditionem imminui, quæ non probarentur externis, satius est, vt exteri leges à nobis accipiant, quàm vt ab ijs accipiamus. Ac quidquid huius rei sit, mei mecum subditi iam conueniunt. Ad 11.

Quod nonnulli Ecclesiastici IESVITIS aduersantur; scientiam semper odio habuit imperitia. Obseruaui autem cum de ijs restituendis loqui cœpi, duo inprimis genera hominum restitisse, Hæreticos, & improbos Ecclesiasticos. Quod quidem acriorem mihi stimulum ad eos reuocandos addidit. Ad 12.

Quod de Pontifice Maximo optimè sentiant, eumque reuereantur, id quoque ipse facio. Hoc tamen non sum nescius nihil ab ijs amplius de summi Pontificis potestate dici, doceriue quàm reliqui Theologi, Catholicaque doceat Ecclesia. Ad 13.

Neque verò aliquid docent, quod Ecclesiastici mihi non tribuant, quod est tribuendum. Nec vnquam inuentus est qui ab ijs necem Regum didicerit. Quare totum hoc quod illis obiicitur, nihil est. Triginta & amplius anni effluxere, cum in Gallia iuuentutem excolunt, centumque Scholasticorum millia ex eorum Collegijs aut studia absoluerunt, aut ad ea quæ Iurisprudentiæ, siue Medicinæ sunt accesserunt. An ne istorum aliquis id se didicisse, vel audiuisse à IESVITIS fassus est? Addo. Ministri extant Hæreticorum, qui plures Ad 14.

annos

annos apud IESVITAS vixerunt: interrogate eos, quid de vita IESVITARVM sentiant. Profecto censendum est eos quàm pessimè de ijs locuturos, nisi aliam ob causam certè vt suam de ijs emigrationem excusent. Iam vero mihi liquido constat id fuisse ab ijs quæsitum; respondisse autem, de moribus IESVITARVM nihil esse quod obloqui quisquam possit. Quod verò ad doctrinam attinet, neminem latere quid doceant. Sane pauci huic examini se subiicerent, & conscientiam eius opus est esse securam, qui aduersariæ sententiæ stare velit.

Ad 15. De Barerio qui me voluit interficere tantum abest, vt IESVITA eius confessionem (quemadmodum dicitis) exceperit, vt à IESVITA præmonitus de tota re fuerim: Bareriumque alter IESVITA monuerit, damnationem æternam incursurum, si id vnquam attentasset.

Ad 18. De Castello nihil vnquam cruciatibus, & tormentis extorqueri potuit aduersus Baradæum, neque contra alium quemlibet IESVITAM: quod nisi ita res habet, cur eis pepercistis, nec supplicium de ijs sumpsistis, qui & in vestra potestate, & adeo erant in vinculis.

Sed demus (non tamen concedentes) aliquem ipsorum id ausum fuisse, an ne omnes Apostoli ob vnum Iudam plectendi fuerint? aut ego satisfaciam pro latrocinijs, criminibusque omnibus, quæ posthac commiserint qui sub me militarunt? Tunc me Deus reddere & humilem, & saluum voluit, quare ei gratias ago. Ipse me docet, vt illatas condonem iniurias quod propter eum facio lubens. Quin & quotidie pro meis hostibus oro; tantum abest, vt hæc meminisse velim, ad quæ parum Christianè me hortamini. Quod quidem mihi accidit à vobis inactum. Omnes egemus gratia Dei: hanc eam bono emam pretio, vt meæ erga alios gratiæ non parcam.

Ad 19. De Sororis nostræ Matrimonij dispensatione iam eius sanctitas eam concessit: ac scimus Patres IESVITAS negotio isti non

non fuisse aduersatos. Quod si Hispanus, & IESVITA, & Cardinalis operam mihi suam præstitit, qua benedictionem à nostro sancto Patre summo Pontifice consequerer, cum fidem Catholicam sum amplexus, cur meos naturales subditos in suspicionem vocatis? ex eis noscam quæ noscenda iudicauero, neque illis aliud quàm quod mihi libuerit communicabo. Sinite, vt tractem, & ducam ipse hanc SOCIETATEM: difficiliores, & minus aptos ad mentem adduxi: Itaque meæ voluntati obtemperate.

Hæc cum dixisset Rex Christianissimus forti, militarique eloquentia omnium stupor, atque admiratio fuit; non tantum quod capita omnia ab Harlæo allata tam recenseret, refelleretque accurate, verum multo magis, quod ita palam ostenderet, quanta beneuolentia complecteretur hanc Familiam tot vbique odijs exagitatam. Oratio Regis beneuolorum omnium plausu excepta, frendente licet aduersariorum inuidia: qui beneficium Regis irritum reddere conabantur. Id vbi audit Henricus, ad se vocatos stomachosè increpuit; atque illico ad tribunal pergere, neque inde priusquàm confecto negotio exire compulit; addito in scriptis decretorio mandato, Vt sine mora, & sine apposita vlla conditione, Decreti sui promulgatio, quàm primum fieret: expensa, examinataque à se omnia; mandare, iubere, vt Societas suis in Gallia sedibus restituatur publica Senatus auctoritate. *Et ita factum, & factum bene. Tam expressæ Regis voluntati nihil amplius refragari sunt ausi. Hisce literis* 11. *Ianuarij,* 1604 *expeditis, omnia ad reditum parari cœpta. Mox & deiecta Pyramis, infame monumentum. Ita refertur in Imag.* 1. *sæc. Soc. lib.* 4. *cap.* 7. *fol.* 510. *Restituta igitur Societas suis sedibus ab Henrico IV. post duram hiemem vberius germinare cepit, & velut in fœcundiori post otium, & cessationem nouali lætiores segetes proferre. Fouit reductam Rex ea benignitate, quâ reuocauerat: cuius quidem beneficij memoria non nisi cum Societate occidet. Sed parum illi fuit, si sua apud nos memoria extaret, suum illud magnanimum, & , quale fuit Alexandri pectore, maius mundo COR, in Flexiani Collegij Templo tumulari iussit: vt, quantum Societatem*

Et tandem Henrici decreto restituta Societas.

Et diruta Pyramis in eius infamiam erecta.

Et Rex cor suum in amoris pignus Societati testamento legauit.

Cordi haberet, etiam post mortem testaretur. Sic Ibid. lib. 2. cap. 4. fol. 212.

Patris sui decretum de restituenda Societate Ludouicus Rex confirmat.

9. A LVDOVICO XIII. *In Decreto pro Societate peregregio:* Cum Henricus (*inquit*) magnus Dominus, & Pater noster, in obsequij sui bonum, subditorumque suorum commodum, vtile ac valde necessarium iudicasset, IESVITAS in Regnum suum introducere, ac statuere, habito cum Principibus consanguineis nostris, præcipuisque Regni Ministris maturo consilio, ex ipsorum iudicio, ac suo motu proprio, certa scientia, plena potestate, & auctoritate regia, eisdem IESVITIS edicto lato, mense Septemb. ann. 1603. facultatem concessit redeundi, & habitandi in locis, ac partibus præfato Edicto contentis, alijsque postmodum literis suis concedendis. Quo Edicto in Regio nostro Parlamento Parisiensi regiſtrato 2. Ianuar. ann. 1604. præfatus Dominus, & Pater noster eisdem IESVITIS plurimas Regni huius Ciuitates inhabitandi potestatem fecit: quod quidem summa cum subditorum nostrorum voluptate factum, & executioni mandatum est, qui in educatione filiorum suorum ad pietatem iuncto bonarum literarum studio, quidquid optare potuissent, assecuti sunt, vt in ipsorum manus proprium COR deponere statuerit. Quod quidem post eius obitum ipsis traditum, & in Flexianum Templum delatum fuit. Ideo ne quis voluntatem nostram in dubium reuocare possit, ex certa scientia nostra, plena potestate, proprio motu, & auctoritate Regia ob easdem rationes, quæ prædictum Dominum & Patrem nostrum permouerunt, quæque adhuc perseuerant, præsentibus manu nostra subscriptis, & iudicio dilectissimæ & honoratissimæ Reginæ regentis Matris nostræ, consanguineorum nostrorum & prȩcipuorum Regni nostri Ministrorum laudauimus, confirmauimus, & rationem habuimus, laudamus, confirmamus, & rationem habemus, præfatorum Iesuitarum in hoc Regnum nostrum, partes, terras, ac dominia nobis subdita admissionem. Ac quantum opus est, aut foret denuo concessimus

simus, ac permisimus, concedimus, ac permittimus ipsis posse ac inhabitare, in quibus admissi sunt, aut in posterum admittentur, obseruando ea, quæ in præhabito mense Septembri Edicto ann. 1603. continentur; alijsque literis, ac ordinationibus à præfato Domino, ac Patre nostro factis, quibus placet nobis, ac volumus eos vti, ac modo vtuntur, & gaudent. Præcipimus Consiliarijs nostris in Curia Parlamenti Seneschalchis, ceterisque iustitiæ Administris, quorum opera requiretur, quatenus has literas nostras, ac IESVITAS integrè, pacificè, ac perpetuò vti, & gaudere curent, *&c. Hæc Rex Christianissimus, qui etiam in Societatis amore Patri successit: apud Becan. Tom. 4. Opusc. in examine Concord. Anglican. n. 19. titul. de Henrico IV.*

* AB EODEM *Literis ad Greg. XV. pro Canonizatione S.P.N. Ignatij, datis Parisijs 24. Febr. ann. 1621.* Nulla (*inquit*) ex omnibus gratijs, & fauoribus, quos à sancta Sede possum obtinere, tantam mihi dabit voluptatem, ac hæc sola, ob primâ educationem tam in rebus fidei Catholicæ, quàm in bonis moribus à Patribus Societatis emanatam. Illi huc vsque magno bono, profectuque meo magis intima meæ conscientiæ secreta gubernarunt. Ad hanc Canonizationem petendam moueor, quia spero firmiter B. Ignatij interessionem protectioni mihi futuram, & iuuamini potentissimo ad eas res exequendas, ad quas à Deo missus in mundum, & in quibus Religio, quam fundauit, publica vtilitate laborat, æquè destruere, ac de medio tollere hæreses, ac Religionem Catholicam amplificare, *&c. Ita apud P. Andr. Luc. Vit. S. Ign. lib. 7. cap. 17.*

Expetit à Pontifice B. Ignatij Canonizationem.

Et Societatem hæresum destructricem, & fidei Cathol. amplificatricem appellat.

AB EODEM: *Qui hanc inscriptionem Societati perhonorificam, internique sui amoris indicem in Monte Martyrum iussit insculpi.* D. O. M. Siste spectator, atque in hoc Martyrum sepulchro probati Ordinis cunas lege, Societas IESV, quæ S. Ignatium Loyolam Patrem agnoscit, Lutetiam Matrem, anno salutis 1534. Augusti 15. Hic nata est: cum Ignatius, & Socij votis

Cui perhonorificam in Monte Martyrum inscriptionem ponit:

sub Sacram Synaxim religiosi conceptis, se Deo in perpetuum consecrarunt ad maiorem Dei Gloriam. *Sic refertur apud P. Daniel. Bartoli in vita, & Instit. B. Ignat. lib. 1. pag. 176.*

Et Vniuersitatem ab Hæreticis ablatam tradit Rex Christianissimus.

10. * A LVDOVICO XIV. *Paterni amoris erga Societatem æmulo, qui cum Hugonotistæ Sectarij in Ciuitate de Montaluan Vniuersitatem cum Templo struxissent, in qua publicè non modico Catholicorum Regni scandalo, hæretica doctrina docebatur; precibus Sereniſſimæ Reginæ D. Mariæ Teresiæ Austriacæ vxoris suæ, & Philippi IV. Hispaniarum Regis Catholici digniſſimæ Sobolis, ciuitatis Prætorem Hæreticos ex vniuersitate, quam occupabant, expellere præcepit, eamque Societatis curæ tradere, vt ibi Deo debitus cultus redderetur, Sanctorum imagines colerentur, & artium, ac Theologiæ studia in Sectariorum perniciem Catholicis traderentur: Sed cum multi Hæretici vrbem illam incolerent huic decreto reſtitêre. Christianiſſimus tamen Rex collecto exercitu eos armis subegit, maioriſque noxæ reos plecti, & relatam Vniuersitatem Societati nostræ tradi iuſſit. Ita in Relat. edit. Hiſpal. ann. 1662. Quod amoris in Societatem signum ab vtroque coniuge Christianiſſimo sui Regni initijs editum, maiora beneuolentiæ pignora nos iubet in dies sperare.*

A REGIBVS LVSITANIÆ.

Regis Lusitani in Societatem studium.

11. A IOANNE III. *Qui mirificè erga nouum hunc Ordinem afficiebatur: Collegiorumque in instituenda iuuentute Consilium probabat quàm maximè: idemque ingens aliquod eiusmodi Collegium recipiendis* SOCIETATIS *alumnis, quod Euangelicorum non in Lusitania modò, verum etiam in India totâ Seminarium foret, moliebatur, diserte Petro Mascareniæ professus,* Se quidem vniuersos de SOCIETATE in suo Regno quacumque impensâ libenter habiturum. *Quæ quo propensius fierent, ad litteras Apo-*

Quam se totam suis expensis sustentaturũ aiebat.

stolicas

stolicas, quibus SOCIETAS *confirmaretur primo quoque tempore conficiendas, non suam modo, verum etiam Imperatoris, Regisque Galliarum operam, studiumque detulit. Ita Par. 1. Hist. Soc. lib. 2. num. 106.*

AB EODEM: *Cuius tanta in* SOCIETATEM, *ac socios Paterna voluntas, vt Patrem Simonem Rodericium ægrotantem, non alienum duxerit à Maiestate sua, vna cum Principe Filio, Episcopisque nonnullis inuisere. Nec ita mox Eboræ cum per æstiuas gymnasij ferias, illac quidam è Conimbricensis Collegij socijs ad ædem B. Mariæ ad aquas lupias* SOCIETATIS *more peregrinarentur, Rex eo, quo incedebant habitu ad sese clementer admisit,* & ad constantiam susceptæ mentis, peramicis & tempestiuis monitis excitauit; siqueillac præterea iter peregrinantes haberent, *iussit*, ad se omnes adduci; *eorum conspectu quasi Pater indulgentissimus gaudens. Sic Ibidem lib. 4 n. 136.*

Et in filio Rodericio, ac alijs honorat.

AB EODEM; *Qui Concilio Tridentino* SOCIETATEM *nostram cum studiosissimè commendasset, graui oratione testatus est,* Quàm illa, non in Lusitania modo, sed in ipsis etiam Indiæ regionibus, pro Dei gloria & animorum commodis desudaret. *Addidit & id* SOCIETATI *oneris seu honoris Rex,* vt Simon loco Ioannis Suarij, Conimbricensi Ecclesiæ Præpositi, institutionem susciperet Principis, rogato B. Ignatio, vt ad id muneris permanere eum in Lusitania sineret. *Sed neque pietati eximiæ Regis, neque ingentibus erga* SOCIETATEM *meritis, quod postulabat, potuit denegari. Ita Ibidem lib. 5. num. 57.*

Illa pro Dei gloria, & animarum commodis desudat.

At Rodericius instituendo Principi præficitur.

AB EODEM: *Qui in regio Concilio, Senatuque decreuit, suffragante etiam Ludouico Regis fratre, & verbis amplissimis eamdem* SOCIETATEM *ornante*, toto vt Oriente, vbicumque ea Collegium haberet, habituraue esset aliquando, præsto ei forent ad omnem nutum in propaganda Christi fide, Neophitisque iuuandis non modo Ecclesiæ vniuersæ, verum etiam Regij omnes Præfecti, ac Magistratus suppeditandis opportunitatibus omnibus, necessarijsque subsidijs. *Tantumque*

Societas Regijs Magistratibus commendata.

Prætoribus: *Patribus pro sua pietate Rex tribuit, cunctis vt Prætoribus æque præsentibus, ac futuris id mandati dederit*, Vt quocumque Patres ingredi rei Christianæ causa percuperent, nullo eis loco, subsidioque deessent : vt quidquid illi, vel ad amplificandum Christi cultum, vel ad confirmandos hominum mores necessarium in præsidijs iudicarent, id ipsi de eorum sententia, atque consilio sine vlla hæsitatione præscriberent. *Commendatitias etiam litteras ad Pontificem Iulium Conimbricâ dedit, quæ dicebant*, Quantas fruges, vtilitatesque illorum Patrum genuisset aduentus, quos singulari Dei prouidentia in sua Regna prior Pontifex destinasset, seu formandis è Christiana disciplina moribus Christianorum, seu vocandis ad Christum Ethnicis, & alienis à fide. Magnam autem exinde spem amplificandæ Religionis affulsisse, seque in animum induxisse, cum in omni Lusitaniæ Regno, tum in Indicis Regionibus SOCIETATIS Collegia passim condere; & per eam opportunitatem omnes Euangelio aditus aperire, modo eius sanctitas votis, atque conatibus obsecundaret, & bonis aspiraret initijs. Proinde Simonem Rodericium ab se Romam consulto mitti, vt suo nomine, quæ ad secundum Rei Christianæ cursum pertinere viderentur, exponeret: cui paternæ benignitatis aures patere faciles vellet, & quæ in eam rem postularet, large concedi. *Ita Ibid. lib. 10. num. 131. Et insuper Idem Rex pientissimus alias literas satis Societatis commendatitias ad eumdem Pont. Iul. 3. dedit Olyssipon. 30. Iun. ann. 1553. quæ Lusitano idiomate habentur in Chronic. Hist. Soc. Lusit. Par. 2. lib. 4. cap. 12. fol. 56. num. 4.*

Et Pontificis literis perhonorificis.

Lusitani Regis alacritas in aduentu Roderici, & Xauerij.

AB EODEM: *Qui benigne excepto Xauerio, & Simone Rodericio, se, suamque illis operam ad Indorum auxilium offerens in magna procerum corona*, Summopere (*inquit*) lætor Patres de vestro in Lusitaniam ad Indiæ salutem aduentu. Neque dubito quin eadem vobis haud minoris lætitiæ sit causa, quàm mihi: aperitur quippe vestræ industriæ immensa vastitas Indiæ, quæ diligenter, vt spero, & constanter exculta vberrimos fructus

pro-

promittit animorum: tanta vbique cernitur ad Christi fidem propensio. Equidem per omne Regni tempus antiquiorem religionem, quam regnum habebo: tum demum illarum me gentium Regem existimaturus, cum eas cælesti Regi parêre cognouero. Quocirca nihil mihi spero etiam Deo à vobis gratius accidere potest, quam vt mecum totis viribus in eandem incumbatis curam Orientis Christo communi Domino adiungendi. Si cum vestris dissimilibus agerem, hortarer vos, ne obstantis naturæ difficultates, exæstuantis occeani minas, infiniti pene itineris ærumnas, barbararumque gentium congressum formidaretis: ne quo aliorum cupiditas alacris aduolat, vestra pietas cunctaretur ire. Verum quid ego vestram virtutem accendere verbis coner, cum sat nouerim vos Christo, & Euangelio militantes, diuinam gloriam, salutemque hominum ex periculis accersere? nec quidquam optabilius ducere in vita, quàm pro Deo honesta morte defungi? Nihil profecto natura ita clausit, quo non valeat vera virtus perrumpere. Deo bene iuuante, non Indiam solum Euangelio aperietis, sed vltima quoque Orientis. Ibi vos aut vita meritis conspicua, aut gloriosus vitæ exitus manet. Proinde dum classis se instruit, vernum tempus expectans, vos quoque ad iter necessaria comparate. Nobis curæ erit præstare, vt neque in Lusitania, neque in India quicquam requiratis. *Hæc Rex prudentissimus apud Turselin. in vit. S. Xauer. lib. 1. cap. 10.*

Cuius curæ totius Orientis conuersionem committit.

AB EODEM: *Qui tanti Societatis homines fecit, vt perinuitos licet, & sæpe reclamantes* Apostolos *nominaret. Quod nomen adeo socijs, & Societati glorioſum ad nostra vsque tempora in Lusitania perseuerat, diuinoque fauente Numine perseuerabit in futura. Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 12. fol. 667. Et paulo ante cap. scilicet 9. fol. 657. eiusdem libri hæc de illo habentur. Illi India inuectam in suos fines Societatem: Illi Xauerium legatum primò Apostolicum, tum deinceps Apostolum ipsius Indiæ debet Societas: Illi structa & hic, & in Oriente gymnasia: Illi ædificata Templa: Illi commissam etiam Regiam*

Et Socios Apostolorum nomine condecorat.

Quanta illi debeat Societas.

Regiam iuuentutis institutionem: illi confirmata & constabilita docendi, dicendique priuilegia.

Tum in Lusitania, tum in India.

AB EODEM: *Qui nec verbis facile explicari potest quanto in amore hanc nouam familiam Rex Ioannes habuerit, sub illius enim auxilijs, & tutela adoleuit, & breui collectis viribus ad heroica per orbem facta extendit cum Sole manus. Conimbricæ numerosum Collegium, vbi ducenti, & eo plures Socij alerentur, Regia munificentia ædificauit: illisque minores Academiæ Conimbricensis Scholas, Philosophiæ videlicet, ac triplicis linguæ regendas tradidit. Olysippone insignem D. Rochi domum professam, Goæ in Principe Orientis vrbe S. Pauli Collegium, aliud Bayæ in Brasilia. Quæ tria Collegia trium Societatis Prouinciarum tam dissitis in Regionibus sunt capita, & reliquorum maxima; longumque foret innumera non tam Regis, quàm Parentis amantissimi in Societatem vniuersam collata beneficia recensere. Ita in Anacephalæose Regum Lusitan. per P. Ant. Vasconcellos. Anacephal. 12. fol. 287.*

De illa Sebastiani Regis æstimatio.

12. A SEBASTIANO I. *Qui breue fuit suæ gentis solatium, longa spes, æternus dolor, & Societatis amantissimus adeo, vt plane fateretur,* Se suorum Religiosorum operâ, & doctrina plurimum vti. *Sic in Bull. Pij V. incipit* Æquum *ann.* 1575. *Item idem Rex pientissimus videns Socios, qui ex Italia ad salutem Indorum procurandam venerant dixisse fertur:* Quam gratiam Proposito Generali referam, qui tam insignia nobis ad rem Indicam subsidia submittit. *Sic refertur apud Trigausium de Christiana expeditione ad Lectorem fol. 1 col. 2.*

Et liberalitas in fundandis Collegijs.

AB EODEM: *Qui putrescentes populi consuetudines Euangelico Sale vt conditet, religiosorum hominum familias, & diuini verbi præcones mirifice coluit, & amplificauit. Quam ob causam duo è Societatis* IESV *in Insulis Collegia, alterum in Vrbe Funchalensi, alterum in Angrensi excitauit: tria quoque apud Brasilos, quatuor apud Indos: quæ tandem alia intra Imperij sui fines ab alijs erant dedicata, reditibus auxit. Enimuero Societatis alumnos, Eborenses imprimis, vbi diutius Sedem fixit, non dilectione tantum, sed amore prosequebatur,* cuius familiæ nuperrimum Institutum sui maximè

stomachi

stomachi esse; *adstantibus sæpe aulicis prædicabat: aiebatque*, impudentiæ mancipia videri eos, qui optimum istud genus hominum, consutis mendacijs cauillarent, & caninis dentibus admorderent. *Ita apud P. Ant. Vasconcellos in sua Anacephal. Regum Lusit. Anacephal.* 20. *fol.*314. *Societatis cauillatores, impudentiæ mancipia nuncupabat.*

13. AB HENRICO I. *Rege Cardinali, qui Societatis nostræ defensor egregius. Cum enim Religiosus quidam vir Alfonsus à Fonte multas Bæticæ oras contra noui Ordinis homines declamando peruagatus, vndique transgressus in Lusitaniam contra Societatem, & Ludouicum Granatensem notissimum virtute, ac sapientiæ virum, Henrico tunc Cardinali Quæsitori, & Concilio Sacræ Inquisitionis libellos turpissimos obtulit, ac protinus in Castellam suffugit: vbi alios eiusdem notæ libellos sacro Magistratui à se oblatos dicebat. Cardinalis Rex, Inquisitorque calumnia cognita, reique indignitate commotus, vltro Emanuelem Autunium è suis vnum Secretarijs cum litteris, mandatisque ad Philippum Regem, Apostolicum Nuncium, & Quæsitorem Hispaniæ misit rogans,* vt iuberent causam cognosci, iusteque decerni. *Ascitur calumniator, cumque summa modestia ac pœnitentiæ significatione ad palinodiam se paratum offerret, iussus est in custodiam haberi Hispali in Ordinis sui Cœnobio, & aliæ additæ pœnæ. Quamquam exemplum Henricus magis vulgare optasset, vti fuerat calumnia notior. Sic ille pro Societatis honore restaurando militabat. Ita refertur Par.* 4. *Hist. Societ. lib.* 4. *num.* 139. *Defenditur ab Henrico.*

AB EODEM: *Qui cum primas sedes in Lusitanico Regno ponere inciperet Societas* IESV, *quorum homines audierat Optimus Præsul, ex propria Instituti sui ratione ad iuuandos proximos esse formatos; nihil moratus accersitos ad se spargit illico per oppida suæ ditionis, & erga proximos commendat officia. Qua in re ita fructuose desudarunt luce doctrinæ, & exemplo vitæ, vt intra paucos menses alia rerum iam apparuerit facies, morumque deprauatorum expulsis tenebris noua lux exoriri cœperit Transtaganis. Quâ re permotus Henricus, vtriusque Institutum Societatis altius perpendens, ac modum procedendi, tum domi erga Deum, tum foris erga* *Qui Socios ad proximorum salutem per suæ diœcesis oppida spargit.*

Et Collegium antea Clericis destinatum, tradit.

proximos, ratum habens, cogitata sua (quæ nuper quasi augurans Eboræ perfecerat, erecto Collegio ad alendos clericos, qui postquam moribus ac litteris profeciſſent, diœceſim iuuare poſſent) huc tendere Numine impellente ſtatuit, hoſque quaſi fatis ſignatos Clericos plane agnoſcens, ijs actutum Collegium tradidit, exiguis quidem adhuc numero, ſed miniſterio, quod agitabant, viuidam virtutem præferentibus. Ita apud P. Ant. Vaſconcellos in Anacephaleoſe Regum Luſit. Anacephaleos. 21. fol. 330.

Duplicemque aliam domum.

AB EODEM: Qui Collegium Alumnorum Purificat. Virginis inſtituit, & Societati etiam ſubmiſit: Præterea Domum ſtruxit amplam excipiendis, curandiſque pauperibus Scholaſticis, Chriſtianæ pietatis inſigne opus, plenamque adminiſtrationem eidem Societati commiſit. Nec omittenda hic ſimilia beneficentiæ monumenta in tam præclaro Principe. Nullum enim de Societate IESV bene merendi finem facienti placuit non multo ante obitum tempore Collegia fere omnia ampliſſimis augere beneficijs, ac donis. Nam Collegij D. Antonij Olyſipponenſis fundatorem ſe præſtitit. Sed & Bracharenſi Collegio Monaſterium Roriſium, annuente Summo Pontifice dono dedit. Sic Ibidem fol. 331. & 332.

Et pluribus ampliſicatis Collegijs, Olyſipponenſe fundat.

Et Eborenſe ſibi in domicilium eligit.

AB EODEM: Qui, vt fuit Regno habilis Sebaſtianus, Regnum illi fælici pace gaudens, opulentumque Solemni ritu tradidit: Et cum iterum Henricus euectus à Clero in Sedem Eborenſis Eccleſiæ, Collegium Societatis noſtræ elegit in domicilium, ac parua cella contentus, cum Religioſis hominibus colloqui, ac familiariter agere in delitijs habebat. Ita Ibidem fol. 334.

Societatemque ſucceſſoribus ſuprà alios Ordines teſtamento commendat.

AB EODEM: Qui cum Societatem vnicè in vita ſemper adamaſſet, ſtudium erga eam ſuum teſtatum poſteris voluit poſt mortem: non modo Eborenſi Collegio, & Academia conditâ, fundatiſque Olyſipponenſi, & Bracharenſi Collegijs, ſed etiam hac teſtamenti commendatione perhonorificâ. Præterea (inquit) obnixe contendo, atque efflagito, quod mihi tum ab eo in primis præſtari cupio, quemcumque mihi tandem ſucceſſorem iura decreuerint: tum ab ijs omnibus, qui vllo vnquam tempore legitime ſuccedent, vt ceteris ſemper Religioſorum hominum Ordinibus

nibus præsidio sint, & Hieronymianæ, Franciscanæque, ac Dominicanæ Familijs præsertim faueant. Religionem vero Societatis IESV, eiusque Collegia, atque Academias tueantur, & foueant: quippe in quibus tam multa fiunt, quæ ad honorem Dei redundant: tamque multi instituuntur, & educantur, quorum vbique officia vsui sint futura: quippe tanto cum fructu operam suam collocare possunt in ijs gentibus ad fidem Christi perducendis, quarum ad hoc maxime Regnum spectat, saluti consulere. *Hæc Rex Cardinalis Societatis amantissimus vel in vltimo vitæ spiritu. Ita Par.4. Hist. Soc. lib.8. num. 259.*

ABEODEM, *Hisce literis peregregijs Pontifici Societatem, eiusque mirabiles in Ecclesia fructus, mirifice commendante*: Beatissime Pater; præter alia mandata, quæ Aluaro Castrensi Regis Domini mei legato dedi, hoc illi onus imposui, vt omnia negotia, quæ ad commoda Societatis pertinent, singulari cura, & diligentia procuraret: his enim moribus præditi sunt huius Societatis homines, & ea documenta pietatis, & Religionis dare solent, eamque vtilitatem Christianæ Reipublicæ multis in locis attulerunt, vt maximo Christianorum Principum fauore valde digni iudicandi sint; Eborensis autem Academia maximis quidem meis sumptibus ædificata est, sed quod verum est eorum industria, atque vigilantia eò peruenit, vt ex ea nunc non mediocres fructus Ecclesia tantum Eborensis, sed etiam aliæ huius Regni Ecclesiæ percipiant: est enim literis Græcis, & Latinis, & Philosophiæ, atque Theologiæ studijs, & quod caput est, sanctitatis, & Religionis exemplis instructissima. Hæc tamen omnia Sanctitatis Tuæ ope destituta, iacebunt, neque diu poterunt vim, & dignitatem suam retinere: quapropter Illam suppliciter oro, vt velit plurimum suæ benignitatis huic Societati impertiri, vt ea ratione possit multo vberiores fructus afferre. Sed de his Regis Domini mei Legatum admonui, vt cum Sanctitate Tua, ea quæ mihi videntur fore huic Religioni salutaria li-

Et Pontificiliteris perhonorificis.

benter ageret: illam vero quantum possum oro, & obsecro, vt eidem legato fidem adhibeat. Feliciſſime valeat Sanctitas Tua, quam Deus omnibus ad Eccleſiæ ſuæ tranquillitatem, & pacem diutiſſimè conſeruet, *&c.* Olyſippone 4. Kalend. Ianuarij, 1568. *Hæc ad Pontificem Pium IV. Epiſtola Principis Cardinalis Henrici, dein Luſitani Regis meritiſſimi: & habetur in Chronico Hiſt. Societ. Luſitanæ Par. 2. lib. 5. cap. 32. fol. 398. num. 4.*

Et Cardinali, alijs literis peregregijs.

Ab Eodem, *Alterâ Epiſtolâ non minus Societatis commendatitia: quam ille ad eminentiſſimum Cardinalem Romæ exiſtentem, multis retro annis in hunc modum ſcripſerat.* R^me. in Chriſto, & Illuſtriſſime Domine, Dominationi colendiſſimæ humillime me commendo. Cum Ludouicus Gonzalez Societatis Iesv ad Curiam Romanam proficiſceretur, eum ſine meis ad Reuerendiſſimam Dominationem Veſtram literis venire nolui; tum vt eum ipſi vehementer commendarem virum nobilem, & virtutis nomine commendatum, mihique probatum; tum etiam vt apud ipſam teſtaretur ex huiuſmodi Societatis fratrum ſanctis moribus, conſtanti virtute, & indefeſſa quadam in ijs omnibus, quæ ad animarum ſalutem pertinent, diligentia, poſtquam ea Societas apud nos fundata eſt, vberes, & inſignes fructus conſecutos eſſe: nec modo in hoc Luſitaniæ Regno ipſorum pietas viget, ſed ad extremam vſque Indiam, imperiumque Sinarum, nouumque Orbem longe lateque ſe diffudit, & propagauit. Porro ipſorum virtutem cum ipſe ſæpe alias multis documentis perſpectam habeo: tum maximè hoc tempore expertus ſum, quia ipſorum familiaritate (propter Collegium, quod in eiuſdem Societatis vſum in Ciuitate Eboræ conſtruendum duxi) frequentius vter: quidquid igitur gratiæ, fauoris, benignitatis ſuæ in iſtum Ludouicum, atque adeo in vniuerſam horum Regnorum fratrum Iesv Congregationem R^ma. Dominatio veſtra contulerit, velim ſibi perſuadeat id meritis ipſorum facturum, mihique id ipſum pro eo ſingulari ſtudio, animique propen-

propensione, qua eosdem amplector, fore gratissimum; cætera quę ad eiusdem Societatis bonum, incrementumque spectant (de quibus fusius cum ipso Ludouico egi) idem melius, commodiusque R^mæ. Dominationi Vestræ exponet: quamobrem ijs scribendis supersedendum duxi: eamque oro, vt fidem integram eidem adhibere dignetur. R^mam. Dominationem Vestram in Domino Deus conseruare dignetur. Olisippone die 26. Ianuarij, anno 1553. *Sic Cardinalis Rex ad Cardinalem. Ibid. l.4.c.12.fol.56.n.4.*

* AB EODEM: *Qui dicere consueuerat.* Suorum oculorum pupillas tangere, qui tangeret Societatem: *Et rursus Infanti Ludouico fratri multoties dixit*, pluris eum facere, ac diligere, ob eius amorem, ac deuotionem erga Societatem, quam quod fratris Regis filius foret. *Hinc quoties quis ab Henrico Cardinali Rege aliquid impetrare volebat, speciale aliquod beneficium à se Societati factum manifestabat. Ita Ibid. idiomate Lusitano refertur.l.5.c.31.f.395.n.5.*

Quanta Henrici de Societate æstimatio.

A REGIBVS POLONIÆ.

14. AB STEPHANO BATHORIO: *Quo tempore in Poloniæ Regno Catholica Religio, vnaque Societas, ipso Stephano in primis adnitente, quanquam non sine aduerso impiorum reflatu prouehebatur: suum Rex aduersus Societatem animum satis aliunde notum, datis quoque ad eam literis testatum voluit quæ sic se habent.* Venerabiles, deuoti, nobis dilecti. Significatio præclaræ voluntatis vestræ erga nos, quam partim ex literis vestris, partim ex prolixa Ioannis Zamoisci Secretarij nostri relatione cognouimus, gratulatio item, & preces pro vniuerso successu rerum nostrarum fuere nobis, & sunt gratissimæ. Talibus enim præsidijs potius, quæ ex diuini auxilij fonte promanant,

Stephani Regis de Societate honorifica litera.

nant, res nostras communiri, quàm vllis humanis viribus, quæ fluxæ, & caducæ sunt, optamus: quæ ad hoc vsque tempus Dei beneuolentia, non mediocri rerum nostrarum profectu, magno nobis adiumento fuisse; est quod Dei clementiam laudemus, illique gratias agamus. Quod verò Ecclesiæ Dei, atque vniuersæ Reipublicæ Christianæ causam nobis diligenter commendatis; id, quemadmodum à pio, laudabilique vestro affectu proficiscitur; ita nobis præcipuæ curæ semper fuit, ac longe maiori in posterum futurum erit. Nam nobis quidem, & existimationi nostræ, vltra etiam merita nostra iam olim diuino munere satisfactum est. Nunc eo labor omnis conferendus erit, quo ornamenta hæc, quæ liberalissima manu in nos Maiestas diuina contulit, ad eum fontem, cui in primis debentur, relabantur, diuini scilicet nominis laudem, & propagationem, & Reipublicæ Christianæ incrementa. Ad quam rem melius ex animi sententia conficiendam, cum vester Ordo vel in primis nobis apprimè sit necessarius: merito nobis & est, & erit semper gratissimus: quod tum re potius, quàm verbis declarabimus, vbi primum Regni huius nostri negotia composuerimus, ac ad optatam quietem omnia perduxerimus: quod vt quamprimum fiat pijs precibus vestris effici debet: quibus nos etiam atque etiam diligenter commendamus. Bene valere deuotiones vestras cupimus. Ex Castris ad Gedanum die 24 mensis Iunij anno Domini 1577. Regni nostri anno secundo. *Hucusque Stephani Poloniæ Regis, Magni Ducis Lituaniæ, Prussiæ, Mosauiæ, Samogitiæque, nec non Transyluaniæ Principis de Societate litteræ perhonorificæ. Quas gratæ memoriæ duximus hocce in volumen ad literam illigare. Habenturque* Par. 4. *Hist. Soc. lib. 5. num. 77.*

Idem vouit se Collegium fundaturum, si victoriam contra Hæreticos consequatur.

Ab Eodem; *Qui tendens contra Hæreticos Gedanenses, ac perduelles, qui numeroso exercitu Regnum infestabant; vouit, si Gedano potiretur, Catholica ibi restituturum sacra,* & Societatis Collegium positurum: *pauciſque post diebus præclaram retulit ex hoste victoriam. Ita Ibidem num. 78. Et cum Stephanus Transyluaniæ*

Sylvaniæ Princeps in Poloniæ Regem eligitur, inter prima perbenigni erga Societatem animi pignora, Collegiorum possessiones, quoties tributum Pagis imponeretur, iussit immunes esse: ac summam, quæ exigenda ex illis foret, ex Fisco regio compensari. Sic ibidem lib.4. n.79. *Eius in Societatem & munificentia.*

Nunquam is desistebat Societatem, quoniam ad incrementa publicæ pietatis, in curia Principum vtilem experiebatur, nouis augere Ornamentis. Vilnensis Collegij vectigalia, quod & ad emolumentum, & quietem Religiosam pertinebat, cum alijs opportunis commutauit, admiratus diuinam in ea re prouidentiam, quod senatus ipse Hæreticus eam illi causam commendasset. Ita Par. 5. Hist. Soc. l 1. n. 107. *Et pro Collegio Polociensi cura.*

Quanta Stephani Regis pientissimi pro Collegio Polociensi cura fuerit, explicari non potest; quandiu, quamque impense, accito Vilna Petro Scarga, cum eo, & Consiliarijs suis in Collegij eius conquirendis firmandisque censibus totus animo versatus sit, tanquam nihil præterea curarum haberet. Sic Ibid. num. 113. Rursus tuetur in Transylvania, & auget Claudiopolitanum Collegium. Ita Ibid. num. 154. & 156. *Claudiopolitanum tuetur, & auget.*

Ab Eodem: *Qui Grodnæ Ecclesiarum euersarum reditus, & alios paratos habebat: vbi,* non ad populi solum vsum, sed etiam ad suum, ac suorum aulicorum adiumentum, *aiebat*, se Societatem requirere. *Multum enim Stephanus eâ delectabatur vrbe: quam sibi viuo, eandem mortuo destinabat sedem, in Templo, quod Collegio extrueret, tumulo excitato. Hæc omnia consilia vbi planè, fusèque Campano exposuit, ille de Societatis Instituto dicere aggressus, & quam ob causam multa refugerat noua Collegia, ostendit maximè eas causas valere in Polonia. Et multas in hanc sententiam cum audisset Stephanus, vario (vt apparebat ex vultu) animi habitu, primum aliquantum hæsit, dein cum graui gemitu,* Non debeo Ego, *inquit*, esse iudex, & censor vestri Instituti, quod sanctè ordinatum est: dixeram tamen, quod mihi videretur; *& addidit pene plorans,* Nunc quando vobis non licet, & illi, qui deberent, vel nolunt, vel nesciunt, computrescemus in sordibus nostris. De Bresta non amplius institerim, qui locus tamen erat operæ vestræ egentissimus. Grodnæ *Institutum laudat.* *Soc. Collegia pene plorans expetit.*

vero

verò non mihi denegabitur, quominus Collegium fiat, vbi saltem viginti alantur, & humaniores tradantur literæ. Nam vt excursionibus iuuentur loca ista (*Campanus eas dilaudauerat*) Spes valde exigua est: est enim inuentum spiritus sancti, vt tute ipse dixisti, quod de Seminarijs Tridentinum Concilium ad instituendam iuuentutem decreuit. Quippe senes, qui in excursionibus audiunt aliquid, vel obdurantur magis, vel fides, si conuertantur, non agit tantos radices, vt sine irrigatione perpetua durare possit. Adeo consuetudo in aduersum insedit. Qui ab teneris annis pietate vera, solidaque imbuuntur, hi nobis nouam formant rempublicam, planeque Catholicam: eo Scholas requirimus, eo Collegia vbi facultas datur, erigimus. *Tum rursus ad Grodnense Collegium reuersus Rex Stephanus multam de eo fecit orationem: quod cum perseueraret, datis quoque ad Pontificem literis, petere, Claudius denegare non potuit. Sic refertur in eadem Par. 5. Hist. Soc. lib. 4. à num. 81. ad 82. Tom. 1.*

Grodnense admissum instante ipso Stephano Rege.

Ingens eius studium in res Societatis.

AB EODEM: *Qui, dum haberetur Varsauiæ Regni Conuentus, in eo cum de confirmandis Polocensis Collegij fundis referret, ita sermonem instituit, vt post laudes Societatis non vulgares, diceret* vitam sibi ereptam malle, quam eius voti compotem non fieri. *Ita Ibidem lib. 5. num. 72. Et cum 27. è nostris peste extincti, quæ communi strage Regnum vexabat, sic Stephanum Regem graui dolore affecit; vt sæpius illacrymatus dicatur, nominatim Capecio nostro, quem in Lelesij assidue decumbentis locum, institutorem Sigismundo Principi destinabat. Adiecta tamen ad remedium cura exiguas illas Nostrorum Transyluaniæ reliquias amantissimis literis consolatus, ad Claudium Generalem diligenter scripsit, supplementum postulans, ante omnia Rectorem Capecio similem. Sic Ibidem l. 6 n. 39. In morte duo reliquit Stephanus testamenta, alterum iam pridem conditum, alterum ipsius manu hoc supremo tempore inchoatum, quod deficientibus viribus, non perfecit. In eo post alia multa Orationem ad Sigismundum reuocans, verba hæc addidit.* Ad Te redeo Carissime nepos Princeps Transyluaniæ Sigismundi Battori,

Et lacrymæ in casu Nostrorum, præsertim Capecij.

Battori, Tibi in primis Collegium Claudiopolitanum, & Albense lego, & committo : quæ Collegia Pater tuus, & Ego fundauimus proprijs ex facultatibus nostris sine cuiusquam iniuria. Quæ ita tuearis, & defendas, quatenus animæ tuæ, patriæque cui præes salus tibi cara est. Non deerunt puto Ariani, atque in primis Calosnarienses, qui ea euersa velint. Fauebunt ijs Senatores tui omnes, aut Caluinistæ, aut Lutherani, nec deerunt opportunitati iuuenes, aut Aulici pariter Hæretici, qui tibi adulantes, procaciter in eos inuehentur, animum tuum in transuersum rapient. Sed si vir es, facile omnibus simul resistes sola constantia, & feruore, zeloque pietatis magis, magisque pijs hominibus contestata. O, vtinam potuissem, vel in hoc solum meæ in te pietati satisfacere, vt si non omnes, saltem paucos tibi intimos consiliarios, & cubicularios Catholicos, & pios dare potuissem; tibi ornamento, mihi securitati fuissent. Sed ea ibi est temporis, & morum peruersitas, vt omnes declinauerint, varijsque hæresibus imbuti Atheismum plerique spirent. Quò difficilior igitur tibi restat concertatio, eo maius tibi præmium, & laus sempiterna. *Ita Ibidem num. 41. sic Stephanus Rex decessit Grodnæ propagandi, augendique diuini cultus auidus : piè ac Religiosè decessit, toto Christiano Orbe ingemiscente, dolente Societate tanto orbata Parente.*

Collegia Transyluaniæ Sigismundo Principi fratris filio testamento commendat.

Ab Eodem: *quem Episcopus Præmissiensis, ait, audiuisse se in Conclaui Regio, eum palam, & aperte dixisse*, Fore, vt, quandiu stabunt homines, in sua Societas integritate persistat, quod cum pietate doctrinam prouide admodum atque admirabili temperamento coniunxerit. *Ingens sane, nec dubia nixum ratione testimonium prudentissimi Regis : quod refertur apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 10. fol. 669. Et quantam ille opinionem de Societatis virtute conceperit, clarius nemo quam ipsemet Stephanus Rex Diplomate suo Regio declarauit.* Ab eo, *inquit*, tempore, quo ad hunc Regni nostri thronum diuina prouidentia euecti sumus, nihil nobis antiquius fuit, quàm vt antiqua pietas (quæ

Societas admirabili temperamento cum pietate doctrinam coniungit.

est omnium Regnorum solidissimum firmamentum) in omnes Prouincias nostras restitueretur, atque in alias quoque prorogaretur. Neque vero quidquam fructuosius experti sumus, quàm si multos Operarios nanciscì possemus ex Societate IESV, qui tanquam expediti velites quoquouersum ad lucrandas animas excurrerent. *Sic Ibidem. Ex Gredsero in Apol. contra monita priuata lib.* 1. *cap.* 11.

Eius filij, vt expediti velites ad lucrandas animas vndique excurrunt.

Aucta beneficijs à Sigismundo.

15. A SIGISMVNDO II. *Qui se alieniorem ante ab Societate visus erat ferre: sed postea non consensit modo Polocensi Episcopo Collegium deducere Pultouiam meditanti; sed ipsemet Diploma edidit regium, quo* cunctis beneficijs, quibus in Poloniæ Regno cæteri Religiosorum fruebantur Ordines, Societatem impertiebat. *Ita Par.* 3. *Hist. Soc. lib.* 1. *num.* 7.

Fructuosa Poloniæ, & Vniuerso Orbi.

16. A SIGISMVNDO III. *Ad Turonenses sic scribente:* Societatis homines non modo Poloniæ Regioni, sed Vniuerso etiam Orbi fructuosos, se auctore, ac Regni Proceribus studiosè complecterentur, sua munia cum summa pace obire sinerent, omninoque persuasum haberent, illorum se iniurias seuerè vti suas vlturum esse. *Sic in Annal. Soc. ann.* 1612. *fol.* 494. * *Nec minus honorifice ab Eodem Rege in Regni Comitijs pronunciatum legimus*, se suo, & successorum suorum nomine, recipere in suo Regno Societatem sub suo patrocinio, & iuuamine. *Ita apud Euseb. in vita B. Borgiæ lib.* 3. *cap.* 12. *fol. mihi* 223. * *Et in condendis Nostrorum Collegijs, atque Scholis idem Rex pientissimus testatus id est frequenter*, Hoc vnicum esse medium rem Catholicam in Polonia promouendi, & corruptas hæresi mentes ad sanitatem reuocandi. *Sic refertur apud Imag.* 1. *sæc. Soc. lib.* 3. *cap.* 4. *fol.* 345.

Susceptа sub eius Regis patrocinio.

Eius Collegia mediũ vnicum ad rem Catholicam promouendam, & contra hæresim.

A RE-

A REGIBVS IAPONIÆ.

17. A Francisco *Rege Bungi ad Bonciorum quemdam petentem, vt ipse Nostros à Regni sui finibus amandaret, sic scribente.* Annus (*inquit*) circiter quartus decimus agitur, cum id hominum genus magno vtique meo bono delatum est in hæc loca. Tribus ante præeram Regnis, nunc quinque possideo: pecuniæ ante laborabam inopia, nunc Iaponiæ Reges omnes diuitijs supero: vnde ad populares quoque meos vtilitas pertinet: cum antea filium suscepissem nullum, iam virili stirpe magna mea voluptate auctus sum. Denique omnia mihi ex eorum hospitio prospera accidêre. Commemorate vos, si potestis, Religionis vestræ defensio, ecquid vnquam mihi crearit commoditatis: proinde cauete in posterum hunc ad me sermonem. *Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 8. num.* 188.

Societas quam vtilis Regno Iaponiæ.

Ab Eodem *Literis ad Pontificem Gregor. XIII. per Mancium Legatum è Regio sanguine iuuenem sacros pedes deosculante.* Dominus (*inquit*) cæli, terræque, cuius imperium super Solem, Lunam, & Stellas ignoranti mihi, & profundis immerso tenebris, claritatis suæ lumen iussit splendescere, ac Nostratibus præcipuè populis referans arcam suæ misericordiæ, atque gemmarum, dignatus est ante annos amplius quatuor & triginta destinare ad Iaponis Regna Patres è Societate Iesv, quorum è salutari ac diuina semente, nonnihil in meum quoque Dei benignitate cecidit pectus. Quod tam insigne beneficium, aliaque multa, ô Sanctissime, totius Christiani populi Parens, vestræ potissimum precationi, meritisque accepta equidem refero, *&c. Ita refertur apud Petrum Matthæum in Summa Constit. Rom. Pontif. fol. mihi* 843.

In quod Christi fidem intulit.

Defenditur à Bungensi Rege.

AB EODEM: *Qui tanquam arx firmissima alte fundata in petra, nihil nec ventorum impetu, neque imbrium tempestate commouebatur: qui tametsi Regni gubernacula dudum posuerat, grauissimas tamen literas ad totius Regni proceres dedit, vetans* quicquam moliri aduersus Patres Societatis: Se enim esse Christianum, & in ea Religione moriturum: nec prius quidpiam aduersus eos, quam contra se tentaturos. *Ita Par. 4. Hist. Soc. lib. 7. num. 337.*

Commendatur Pontifici ab Ariminensi.

18. A PROTASIO *Ariminensi Rege literis ad eundem Pontificem Greg. XIII. per Michaelem Legatum egregia indole, prouidentia, & probitate iuuenem.* Denique (*ait inter alia*) in profundo Gentilium tenebrarum iacenti mihi dignatus est Pater misericordiarum, lucem veritatis, & rectum ad salutem iter ostendere per Venerabilem Visitatorem, alioſque verbi Dei Prædicatores è Societate IESV, qui enixè me, meosque diuinæ gratiæ rorem è Cælo deuocarunt. Pro quo tali, ac tanto beneficio mire lætus infinitas Regi cælorum ago gratias, *&c. Ita apud Petrum Matthæum citat. in Summa Constit. Rom. Pontif. fol.* 844.

Et ab Omurano.

19. A BARTHOLOMÆO *Omuranorum Rege ad eumdem Pontificem per Legatum eumdem sic scribente*: Nuper in hæc tam remota loca lustranda P. Visitator è Societate IESV contendit, multisque rebus pie, laudabiliter institutis, iam nunc redit in patriam, quâ Ego tam præclara occasione inuitatus deesse nolui, quin fratris mei filium D. Michaelem cum eo mitterem isthuc, qui licet muneri tanto sit impar, tamen gratissimum fuerit mihi, si eum vestra Sanctitas, ad beatorum pedum oscula admiserit, *&c. Sic Ibidem fol.* 844.

Regis moriturí oratio ad filios.

AB EODEM: *Qui vbi se morti tam proximum sensit, Sancium Primogenitum, cum ceteris liberis, his supremis verbis inter alia multa, affatus est;* Quartus & vicesimus hic annus agitur, ex quo à P. Cosma Turriano Christi fidem, & baptismum accepi. Christianum in meis terris nullum reperi cum inirem Principatum, nunc in ijs nullum, quod sciam, Ethnicum relin-

relinquo,&c. *Et postquam filijs sorores,ac Matrem commendasset, addidit*: Patres Societatis adhibete semper ad omnia consilia vestrarum rerum, eorumque singulis, vt mihi obtemperate. Hæc vltima Patris vestri mandata sunt, &c. *Ita refertur Par. 5. Hist. Soc. Tom.1.lib.7.n.152.*

Quæ illis commendat Societatem.

20. * Ab Omvrandono *Omurensi etiam Rege ad Societatis Prouincialem sic scribente*: Ego (*inquit*) quid Dei lex iubeat ignoro, multum tamen desidero Patres Societatis in hac parte cautos procedere, ex illis siquidem bonum,& conseruatio totius Iaponiæ pendet: ne magis Xogum irritetur, crescat persecutio, omnesque destruantur. Reliqua in altera scribam. *Ita in Hist.Persecut.Iapon per P.Moreson cap.16. §.2.*

Ab Ea totius Iaponicæ bonum, & conseruatio pendet.

21. A Cangoximano *Regulo literis ad Prouincialem Societatis, quibus aliquem ex eadem Societate verbis sequentibus admodumque honorificis ille expostulat.* Duo (*inquit*) socij venerunt meum in Regnum, atque vt eorum animus excelsus est, ipsique potentes sermone, ac doctrina. Ego eos quasi cæli tonitrua reor. Illud autem in ijs prorsus admiror, quod huc tam è longinquo veniant, quia prout accepi de nauigationibus Lusitanorum ad has oras, ipsamet luna sunt; ita circumeunt mundum. Antequam hic essent Christiani, erat hæc regio cassa bonitate, omniaque torrida æstu, nunc autem videntur ipsi flabellum, quod refrigeret hominum corda. Hoc Regnum tametsi pusillum est,debent tamen Patres Nangangini alacriter venire ad illud. Quod si forte alijs in Regnis inueniunt mare decrescens, hoc in Regno semper est plenum. Christiani quoad Patrum aliquo potiantur, consolantur se Cruce, quam erexere, tanquam si illi adessent. Ego existimo, quod Regnum hoc meum careat Patribus perinde esse atque Cælum obductum nubibus, vel sol defectionem patiens, & lumine spoliatus. *Ita Par.2. Hist.Soc.l.6.n.183.*

Eius filij potentes sermone,& doctrina: cælique tonitrua.

Flabellum refrigerans hominum corda.

Ijs Orientem carere, est Solis lumine spoliari.

22. A Ioanne Vtayo *Bungensi Rege, qui non minoris faciebat Societatem, quando* sociorum in terras suas aduentui

acceptam, referre se prosperitatem, ac propagationem Regni, & thori sui adhuc sterilis, *fidenter, & sæpe professus est. Ita in Imag. 1. sæc. Soc. l. 5. c. 9. f. 658.*

Eorum iniurias proprias ducebat Sebastianus Rex.

23. A SEBASTIANO *Bungensi etiam Rege Sebastiani Bungi Regis filio: qui Capralem nostrum morti se ac suos paratos offerentem benignissimis brachijs excepit, & inter multa hisce verbis amore, ac honore plenis dicendi clausulam concluſit.* In summa bono este animo: Nam si quæ in alienis Prouincijs contra vestros fiunt iniuriæ, pro meis duco. Vos, quos complexos sinu teneo, profecto nemo priusquam me lædet. *Sic Par. 4. Hist. Soc. lib. 5. n. 240.*

A REGIBVS SINARVM.

Et Sinensis ad Regni gubernacula vult admouere.

24. A REGE *Potentissimo, qui (vt nouissimis ex Oriente literis præscribitur) religiosissimis iuxta ac sapientissimis Nostrorum hominum moribus delectabatur; & ita apud animum suum statuerat de ijs, vt* regendis eos sui vice Regnis, Prouincijsque vastissimis admouendos esse *decerneret. Quam quidem principem inter Sinenses Proceres dignitatem cum intellexit à nobis modestè reiici, versa in maiorem tantæ virtutis admirationem veneratione, socios plus etiam quam ante sibi commendatos, & charos fundo extruendis in Vrbe Regia Sacris ac religiosis ædibus impertiuit. Ita apud Imag. 1. sæc. Soc. l. 2. c. 6. f. 223.*

Regis fauor erga Socios.

His adde, quæ scribit P. Nicolaus Trigaustius de Christiana expeditione apud Sinas l. 6. c. 13. fol. mihi 405. Nostri à rituum Magistratibus comprehensi in arcem legatorum retrusi erant: quod vt Regi constitit, dixisse fertur: Quorsum hos homines oportuit comprehendi, an fortassis latrones habentur? *Eximius hic fauor Regis erga socios fuit: & pro singulari gratia ab omnibus habitus. Cui Regis alia beneuolentia singularis accessit: quæ sic à citato Trigaustio*

cap. 14.

cap.14.fo.419.his verbis refertur. Horaria machina aliquantùm aberrauerat, forte in Eunuchis non satis erat ingenij, aut etiam animi ad eam moderandam: ergo de voluntate Regis illam in domum ad reparandum detulerunt; biduo igitur, triduóve, vbi hoc innotuit, magni ad nos facti concursus, id forte Rex resciit, & in posterum illam machinam efferri vetuit, sed cum opus esset, nostros in Palatium venire voluit; quæ res magnam beneuolentiæ Regis erga nostros conceptæ opinionem apud omnes concitauit.

Et beneuolentia singularis

A REGIBVS ÆTHIOPIÆ.

25. * A SELTAN-SEGVED *Summo Imperatore tanti Societatem faciente, vt sponderet*, Se post Deum illi famulaturum: *qui etiam non verebatur Nostros appellare* Magistros, ac Patres. *Ita refertur in Relat. rerum Æthiop. lib. 2. cap.13.*

Societas quantum ab Æthiopicis Regibus æstimata?

26. * A MALA-SEGVED. *Qui publicè testabatur*, se Societatis Patribus Dei seruis fauturum, quia nullus præ illis suum fauorem merebatur. *Sic l.1. Hist. Orient. c.10. per Franciscum Suarez scriptæ.*

27. A ZALADINO MAHEMETE *Magni Mogoris literis ad Societatis Prouincialem Goæ commorantem, quibus Nostrorum expeditionem ad Mogores Æthiopiæ Incolas, expetebat; & earum verba hæc erant*: Ad Patrem præcipuum in nomine Domini literæ Zaladini Mahemetis Echebarisxa Regis manu Dei constituti. Patres Collegij Sancti Pauli primores, scitote me vobis valde amicum esse. Mitto isthuc Ebadolam legatum meum, & Dominicum Perium (*hic erat Christianus Interpres*) petitum vt ad me duos Patres doctos mittatis, librosque legis, & nominatim Euangelium, & legem, eiusque perfectionem

Expetitæ literis à Mogorensi.

nem cognoscam : auet enim mihi cor eam nosse. Oro igitur omnino veniant cum ijsdem Legatis, & libros legis adferant, sciantque Patres qui venerint, me eos excepturum quàm honestissime, & gratissimos habiturum. Postea vero quam Ego satis legem, eiusque perfectionem cognouero, licebit ijs suo arbitratu abire, à meque commeatu, & præmijs peramplis honorabuntur: veniant securi, Ego eorum defensionem in me recipio. *Hactenus Regis literæ Orientalium maximi Par. 4. Hist. Soc. lib. 7. num. 312.*

Et suis Magistratibus ab Eodem commendata.

* AB EODEM. *Ad Officiales sui Regni similiter scribente:* Præcipio (*inquit*) supradictis meis Officialibus, quod tam D. Leonem Grimon, quàm hos Patres, quos voco, honore multo colant, subministrando milites, qui eos securos reddant per totum iter ex vna in alteram Ciuitatem, tribuendo item omnia necessaria meis expensis: obligabunturque eos ad me saluos & incolumes adducere, *&c.* In Deoque confido eos cum salute peruenturos ad hanc Curiam, in qua tam à me, quàm à meis iuxta sua merita recipientur. *Sic apud Guzman in Hist. Mission. Par. 1. lib. 3. cap. 34.*

Illam præ vita & Regni pace Abassinus magis æstimabat.

28. A REGE, *Siue Imperatore Abassinorum, qui oblatas sibi conditiones pacis ab hoste sæuissimo, quem etiam ipse metuebat, abominari maluit, quàm admittere, propterea quod eæ Sociorum saluti, & incolumitati iniquæ, & iniurioſæ viderentur, ipso palam acclamante*: Imperatoris exercitu bellum præ pace, mortem pro vita expetendam esse potius, quàm vt hostibus dedi paterentur eos, à quibus viam salutis edocti, amarentur vt filij, defenderentur vt clientes. *Ita apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 9. fol. 659. fin.*

Quantum amata ab huius Imperatoris fratre.

29. A ZELACHRISTO *Abassinorum Imperatoris fratre (quem, quia fortè in Regni habenas successit, in hac Classe describo) Is igitur ante annum à Societatis nostræ confirmatione Centesimum, eius tum gestæ rei memoriam die 27. Septembris aliquando re-*

curren-

currentem anno 1624. apparatu quam exquisitissimo celebrauit. Inter quæ ipse abiecto, quo vtebatur habitu, principali, nigram indutus togam ex more Societatis prodiuit in publicum, nunquam alias magis ambitæ non sibi, sed Socijs gloriæ candidatus; nimirum non Proregem se (talis ille tunc erat) quoties cum illis ageret, sed filium haud verbo magis, quàm opere testabatur, affirmans, Tot ornatos virtutibus, non posse non summi fieri ab ijs, quorum animos probitatis species, non vmbra, vel inuidia occuparet. *Sic Ibid. fol. 659. cit.*

CLASSIS III.

A REGNIS ET REBVS PVBLICIS.

Societas spiritualis militia per orbem Crucis vexillū deportans.

Scriptis hæresi resistit,

Et Pontificis auctoritatem effuso sanguine defensat.

1. A REGNO HISPANICO *In Comitijs Generalibus, literis super Beatificatione S. Ignatij P. N. missis ad Clementem VIII. quibus affirmabat,* Societatem IESV, Militiam esse spiritualem à B. Ignatio erectam, quæ tam breui temporis interuallo, tanto cum spiritu, & robore vexillum Crucis ad vltimos terrarum angulos deportauit: quæ face Euangelij tot infidelium corda illuminauit, quæ scriptis hæresi restitit, & sanguine effuso defensat sanctæ Apostolicæ Cathedræ auctoritatem, *&c. Hæc apud Paul. Leonard. in Apolog. pro scientia Media Par. 2. n. 83. fin. ex ijs, quæ habentur in Relatione Hispanico idiomate conscripta à P. Petro de Ribadeneira de Beatif. Eiusdem S. Fundatoris Ignatij, & excusa Matriti apud Ludouicum Sanchez anno* 1609.

Eius ingentes fructus.

In Christiana Religione propaganda, & iuuentute informanda.

2. A REGNO GALLICO *In Comitijs etiam Generalibus tam Cleri, quàm Nobilitatis Parisijs anno* 1615. *pro Societate postulantium illæ voces:* Ingentes fructus, & singularia officia, quæ Patres Societatis IESV tum in Religione Christiana propaganda, tum iuuentute bonis moribus, & scientijs informanda, *&c.* olim præstiterunt, & nunc etiam præstant in Ecclesia Catholicâ, & nominatim in hoc Regno, nos omnes adducunt, *&c. Ita apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 10. fol* 669.

Honorifice in Venetam Ditionem accepta.

3. * A REPVB. VENETA. *Exoptauit iam pridem Societas Vniuersa, vt vnde egressi fueramus, liceret nobis reuerti in ditionem Venetam, tum ad elidendum, quod inde patiebatur ab Hæreticis maximè, & obtrectatoribus opprobrium, tum ad colendam laboribus nostris Vineam illam primorum nostrorum Parentum Sudoribus in exordio Societatis irrigatam. Quod igitur iam à quinquaginta annis in*

votis fuit, tentaruntque alij iam Reges, & Pontifices (sed frustra) obtinere placuit nunc diuinæ prouidentiæ auspicijs, ductu, atque opera Sanctissimi Domini Nostri Alexandri VII. felicissimè perficere, idque absque vlla conditione graui nobis, & vna cum restitutione bonorum mobilium quæ olim ibi possidebamus: & denique, quod vulgus vix credit, sine teruntio contributionis pecuniariæ ex parte Societatis, vt verissime nobis dicere liceat: à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Hæc facti series, de qua iussu, & nomine Serenissimæ Reipublicæ Excellentiss. Dominus Dominicus Ziani Ordinarius in Matritensi Curia Nuncius, Patres Imperialis nostri Collegij certiores fecit, additque Serenissimam illam Rempublicam 26. Ianuarij Decretum formasse (retroactis in contrarium reuocatis) in quo periucundè Sacræ nostræ Religionis reuersionem in totum suum Venetum Dominium præcipiebat. *Hæc Nuncius tam Serenissimæ Reipub. nomine. Ita in Relat. P. Hyacinthi Perez Proc. Ind. typus edita Hispal. ann. 1658. fol. 4.*

4. A Rep. Epidavrensi, *Siue* Ragvsana: *Quæ Bobadillæ nostri non multis Concionibus auditis, & cetera iuuandi proximos ratione, ac dexteritate perspecta, Collegium Societatis instituere Communi Consilio decreuit: eaque de re ad Lainium Generalem Literas dedit: In ijs literis ait,* Iam diu sibi fuisse in votis Collegium instituere Sacerdotum eiusmodi, ex quibus & ceteri sacri Viri exempla, & populares præcepta Christianè viuendi caperent. Habere enim persuasum oportere in Epidaurensi Republica Christianam sanctitatem florere vel maximè: vt quoniam adeo vicinos habet Christi hostes, & aduersus eorum corruptelas tuta sit, & vero etiam innocentia morum arguat, ac pudore suffundat. Quales optabat Sacerdotes, dudum se fando audisse, modo ex Bobadillæ vita, actionibusque vidisse, Sacerdotes esse Societatis Iesv. Quare aliquot sibi horum concederet, tres nimirum operi inchoando, *&c. Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 4. num. 53.*

Ab Epidaurensi ad morum reformationem expetita. Literis ad Lain.

CLASSIS IV.

A PRINCIPIBVS. ET ARCHIDVCIBVS.

1. A FERDINANDO PRINCIPE *Cardinali, verè Catholico, Hispano, Austriaco, ac belli Fulmine, ex cuius voluntate ægrotantium cura omnis in castris penes solam Societatem fuit, qui præclaro exemplo apothecam suam patêre voluit in vsum militis, & multo argento subuênit miserorum egestati, tanta solicitudine pietatis, vt mitteret indies Emmanuelem Guzmanum eleëmosynarum præfectum, qui scisciteretur ex Patribus, satisne ad ægrum militem iuuandum esset æris: ac, si non esset, continuò numeraret. Valuit Principis exemplum ad imitationem. Magnatum multi, & Tribunorum diem sibi quisque sumebant in exercitium liberalitatis. Non raro fuit, cum Patrum humeris efferrentur funera, Patrum manibus terræ mandarentur. Subinde viginti amplius cadauera pariter in tumulum illata. Delectauit omnes quidem, sed vel maxime Principem, ea Societatis Charitas. Sæpe illam auditus magnificis commendare verbis, ac dicere,* numquam sibi Patres istiusmodi visos. *Sed neque is tum morbus magnis Capitibus pepercit. Periere Dux Lermensis, Campi Magister Generalis; Grimberganus Comes, Principis Oeconomus: & dignus immortalitate Marchio Aytona, supremus armorum Gubernator: inter ipsas Patrum manus mortui omnes. Hæc prima Castra sub Ferdinando Principe fuerunt. Ita apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 6. fol 815.*

Admirabilis in ægrotantium militum curâ.

AB EODEM *Cuius de nobis, Missioneque Castrensi testimonium, an præconium, iam Orbis audiuit. Quin etiam grates (quod vix dicu modestia nostra sinit) grates, inquam, de præstita in Castris opera dig-*

Et in Missione Castrensi.

natus

natus agere coram Nobilitate, coram Tribunis & milite, quantum Patribus tribuit honoris, tantum & stimuli ad difficultates exhauriendas, ad superanda pericula, ad mortem ipsam, si ex Regis Catholici, ex Religionis vsu erit, oppetendam addidit Societatis amantissimus Princeps. Sic Ibid. fol. 817. *Cuius in eamdem Societ. beneuolentiam magna testimonia partim expressa literis ad fratrem Philippum Regem datis manifestant; quæ non ignota habent Belgæ. Ibidem fol.* 888.

2. A LEOPOLDO *Austriaco Archiduce, qui nostris lætus incrementis, ad Albertum Principem literas dedit, quarum aliqua pars hæc erat.* Magnam animo voluptatem capio, cum ex optimis viris intelligo, tantum in dies iuuentutis, & ingeniorum delectum ad Christi signa sub huius Societatis auspicijs in Belgio vestro conuolare, vt vna Tirocinij domus tot Sacræ militiæ contubernalibus minime sufficiat. *Deinde Societatem obnixe commendans, inter causas hanc quoque ponit,* Quod cuique sit exploratissimum, sicubi dicta Societas toto Orbe Christiano liberam sua munia obeundi facultatem adepta est, ibidem semper Apostolicam fidem miris accessionibus amplificatam fuisse; contra vero, eos qui eamdem aut occultis cuniculis subruere, aut aperto Marte suis finibus exturbare sunt conati, incomparabili rerum suarum, ac præsertim Orthodoxæ fidei dispendio, temeritatis suæ pœnas luisse. *Hæc & plura Leopoldus vbi supra fol.* 888.

In iuuentutis educatione.

Et fide Catholica amplificanda.

3. AB ALBERTO PRINCIPE, *cui hæc à Leopoldo scripta tantopere probabantur, vt tale ille de nobis responsum daret.* Sane, *inquit*, certum est, Societatem illam Ecclesiæ Dei, & nostræ Religioni verè Catholicæ, non laboribus, non vitæ parcendo, prodesse quamplurimum, & eamdem quaquauersum toto terrarum Orbe propagare, & restaurare. Quapropter æquum est, vt eiusdem Societatis obsequia agnoscant omnes Principes, & populi Catholici. Nos quidem hactenus ea de causa Societatem hanc singulariter commendatam habuimus, & in posterum, quidquid ad eius tutelam, & incrementa potesimus,

Pro qua restauranda, nec vitæ, nec laboribus parcit.

Ideo ab omnibus Principibus, & Catholicis æstimanda.

rimus, libenter impendemus : nec Officio nostro pro viribus vmquam deerimus, dabimusque operam sedulò, vt eadem Societas celsitudinis vestræ tam amicâ & fidâ commendatione, quandocumque sese obtulerit occasio, perfruatur. *Hæc Albertus, qui nec magnificentius promisit patrocinium suum, quàm præstitit. Vt enim Collegiorum pleraque taceamus, de Ruræmundano certè susceptâ singulari curâ, ad Hermanum Comitem Bergensem Geldriæ Prouinciæ Præfectum ita scripsit aliquando.* Negotium, *inquit*, illud mihi admodum cordi est, ob fructum eximium, qui inde diuina opitulante gratia exspectatur, sigilatim ob bonam iuuentutis institutionem hocce tempore tot hæresibus deprauato : quem fructum non solum Ruremundana mea, sed & omnes aliæ ciuitates vicinæ, & in primis Venlona, vtpote proxima, maximeque populosa participabit. *Hucusque tantus Princeps. Ibid. fol.* 888.

Eximij fructus ex eius Collegijs.

Archid. Caroli benignitas in socijs excipiendis.

4. A CAROLO *Archiduce Austriaco : in Styria Collegium, quod ille diu exoptabat, Græcij constitutum, duodecim initio incoluêre : Princeps postridie quam aduenerant ad se socios aduocat, porrectâque gentis more dextera, atque omni benignitatis genere excipiens, ac lætitia gestiens, initium in hæc verba loquendi fecit.* Potestis, *inquit*, mihi merito credere, me desiderio desideraſſe hunc aduentum vestrum. *Postque multa, quibus de ea re sibi ipsi gratulatus est, addidit :* Principio quidem non deerunt vobis difficultates, siquidem eritis veluti oues inter lupos : sed persuadeatis vobis, me fore vobis patronum, & Patrem, & omnia. *Ingentis animi amor, & beneuolentia hæc est. Ita Par. 4. Hist. Soc. lib. 1. n. 73.*

Societati benefacere, est de Rep. benemereri.

5. A PRINCIPIBVS *Annonimis etiam Austriacis : quorum fauor, ac beneuolentia in Societatem eò excreuit, vt nisi magnitudinis pietatisque suæ rationem habuissent, modum excessisse videri possit. Igitur in eam opinionem venerant inclyti & rei Catholicæ, ac Societatis studiosissimi Principes, vt* cum nobis benefacerent, *crederent*, se de Republica bene mereri. Collegia pro Vrbium præsidijs habebant : neque tutiorem armis quam nostra vigi-

Eius Collegia vrbium præsidia.

lantia

lantia Religionem, *existimabant. Sic in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 2. cap. 4. fol. 212.*

Socijs adnumerari expetit Lusitani Regis frater.

6. A Lvdovico *Ioannis III. Lusitani Regis fratre, ac Principe sereniſſimo, qui de capeſſendo communi cum ſocijs vitæ genere, ſerio cum Borgia, conſtanterque deliberauit: perfecturus haud dubiè, niſi Ignatius primo, ratus futurum magis è Dei gloria, ſi talis vir è fratris Regis latere non diſcederet; tum etiam præpropera mors votis ſanctiſſimis tanti Principis interueniſſet. Quod non parum facit ad commendationem Societatis alte impreſſam animis, & affectibus Luſitanorum Principum. Ita Ibidem lib. 5. cap. 9. fol. 657.*

Sub eorum diſciplina Sigiſm. Rakoci Tranſyluaniæ Princeps educatus.

7. A Sigismvndo *Principe Tranſyluaniæ qui indolem præferebat, quam fingi votis poſſet egregiam, ac religionis veræ ſtudium ſupra ætatem. Leleſius noſter ad eius inſtitutionem videbatur factus diuinitus: adeo & amabatur, & colebatur à puero: ſub eius Magiſterio, audebat ille (quod neceſſe erat inter omnia hæretica) murum ſe opponere pro domo Dei. Ita Par. 5. Hiſt. Soc. to. 1. lib. 4. num. 66.*

Eius ergà Societatem ſtudium: quam defendit contra tumultuantem plebem.

Porro Sigiſmundus cum ætatis acceſſu ad omnem proficiebat virtutem, qui ſuum ſtudium erga Societatem, & Catholicam fidem egregijs literis, per quas de ſupplemento Sociorum miſſo Patri Generali gratias agit, oſtendit: oſtenditque magis cum Societas in Tranſyluania à tanto Principe, & Senatu defenditur contra tumultuantem plebem. Ita Ibidem lib. 7. num. 44. & 46. Et cum Hæretici conantur Hæreticum Hominem Principi Magiſtrum obtrudere: illius conſtantia in eo recuſando fuit maxima: totumque certamen ſuo mox Magiſtro Leleſio per epiſtolam declarauit, hac appoſita clauſula. Iam facile poteris coniicere, qui ſimus futuri in religione Catholica defendenda, & propaganda, cum tam fortiter, & conſtanter (liceat nobis aliquid, mi Pater, de nobis prædicare) reſtiterimus eorum conatibus. Optime vale. Albæ Iuliæ 12. Iulij. *Sic Ibid. lib. 8. n. 45.*

Constantiæ Principis in Societatis Magiſtro retinendo.

Et in Rege Tranſyluaniæ conſeruando.

Ab Eodem: *Cum Engedini Prouincialis haberetur Conuentus; multis diebus à Caluinianis, & Arianis acriter declamatum, vt tandem religionis cauſa tractaretur, & Societas, vt Idololatriæ Semina-*

minarium, exturbaretur à Regno Transyluano. Oratio Patrum Societatis ad Principem in Comitijs habita, satis fortis neruosaque contra Hæreticorum contumaciam. Satis per se animatus erat ad defendendam & Societatis, & religionis causam Sigismundus, nec parum animi illa oratione accessit: Iurasse dicitur, Se cum Societate pariter, vel occasurum, vel discessurum. *Et ad Prouincialem Campanum scripsit*, se Patres, ac Religionem, vel cum Regni, & vitæ suæ iactura tegere conaturum. *Sic Ibidem lib. 8. num 49. Sed tandem Hæreticorum astutijs decernitur Societati exilium è Transyluania: quorum admotus terror Principem ipsum Sigismundum vel inuitum adegit, vt impio Decreto subscriberet. Non permittitur, vt quisquam sociorum in Transyluania maneat: etiam Lelesius, qui Principem à prima pueritia educarat, æger, & morti proximus summa hieme Alba eijcitur. Oratio discedentium Patrum ad Principem doloris, & amoris plena fuit: quibus eiusdem Principis Sigismundi nomine responsum est*: Agnoscere eum se ab Societate ad omnem virtutem, & pietatem recte fuisse institutum, & in literis eorumdem opera non mediocres progressus feciſſe. Causam ejectionis fuisse Regnicolas, quibus obsistere Princeps nequiuerit, cum magnam habeant libertatem prout voluntas tulerit, decreta condendi: futurum se perpetuò sui similem; inque fide Catholica permansurum. *Dedit abeuntibus in Viaticum bonam pecuniæ summam: deinde adiecit literas, quibus fidem faciebat*, dimissos, quod ferre eos religionis causa Nobilitas nequiuisset. *Ita Ibidem num. 66. & 67. Integrum tamen de horum Patrum innocentia testimonium inuenies apud P. Gredserum in libro aduersus Melchiorem Guldinastum Caluinianum replicatorem. cap. 2. pag. 19. Quod ne temporis lapsu cinerescat ad futurorum memoriam hic ad literam transcribere operæ pretium duxi; & sic se habet.*

Etiam Regni & vitæ discrimine.

Sed tandem decretis Hæreticorum de nostro exilio inuitus subscribit.

A Societate in omni virtute ac literis se educatum fatetur.

Viaticum Patribus exulantibus dat:

Et perhonorificum de eorum virtute, ac innocentia testimoniũ.

Nos Sigismundus Rakoci Dei gratia Princeps Transyluaniæ, partium Regni Hungariæ Dominus, & siculorum Comes, &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit vniuersis; quod cum superioribus diebus Reuerendus Dominus

minus Ioannes Argenta Societatis IESV, antea in Transyluania Prouincialis in hoc Regnum Transyluaniæ eam ob causam venisset, vt à nobis, & subditis nostris in dicto Regno nostro Transyluaniæ, & partibus Hungariæ ditioni nostræ subiectis impetraret, in propria residentiæ suæ loca olim à D. Stephano Rege Poloniæ Magno Duce Lituanię ac Principe tunc memorati Regni Transyluaniæ fundata, simul cum reliquibus Patribus, ac Magistris eiusdem Ordinis regredi liceret, eam rem in Comitijs Regni Claudiopoli ad decimum diem mensis Iunij præsente anno celebratis, diu multisque agitatam numero, & multitudine Catholici ab aduersarijs eorum superati consequi non potuerunt. Vnde Nos præsentibus nostris testificamur, eosdem Patres Societatis IESV, vt bonos, & morum integritate graues viros ex suis Collegijs, bonisque non ob vllum delictum, aut notæ alicuius vitium, verum ad instantiam Romanæ & Catholicæ fidei contrariam opinionem sequentium esse deturbatos, exclusos, & in alia loca demigrasse coactos: prout testificamur harum nostrarum vigore, & testimonio literarum mediante. Datum in Ciuitate nostra Coluscuar die 26. mensis Iunij, anno Domini 1607. *Hucusque Principis Rakocij de virtute, ac innocentia Patrum Iesuitarum è Transyluania, Hæreticorum astutijs, exulantium, celebre, ac perhonorificum testimonium.*

CLASSIS V.

A DVCIBVS, MARCHIONIB. ET COMITIBVS.

Literæ Bauariæ Ducis in Societatis commendationem.

1. AB ALBERTO *Duce Bauaro literis ad Generalem Laynium de Monachiensium Sociorum feruore, quem summo Princeps cum animi sui gaudio cernens, ad plures alendos subsidium à prædicto nostro Generali precatur his verbis in summam illorum, Societatisque commendationem.* Ex literis (*inquit*) quas de mittendis ad nos è Societate vestra viris anno ad te proximo dedimus, satis, vt remur, constat quid de vniuersâ Instituti vestri ratione nobis persuasum sit; quantum inde labenti Christianæ rei commodi polliceamur. Nec sane nos spes ista fefellit vnquam. Illi enim ipsi de Societate vestra, quos nuper ad nos misisti, ita se primo statim aditu composuerunt, vt & vitæ sanctimonia, & in docendo mira felicique alacritate ceteros suos fratres Collegij Ingolstadiensis laudabili quadam & Ecclesiæ Catholicæ vtilissima æmulatione velle viderentur vincere: & nunc iactis feliciter fundamentis publicis concionibus, & & priuatis exhortationibus rem fortius tentant. Quassatos Vineæ Domini muros ita sine intermissione reficiunt, vt non modo furiosus ille aper, egregiè ab uuis arceatur, sed vineam ipsam seminibus noxijs, & sentibus perpurgatam spes sit puriorem conseruari haud difficulter posse. Ex his vestris Seminarijs primitiuæ Ecclesiæ faciem iam iam contueri incredibili gaudio gestimus. Quis enim nisi sit ipse quoque communi, qui totum pene Christianum per Orbem grassatur, morbo infectus non lætetur ex animo insanam Hæreticorum

Cuius filij quassatos vineæ Domini muros reficiunt.

Et seminarijs primitiuæ Ecclesiæ faciem restaurant.

ticorum pertinaciam ſumma eruditione, innocentiaque vitæ Tuorum tandem infringi? Vere igitur ac merito Tibi gratulamur talium filiorum Parenti, in quibus reuiuiſcentis Religionis, extirpandarumque Hæreſum vna firmiſſima ſpes conſiſtit. Ceterum in hac noſtra lætitia vnum eſt, quo vehementer commouemur. Cum enim verè credentium, qui in dies magis, ac magis augetur numerus, id efficiat, vt præter quotidianos in ſchola docendi labores plurimum ſit in Templis quoque concionando, faciendo, impertiendoque diuina ſacra, & infinitas piorum confeſſiones audiendo, parumque confirmatos fideliter edocendo deſudandum, valde veremur, ne pauci iſti Tui Operarij tanto oneri diu ferendo non ſint. Rogamus igitur clementi ſtudio, quemadmodum etiam Superioribus noſtris literis ad Te contendimus, vt occupatiſſimorum, & ipſo ſub pondere collabentium filiorum miſertus, plures in hanc copioſiſſimam meſſem emittas, qui cum illis, qui iam hic ſunt, integrum Collegium conſtituant; cui nos quidquid erit neceſſe ita ſuppeditabimus, vt & noſtrum in Venerabilem iſtam Societatem Veſtram amorem plane iterum teſtemur, & ſacroſancta Catholica Religio domicilium apud nos perpetuum habere poſſit. Viaticum etiam ad Caniſij arbitrium præſto erit. *Hæc optimus Princeps, in Par. 2. Hiſt. Societat. lib. 4. num. 123.*

Hæreticorum pertinaciam ſumma eruditione, ac innocentia vitæ infringunt.

In eis teuiuiſcentis religionis, & extirpandarum hæreſum ſpes conſiſtit.

Varia eorum miniſteria.

2. A LOTHARINGO *Duce ad Mußipontani Collegij Rectorem ſcribente.* Ego (*inquit*) Barrum (*vrbs eſt Ducatus Barrenſis caput*) ea vel præcipua vel ſola mente feſtino, vt Collegium, quod ibi tenetur à ſæcularibus Præceptoribus, veſtris tradendum curem: quo enim alio remedio fidem in illis locis partim inclinantem, partim iam collapſam in integrum reſtituendam non video. *Sic Princeps Sereniſſimus in Annal. Societ. anno 1607. fol. 504. Et Ibidem eidem Rectori atteſtatur*; Quod Religio Chriſtiana ſtaret in Lotharingia, id ſecundum Deum Societatis operis, ac laboribus ſe referre acceptum. *Ita ille in Annal. Soc. ann. 1607. fol. 502.*

Qui fidem, vel inclinantem, vel collapſam in integrũ reſtituunt.

Sabaudiæ Ducis in Societatem beneuolentia.

3. A CAROLO EMANVELE *Sabaudiæ Duce Sereniſſimo, qui ſcripto teſtatum reliquit, vt omnibus de ſumma ſua erga Societatem beneuolentia conſtaret*, Tota ſua Ditione velle omnium Noſtrûm capiti æquè ac ſuo cautum eſſe. *Hæc tantus Princeps in Annalibus Societatis anno 1612. fol. 139. in quibus non maiorem de Ea exiſtimationem euulgare potuit.*

Fauor inſignis Bauariæ Ducis in Societatem.

Litera ad Pontificem eius manu ſcripta.

4. A GVILIELMO *Bauariæ Duce, qui cum vidiſſet mœrorem, & metum Societatis ex immutato Sixti Pontificis animo erga illam, ita hac de cauſa laborauit, ac ſi de toto eius ageretur Dominatu: literas ad Pontificem ſua manu has dedit, fauore inſigni plenas in Societatem.* Beatiſſime Pater. Præclara venerandæ Societatis IESV in Catholicam Religionem merita, eiuſque in his Germaniæ partibus, vel reſtituendæ, vel conſeruandæ labores, ac ſtudia nouis quotidie occaſionibus, felicibuſque ſucceſſibus ſic à Deo benedicuntur, vt non raro diuinam Prouidentiam in illis ego quidem ſuſpiciam, ac deprædicem, qua calamitoſis hiſce temporibus Eccleſiæ à Deo miſſi, ſtrenuos in illa, ſummeque neceſſarios ſe operarios exhibent: mihi vero, terris ac populis meis, quibus hiſce Patribus, illorumque laboribus frui contigit, plurimum gratuler, nihil magis exoptans, quàm vt Inſtitutum adeo ſalutare faciem illam conſtanter retineat, qua non parum Chriſti ſponſa Eccleſia hactenus recreata, nouoque fœtu multiplicata fuit. Quod propter Apoſtolicæ Sedis robur, quo hæc Societas, & Religio firmata eſt, felicemque eius Inſtituti curſum ſemper mihi firmiter perſuaſi, neque nunc quidem ſecus vt accidat, diuinam bonitatem permiſſuram confido. Patrum vero qui in his partibus rei Chriſtianæ dant operam, contrarium quemdam timorem non abſque animi mei moleſtia his ipſis diebus ex ipſiſmet didici, cum de neſcio qua innouatione in eorũ Inſtituto forte facienda dolentes mihi ſignificarent, atque ad eam nouitatem inducendam Sanctitatem Veſtram à quibuſdam non parum incitari. Quoniam verò Sedis Apoſtolicæ auctoritate, & defenſione, vel vnica eorum Societas in primæua

In quibus Societatem laudat, ac filios.

Et inſtituti rationem defendit.

mæua sua integritate, puritateque hactenus perstiterit : & contra quoscumque eam impugnantes, vel in dubium ipsum Institutum vocantes se tutata sit, quo animo iam esse; quid ve sibi polliceri debeat, cum Sanctitatem Vestram Institutum aggredi, & mutationem in eo facere velle intelligant. Ego vero Beatissime Pater, non tam Patrum istorum nomine, quibus tam propter fidelem, quam mihi, populisque subiectis nauant operam plurimum debeo ; quàm propter religionem ipsam Catholicam illis in his partibus potissimum innitentem, pro mea erga Sedem Apostolicam obseruantia ; & tranquillitate Ecclesiæ status, zelo, ac desiderio, non possum non Sanctitati Vestræ debita cum reuerentia, animique submissione aperire qualemcumque huius Ordinis Societatis hoc tempore perturbationem, absque euidenti religionis Catholicæ in his partibus detrimento accidere non posse. Quæ ex eorum Instituti immutatione, vel innouatione non tam ipsorum Patrum affirmatione, quàm mea quoque sententia, maxima cum sit futura, eam Sanctitas Vestra pro suo erga Christi Ouile amore, ac studio præcauere vt velit, etiam atque etiam submisse rogo. Illud præterea perpendere, ex Instituti Societatis per Sedem Apostolicam hoc tempore innouatione, vel aliqua mutatione, tum frigidos in Germania nostra Catholicos, tum obstinatos Hæreticos, in concepta contra Ordinem Societatis opinione non parum confirmandos fore. Qua Catholici dissolutiores, præsertim Ecclesiastici, virtutum splendorem, & vitæ exemplum horum Patrum non ferentes, cum in vita, & moribus eorum nihil carpere, & reprehendere possint : Institutum ipsum, eiusque procedendi rationem in dubium vocare solent, Ordinisque Societatis dilatationem in his partibus impedire ea ratione, vel à se hanc Religionem arcere conantur. Qui tamen facile Sedis Apostolicæ auctoritate, qua Religio hæc Clericorum Societatis IESV iuxta totam suam rationem sibi propriam, & primo Institutam, & toties postea per summos Pontifices, vt etiam

per Sacrum Concilium Tridentinum approbata fuit, repressi hactenus fuerunt. Hæretici verò nonnulli ab alijs Hæreticis, qui Iesuitas & ipsi vocant fidelissimos, & iuratos Papæ defensores, & Ministros proclamant, & propterea cane, & angue peius oderunt dissentientes: inter alia quæ contra Societatem perperam effundere solent, Iesuitas nec Catholicos quidem, sed nouam quandam sectam esse apud suos pronunciant. Quantum iam Beatissime Pater, vtrique dispari ratione licet, in pernicioſa sua, falsaque opinione confirmabuntur, si intelligant Societatis Institutum in dubium à sanctitate Vestra vocari; quædam in illa innouanda, & immutanda esse. Quam gaudebunt in Sinum suum religionis Catholicæ, huiusque Societatis aduersarij? Cum luctu quidem Societatis, detrimento verò Ecclesiæ, pro qua tam fideliter hi Patres laborant, vitam quoque & sanguinem pro illâ exponentes. Ac certè Sanctitas Vestra mihi credat, nihil periculosius Ecclesiæ in his partibus excogitari hoc tempore posse, quam si Patres Societatis in suis functionibus, quas iuxta suum Institutum pro Ecclesiæ bono hic exercent, remitterent, aut propter mutationem in eorum Instituto factam, cum pristino Societatis spiritu, ac feruore illas non obirent. Cum propterea Societas hæc erga Sedem Apostolicam in eius auctoritate apud quoscumque ex peculiari Instituti sui ratione tuenda, & persuadenda fidelissimam se hactenus exhibuerit; vt tum Regna, & populos ad illius obedientiam & subiectionem adduxerit, tum Principes quoque Catholicos ad debitam erga eandem obseruantiam, & ad deuotionem permouerit, nec in hoc genere finem faciat: ac nisi Sedis Apostolicæ per ipsam auctoritate magis, magisque amplificata, crescere se non arbitretur, omnem vicissim ab eadem Sede protectionem mereri videtur, qua non tantum à Sanctitate Vestra ipsum Institutum omnem erga se fauorem, Apostolicamque benignitatem experiatur, verum etiam Sanctitatis Vestræ auctoritate ora ei obloquentium, vel quid noui contra illud à

tot

tot summis Pontificibus confirmatum molientium retundantur. Quare Beatissime Pater submissè iterum rogo hocce Religionis Catholicæ in his partibus fere vnicum præsidium, laudabilem hanc Societatem, ea ratione tueri nobis, vt velit, ne circa eius salutare, totique Ecclesiæ proficuum Institutum vlla ratione perturbari, vel contristari eam sinat: quin potius id suorum Prædecessorum exemplo in sua pristina integritate conseruando, ac tuendo, fructu, & incremento Religionis Catholicæ ex eorum ministerio plurimum se gaudere declaret. Neque enim latebit Sanctitatem Vestram similia contra Societatem ab aliquibus parum bono zelo ductis apud alios summos Pontifices esse tentata aliquando, mutationemque, seu nouitatem in Societatis Instituto valde sollicitatam fuisse. Quæ tamen sanctissimi Pontifices altiore intellectu ponderantes, parum ad Ecclesiæ vtilitatem accommodata intellexerunt, & loco nouitatis petitæ ipsum Institutum, totamque illius rationem, nulla in eo mutatione facta, de nouo confirmarunt, pluribusque priuilegijs ornarunt. Quod item à Sanctitate Vestra pro flagranti ipsius boni communis desiderio mihi pollicebor, & communem tum Religionis huius, tum Principum Catholicorum in his partibus consolationem in hac causa humiliter expectabo. Sanctitati Vestræ me perquam humillimè, omnesque meos commendans. Datæ Monachij 29. Martij 1589. *Sic ad literam referuntur hæ literæ Part.5.Hist.Soc.Tom.1.lib.9.n.22.*

5. AB OCTAVIO *Parmensi Duce Clarissimo, qui falsis præoccupatus sermonibus aduersus Societatem, acerrimè Collegio Parmæ constituendo semper obstiterat, mirè tandem mutatus, Ioanni Guerræ Collegij Mutinensis Rectori Parmam accersito, aperto capite, valdeque commotus hæc verba locutus.* Tametsi (*inquit*) doleo Pater, quod morbus Comitis mihi Charissimi causa tibi Parmam veniendi fuerit, tamen aduenisse te summè lætor, quod in salutem animæ meæ, meique huius populi aduentum istum video destinatum à Deo fuisse. Ac priusquam alia dico, ex

Parmensis Ducis mira in Societatem mutatio.

Te,

Te, totaque vestra Societate veniam ex animo precor, quod adhuc ne Parmam Religio vestra veniret, obstiterim, deque ea secus ac debui opinatus sim. Nunc quando per hunc Comitis acerbum casum sapientiæ diuinæ placuit, aperire mihi oculos, vestramque innocentiam facere manifestam, toto vos animo complector, ac veneror; Teque etiam atque etiam rogo, vt me ad Collegium hac in Vrbe vestri Ordinis instituendum adiuues. Nam quod ad hanc diem repugnauerim, tantumque huic populo bonum per me interuersum sit, nequaquam petenda solum venia expiari potest, nisi & amore erga vos, & sedula Collegij procuratione, præteriti vsuram temporis, quantum fas est, resarcire coner. Ego quidem quoniam prior repuli, repulsa dignus sum: sed vos confido, quid vestra virtute, & professione dignum sit, potius respecturos. *Hæc multaque alia, nudo, vt dixi, capite summa benignitate, atque constantia Princeps clarissimus elocutus vt constat ex eadem 2. Par. Histor. Societat. lib. 8. num. 61.*

Eius Collegia arcibus munitissimis antelata.

6. Ab Alexandro Farnesio *Parmæ Duce, Gubernatoreque in Belgio, fortissimo, asserente,* Se Societatis Iesv constitutum in aliqua Vrbe Collegium Arci munitionibus validæ, & à milite omnique apparatu bellico instructissimæ anteferre. *Hæc Princeps inclytus ad Philip. II. apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. Orat. 5. fol. 432. Rationemque dabat. Religiosi Societatis per Scholas, conciones, & alia ministeria docebunt ciues, eisque instillabunt veram fidem, obedientiam, & amorem, quem debent, non tantum Deo, sed & suo Principi, quem Deus eis præfecit, suumque Vicarium constituit, vt eum quasi talem colant, & ament. Validior autem obedientiæ, & principatus custos est amor, quam timor, qui cum sit violentus diu durare nequit &c. Persuasit hæc ratio Regi, qui consilium Ducis secutus, mandauit ei, vt locis opportunis Collegia Societatis fundaret magno & Belgarum & Regis bono. Ita app. Cornel. in 1. Epist. S. Petr. cap. 2. vers. 13.*

Et cum in propugnanda Religionis atque Regis causâ triumphale per Belgas signum explicabat Heros inuictissimus, in pugnarum suarum,

rum, & triumphorum fructum, ipsa quoque Societas, illo iubente, veniebat. Ita in cit. Imag. lib. 6. fol. 887. constat, eundem Serenissimum Principem promouisse hanc Regis beneuolentiam, hausto à Matre Margarita Austriaca in nos amore, quem eximium, semperque crescentem exercere nunquam destitit. Et præter alia. Id Regi auctor fuit, magnis vt Vrbibus imponerentur Patres, *testatus*, Ad retinendos in Regis fide Belgas Societatis Collegia plusquam Castella valitura. *Et Traiecto ad Mosam, & Ipris Flandrorum recuperatis, cum in pœnam arces præsidiarias imperare posset*, eas se, *dixit*, in Societatis IESV domicilia commutare. *Et tandem fol.* 897. Tot *ille* Arces ad Hæreticorum ausus retundendos, quot Sociorum Collegia se numerare gloriabatur. *Tanta tanto Duci erat de nobis existimatio, tanta de Societate, de Collegijs, quæ non affectu solo, sed præcipua quadam liberalitate subleuabat.*

Et ad retinendos in Regis fide Belgas plusquam Castella valitura:

Et ad Hæreticorum ausus retundendos.

7. A MARGARITA *Serenissima Odoardi Parmensis Ducis egregia vxore, quæ super cœnam, ijs qui fabulam narrabant de iuuene Florentino ab vno è Nostris mortuo, dixit*, Crediturum se facilius à Iesuita suscitatum mortuum, quam viuum hominem occisum fuisse. *Qua voce præclaram Serenissima Princeps in nos humanitatem declarauit suam, & narrantium leuitatem castigauit egregie. Ita apud P. Rho Apolog. aduersus Pseudo Constantin. fol.* 189.

Celebre Margaritæ dictum in Societatis commendationem.

8. A CAROLO GONZAGA *Niuernensi in Gallia Duce asserente*, longe aliud esse iudicium de Societate, hominum sanâ mente res æstimantium, vt quam longo vsu constaret, vtrisque rebus, & Religioni, & Politiæ admodum esse vtilem. *Ita in Annal. Societ. anno* 1612. *fol.* 558.

Quæ vtilissima est Religioni, & politiæ:

9. AB ALBERTO BAVARIÆ DVCE, *Qui dum Archiducis Caroli filiam Mariam duxisset, id moniti genero Socer sapiens, sapienti dedit*: Quod pertineret ad Religionem, si conseruatam eam, ac restitutam vellet, non vnum Græcij, sed quàm multa posset in suis Prouincijs Collegia SOCIETATIS excitaret. *Ita ille Par.* 3. *Hist. Soc. lib.* 7. *num.* 55.

Et eius Collegia ad Religionem conseruandam ac restituendam.

AB EODEM, *Qui assiduè ad studium Catholicæ Religionis addens, Ingolstadiensi Collegio nouum attribuit in Academiâ munus, & Sociorum subsidium postulauit, ad nouum Landishutæ Collegium, vbi Guilielmus Dux filiorum maximus degebat ædificandum, & litterarum ingressum hunc fecit.* Cum nouo subinde merito, noua virtutum dignitate, gratiam, fauoremque nostrum sibi demereatur deuota Saluatoris IESV SOCIETAS, æquissimum arbitramur, vt ad omnem illius commoditatem, honorem, & quietem eò plus studij & patrocinij conferamus, quò totum illud eius Institutum Ecclesiæ Catholicæ vtile magis, & necessarium cognouimus. Ac nostra certè Bauaria restitutæ auitæ pietatis, quam præsentium temporum morbi nonnihil labefactarant, magnam partem SOCIETATI debet. Nos ipsi ita diligimus eam sincerè, vt nihil tam cupiamus, quam plura eiusdem Collegia, & eorum, quæ iam erecta sunt, maiorem & auctoritatem & dignitatem. *Hæc Nobilissimus* SOCIETATIS *Pater ac Patronus Albertus. Ibid. lib. 7. numer. 64.*

Eius Institutum Ecclesiæ Cathol. vtile, ac necessarium.

Illi auitam pietatem restitutam Bauaria debet.

10. A PETRO DE ARAGON *Filio Ducum de Terranoua Oratione de Beatificat. S. Ignatij, quæ habetur in Libro festorum Salmanticensium in eiusdem Beatificat. fol.* 193. *col.* 2. Quas igitur (*inquit inter alia multa*) Ignatio pares tanto (*Societatis*) beneficio grates Respublica Christiana persoluet, muneris huius ornata pulchritudine? honestata præstantia? quibus honestabit obsequijs, & æternis Panegyricis posteritati commendabit? Certe nulla erunt satis, & perperam semper pro dignitate celebrabitur is, qui amplissimam hanc Societatem, & IESV semper virtutibus Sociam, augustissimum omnium oculis datum Sanctitatis Domicilium cælo gratissimum, nobis autem perfugium salutare, è fundamentis feliciter erexit Christianæ Religionis penè corruentis tutissimum, & mundi pereuntis Asylum: ex quo quot eximia admiranda Sanctitate Illustres filios ab hac radice propagatos, ab hac firmissima Petra excisos vidimus? Martyres, Doctores, Prædicatores, Virgi-

Laudatur in Ignatio Societas.

Quæ est Sanctitatis Domicilium cælo gratissimum.

Christianæ Religionis pene corruentis & mundi pereuntis Asylum, Isai. 51. 1.

Virgines, qui & si Sanctorum Catalogum pretiosum proprijs nominibus non exornent, multis tamen & virtutibus, miraculis celebres, cælestibus excepti orbibus veluti nitidissima sydera collucent, & diuinæ aulæ inter primos assecias in ea triumphalibus insigniti ornamentis incolumes, & glorioſissimè liberi commorantur. *Et postea fol. 149. col. 1.* In illa enim Societate (*inquit*) veluti in glorioſissima Palma exacte, & vere expressa inueni, quæ de arbore fortasse tantum glotioſe prædicantur. Hanc enim Christi Comitum Sanctissimam Societatem falsissimorum criminum, iniusto sane, sed grauissimo oneratam pondere nunquam, nec hominum vires, nec Dæmonum artes deflectere potuêre: sed illo potius non onere oppressa, sed honore sublata Societas ad sublimiorem gloriæ apicem ascendit, maiorem adepta est dignitatem, eius in ortu clarissimo & veluti in vna parte, & aridis multis corticibus, dum innumeris calamitatibus, & acerrimis insectationibus angusta deprimitur. In summo vero illa singulari gloria, & innumeris laudibus quasi pulchræ viriditatis folijs amplitudine diuinæ retributionis expanditur. Hæc, inquam, Palma non in terris fortis, in cælestibus debilis vnquam apparuit: sed econtra in terrenis debilis longe studioſior se præbuit Deo, quàm sæculo. Neque ligniculum osseum pretiosum illi deesse poterat, quæ tot inuidis suæ pulchritudinis veluti fascinantium oculis semper expositam, dum eam fictitijs calumnijs fædare, commentitijsque criminibus contaminatam deturpare, & aduersis fortissimis viribus oppugnare, vndique conarentur. Illa sola perfectione munita vanam criminum Chimeram, & molem sua innocentia labefactauit, ac solo euertit, eò virtutis vi celsior, atque sublimior, quo calumniarum pondere, videbatur depressior. Ex hac triumphali Palma cælestis ille ignis Charitatis Ignatius erupit, ac prodiit, & in dies incensos, & innumeros veluti carbones eodem diuino, & hominum amore fœcunda euomet conflagrantes. *Et tandem*

Ex quâ velut ex firmißimâ Petra excisi eximiâ Sanctitate illustres filij.

Qui velut nitidißima Sydera collucent.

Est glorioſißima Palma, quo magis calumniarum pondere oppressa, eo sublimior.

Eius foliæ innumeræ laudes, & singularis gloria.

Ex Ea cælestis Ignatij Ignis erupit.

A quo velut Sole, ipsa vt Luna lucẽ mutuatur.

Et inter vitiorum caligines lucidior splendet.

Continuo crescens, nunquam defectus patitur.

Eius filij in hac vita vt sydera in die latent, & in mortis nocte micant.

Quanti illos fecerit Aytonensis Marchio.

Quanti Missionem Castrensem Spinola.

concludit. Ex hoc autem coruscante & Clarissimo (*Ignatij*) sole, argentea huius amplissimæ Societatis, non secus ac Luna pulcherrimam illam, & cælestem mutuata est lucem, qua in ignorantiæ, & flagitiorum tenebrosa noctis caligine semper mortalibus præfuit lucidissima, eo tempore maximè micans, quo magis cetera vitiorum execrabili dissolutione videbatur obtenebrata. Quæ luna licet fulgentissima, & plenissima semper luce perfulserit, lunæ tamen caruit volubilitate naturæ, neque vnquam temporum est passa defectus, progressus tamen in dies, & incrementa est imitata feliciter. Multũ laxatis penitus affectui meo habenis in huius Clarissimæ Societatis laudes haud inuitus digrederer: sed ab incepto me reuocat opere eorum modestia, qui malunt laudabiliter facere, quam laudari. Et hoc proprium Societatis IESV, ac peculiare, vt diuinam gloriam laudari, Maiestatem toto terrarum Orbe perquirant, inuentam palam in luce collocent, suam tamen tantum abest expetere, quin potius passim illam in tenebris consepeliant. Sinamus igitur illos tanquam Sydera in die, hoc est in vitâ latêre: sua enim sponte in mortis nocte (illis tamen meridies) fulgebunt satis. *Hæc ille in summam Sociorum, & Societatis laudem.*

11. AB AYTONENSI *Marchione pientissimo æquè ac fortissimo Principe, quem capto Schenckiano in nosocomium ingredi parantem, ob loci angustias, & graueolentiam dissuadebat ingressum Sacerdos noster; cui ille,* Nihilo (*inquit*) meliorem me duco Societatis Patre: Tu quo intrare non times, cur ego timeam? *Sic ille apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 6. fol. 889. Vbi additur de Eodem nobilissimo, ac strenuissimo Principe, quod sub belli tempora non prius de milite, quam de secuturis militem Patribus cogitabat, prosperum sibi Martem promittens, si à diuinorum cura auspicaretur.*

12. AB AMBROSIO SPINOLA *Marchione celeberrimo, supremoque militiæ Belgicæ Imperatore, qui quotidianus, idemque grauissimus actionum nostrarum testis erat, ad Hispaniarum Regem scripsit pro seruanda nostra Missione Castrensi, suamque hac de re sententiam*

tentiam luculento scripto comprehensam Regi transmisit. Quas vbi literas accepit Rex Catholicus, ex eisque didicit, quanto suæ Maiestatis honore, quanta Ducum, militumque gratia, & quod caput, animorum vtilitate adhuc in castris versata esset Societas, quantis se confecisset laboribus, quod periculis obiecisset sola salutis alienæ causa prædictam Castrensem Missionem perpetuam esse voluit, &c. Sic Ibid. lib.6. fol.810.

13. Ab Alberto *Comite Palatino vtriusque Bauariæ Duce nominatissimo, ac serenissimo, nec minora, imo illustriora in Sociorum laudem scribente, quæ ille anno* 1560. *Scriptis ad Lainium Generalem literis consignauit in hæc verba.* Quis homo verè Christianus non gaudeat ex animo, videns perexcellentem filiorum Paternitatis Vestræ doctrinam, vitamque laudabilem, Hæreticorum vires debilitatas, & pertinatiam confusam ac pudefactam? de quo merito, tibi tanquam eiusmodi filiorum Patri, congratulamur, quorum operâ vnicè speramus hæreses tandem extinctum, & Catholicam Religionem restitutum iri. *Annuat Deus tanti Principis atque adeo totius Ecclesiæ voto tam pio. Hæc Ibid. lib.5. cap.7. fol.647.*

Sociorum doctrinâ, & vitâ hæreticorum vires debilitatæ.

Hæreses restinguendæ, & religio Catholica restituenda.

14. Ab Oropesano *Comite asserente*, Pluris se facere Collegij nostri Oropesani patrocinium (*est enim illius Patronus*) quàm ditionem totam à Maioribus acceptam. *Quæ maior de Societate existimatio à tanto Principe posset emanare. Sic in Annal. Soc. ann.* 1605. *fol.*220.

Societatis Collegium suæ ditioni præponebat Oropesanus Comes.

15. Ab Hermano *Comite totius Geldriæ Gubernatore aliquando Archiduci Alberto, ingenuè fatente*, Se Collegium vnum Societatis in Geldria arcibus à milite, omniq; apparatu bellico instructissimis anteferre. *Ita in Annal. Soc. ann.* 1610. *fol.*297.

Et instructissimæ arci Hermanus.

16. A Ferdinando Silva *Comite Cifontano, magno apud Carolum V. loco, à quo & filiarum custos, quas Infantes appellant, & totius illius Curiæ quasi Magister est factus, de Patribus nostris talem, ac tantam opinionem hauserat, vt cum eos adiret, illud ferè haberet in ore*, Conferamus nos ad Clericos sanctos. *Sic ille Par.*1. *Hist. Soc. lib.*5. *n.*66.

Socij antonomasticè Clerici Sancti.

17. A MARIA SANCTA SEVERINA *Vrbis olim Olanæ Comite, Literis ad Lainium Vicarium sua exaratis manu pro fundatione Collegij Nolani.* Nolam (*inquit*) Ciuitatem, apud quam maximam & optimam Vitæ meæ partem exegi, quamdiu in ditione habui, multum amaui, quod semper erga me obseruantissimam experta sum. Nunc vero postea quam mea esse in potestate desijt, amo etiam magis. Cum enim nihilo me quàm ante obseruet minus, &c. Agitanti autem mihi assiduè quemadmodum tantorum meritorum gratiam queam referre, in mentem venit, si curarem: vt ciuitas libera, suique iuris esset, ac multarum præterea dominatu Vrbium potiretur, beneficium multo leuius fore, quam si ei Collegium è Vestris Patribus impetrare conarer, daremque operam, vt Dei famulos adeo communi Domino charos, ita proximorum saluti addictos, ad eamque curandam solertes, ac vigiles intra sua mœnia haberet, *&c. Hæc Vrbis Nolanæ Comes Sancta Seuerina; quippe nupta olim fuerat cum Henrico Vrsino (qui vltimus Comitum eam ditionem possedit) pietate non minus, quam generis Claritate nobilis Matrona. Par. 2. Hist. Societ. lib. 2. num. 76.*

Ciuitatem Eorum Collegio donare, maius beneficium est, quam plurium Vrbium dominatus.

Sunt Deo chari, proximorum saluti addicti, & ad eam curandam solertes.

18. A IVBARTO *S. Vitalis Comite Salæ Octauio Parmensi Duci unicè charo, qui pene iam exhalans animam Ducem aduocans falsis rumoribus Societati aduersum, sic est allocutus.* Ego (*inquit*) quàm verè Excellentiam tuam, ac sincerè coluerim, certiorem testem nullum habeo, quam Te ipsum: item me super merita mea benigne habitum abs te scio, atque profiteor. Itaque cum fides erga te mea, tum merita in me tua cogunt id supremis verbis effari, quod ne ignores, tua plurimum referre puto. De Societate IESV multa apud te iactata esse compertum habeo: quæ cum Ego falsa esse certo sciam, nolui moriens permittere, vt diutius bonæ tuæ menti imponerent, illuderentue imperitorum hominum, aut maleuolorum sermones. *Hic multas pro animi sui studio Societatis laudes cum recensuisset, adiecit.* Hæc Ego quia planè penitusque perspexi, & comperi loquor; Tuque ipse intelligis, nec mei moris vnquam fuisse

Societatis innocentia commendata.

fuisse fingere neque hoc tempus esse mentiendi. En vides, vt supremum meum spiritum horum manibus totum permiserim: & sane maximum illud summo hoc rerum articulo solatium habeo, quod talem mihi Deus adiutorem largitus est. Cetera, quæ apud te iactata sunt, quam longe à vero absint, hinc pro tua sapientia argumentum cape. Quod, cum vsque eo decantari audieris hosce homines in morientium insinuare se testamenta, ego cum sponte mea nescio quid Mutinensi legarem Collegio, id Rector simul ac audiuit, nullo modo fieri est passus. Itaque si incorrupta vnquam fidi hominis apud fidentem studia, quidquam momenti habuere, valeant apud ingenuum, ac nobilem animum tuum postremæ hæ voces, & hoc mihi nil fortasse aliud vnquam petituro concede. Da operam, vt huius Societatis Familia Parmæ statuatur. Confirmo tibi ex optimis, quæ facere aliquando possis factis id futurum. *Hæc ille Ibid. lib.8. num.60.*

19. * A FRAN. HVRTADO DE MENDOZA *Comite Montis Acuti, Præsideque Regio nomine in Concilio Prouinciali Salmantino ann.1566. qui aduersus Episcopum Placentinum Societatis inimicum, plurimum laudauit illius Institutum, procedendique modum, magnumque fructum, quem faciebat in Ecclesia Dei, ingens item iuuamen quod Prælatis præstabat*: Obligationemque habere (*tandem asserebat*) eam defendendi, ac propugnandi. *Sic Princeps nobilissimus Tom.4. Viror. Illustr. Societ. fol.641. in Vita P. Araoz. §.6.*

Eius Institutum laudatum, & propugnatum.

CLAS-

CLASSIS V.

A PROREGIBVS, SENATIBVS. ET SENATORIBVS.

Societas commendatur Vrbis Vicario:

I. A IOANNE VEGA *Castellæ Præside, ac Siciliæ Prorege, viro siue religione, siue bello, ac pace plane summo, nec vllis vnquam laudum præmijs adæquando, qui ex Oratore Cæsaris Caroli apud Pontificem Siciliæ tam Prorex ad Philippum Archintum Salassiorum Episcopum, & almæ Vrbis Vicarium in Ignatij, Societatisque commendationem scripserat: cui Vicarius ipse rescripsit.* Pergratum quidem sibi fuisse commendationis Officium; sed ita, si suum vicissim, cum commendaret Ignatium, & eius Familiam, pari animi affectu, voluntateque susciperet; venia insuper postulatâ, si cum eo de Societatis amore certaret. *Ita Par. 1. Hist. Soc. lib. 7. n. 1.*

AB EODEM: *Qui perseuerans semper in amore opinioneque Societatis, à Cæsare impetrauit, vt Abbatia, quæ prima vacaret, quingentos, sexentosve annui census ferens aureos Panormitano Collegio assignaretur. Et quoniam rescripserat Cæsar (is Carolus V. erat)* Et Cæsari. *Societatem, quam ei commendauerat, non satis cognitam sibi aliunde fuisse, tametsi dictis eius, ac literis fidei satis habebat; faciendum Vega putauit, vt literarum Apostolicarum exemplar, quibus Societas confirmabatur, ad eum mitteret, & simul obsecraret,* Testimonium de Ea sumeret ex ipso Pontifice, Ferdinandoque Romanorum Rege, *minimè dubitans, quin tantorum Principum testimonium cum sua testificatione congrueret. In Africanam expeditionem hac ætate discedens, nihil antiquius habuit, quam vt Latinum precibus, & Sacrificijs apud Deum, opera, & Concionibus apud milites, præsidio*

dio futurum, vna deduceret. Sic Ibidem lib. 10. num. 87. & 88. Et lib. 16. num. 18. constat tantam in Socios benignitatem, amorem tantum operibus etiam ostendisse, vt iam ipse Prorex aduocandæ in Siciliam Societatis primus auctor extiterit, Messanæque constituendæ.

Ab Eodem: *Qui militari sua eloquentia nimium dolens Parentis nostri Sanctissimi occasum, gratias agit Deo, quod cum ei visum est tempus, ad se famulum suum transtulit, relictis inter mortales bonitatis sanctitatisque trophæis, quæ nec tempus, nec aër, nec aqua euersura vnquam sint, vti cernuntur euersa, quæ inanis gloria statuerat & secularis ambitio. Ait*, se considerare triumphum, quo receptum in Cælo par foret, qui tot victorias præferebat, totque feliciter pugnatas pugnas aduersus tot tamque acerbos, ac barbaros hostes: quamque merito sancti huius Imperatoris signum in cælo posset inter signa statui S. Dominici, Francisci, aliorumque Sanctorum: quibus Deus dedit, vt tentamenta, & miserias sæculi superarent, plurimasque animas eriperent à faucibus Tartari. Pariterque considero (*inquit*) quam sit hæc gloria, & triumphus procul ab inuidia aliorum Sanctorum Heroum, quamque diuersus ab sæculi huius triumphis & gloria miseriarum, & inuidia plenis, & cum damno Reipublicæ, corruptelaque coniunctis: quæ omnia eo valent, vt ingenti solatio, & firmamento sint nobis ad mitigandum quamuis acerrimum talis iacturę sensum: vtque expectemus adiumentum è cælo, quod melius, quam cum esset nobiscum, poterit præstare tum suæ Familiæ, tum omnibus qui sancto viro noti, deuotique fuere, ac sunt. *Hæc ille Ibid. lib. 16. num. 128. Epist. in obitu S. Ignatij.*

Ignatij laus, & dolor ex eius morte.

Ab Eodem: *Qui mirabatur non modo in Societate, sed nec in quopiam, qui ex eius institutione penderet, compertum quidquam vitij fuisse: sic enim in Siciliam ad Domenecum Iulio extremo scripsit:* Non desunt quidam præsertim è Religiosis vehementer perturbationibus exagitati, Societatemq; & quidquid ab ea recte fit, exagitantes, quos videtur Deus punisse. Namque mor-

Et Societatis, ex maleuolorum inuidia.

Et quia Lutherana pestis præseruatrix.

bus, ac pestilentia Lutherana, quæ his diebus comprehẽnsa est, ex istis profecta est. Ac Societas non modo in Religiosis, alumnisque suis contaminata non est, sed etiam per eam ista venerunt in lucem mala. Vniuersique qui apud Religiosos ex ea confessi sunt, integrique perseuerauerunt, & ab ista intacti lue, beneficio plane singulari Dei: cui gratiæ debentur infinitæ, ita regenti, & illuminanti, qui confidunt in illum. *Ita ille Par. 2. Hist. Soc. lib. 2. num. 126.*

Socij Heroes sublimes, & admirabiles.

Ab Eodem, *De quo Abbas Sylvester Maurolicus (in Oceano Religionum pag. 406.) refert, à tanto Siciliæ Prorege dictum ad eumdem Hieronymum Domenecum de primis è Societate Patribus istic visis, ac è pulpito, cathedraque auditis:* Deus bone! (*aiebat Prorex*) ecquod hoc Heroum sublimium, & admirabilium genus est, quod nobis adduxisti?

Ad animarum lucra plurimas induit personas Societas.

2. * A Prorege Indiæ Orient. *Qui P. Abrahamum de Georgijs videns Turcico habitu indutum, asseruit:* Hæ sunt adinuentiones, quibus Societas ad lucrandas Deo animas vtitur, propter quas suos filios tot, ac tam manifestis terra marique periculis exponit. *Ita Tom. 2. viror. Illust. Soc. fol. 498. In vita P. Georgis.*

Quantum æstimata à Tigrensi Prorege.

3. * A Prorege Tigrensi *In Æthiopia, qui tam humiliter de se, ac tam magnifice de Nostris, nostraque Religione sentiebat, vt plane fateretur, ac diceret,* Se Societatis famulum, ipsiusque socios excalceandi indignum. *Sic in Relat. Æthiopiæ. lib. 1. cap. 13. fol. 96.*

Et ab Abassinensi.

4. A Prorege Abassinensi, *Cuius etiam in colenda Societate tantum studium, vt cum* Indignum se, *diceret,* qui vel infimum genus Officij socijs exhiberet, *Christianum hominem muneribus ample donatum, suæ etiam mensæ adhibuit, causa non alia, quam quod Societatis nostræ Patribus ministraret, quin eo aliquando se demissionis abiecit, vt ciborum etiam reliquias, quæ à religiosa nostrorum refectione supererant, sibi sumendas cum summa veneratione colligeret: qua de re cum moneretur à Patribus, verecunde scilicet, ac tantum non molestè ferentibus, nimiam quoque tanti Principis*

cipis obiectionem, negauit, Quid commodius indulgeri posse caniculæ, nec quid sumi ab ea melius, quam micas à Dominorum mensa deciduas. *Sic ille apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 9. fol. 659.*

5. A SENATV GALLIÆ *In publica sententia aduersus Iobilianum, qui Libellum Anticottonum nomine (in quo Iesuitæ à Caluinistis accusabantur de Regicidio) in vulgus sparserat: ea sic se habet:* Ioannes Antonius Iouilianus damnatus est, ipsumque damnamus ad mulctam honorariam foro faciendam ipso die fori, cum forum agitur, vbi nudato præter indusium corpore, apertoque capite, flexis genibus, suspensa è collo reste, ac facem pondo duarum librarum manu gestans alta voce, vt ex audiri possit, renunciabit, quod sceleste, & malitiosè per diuersa huius Vrbis loca (*scilicet Parisiorum*) proiecerit, & sparserit folia, seu chartas impressas, extractas ex Libello quodam pernicioso, & maligno, qui Anticottonus inscribitur, ad turbandam quietem publicam, excitandas turbas, & seditionem in hac ciuitate mouendam composito, quod fusius habetur in instrumento litis: cuius facti petit à Deo, Rege, & Iustitia veniam: in ipsius autem præsentia prædicta folia, seu chartæ frangentur, & dilacerabuntur. Inhibemus autem illi, & interdicimus sub pœna capitis, ne simile quid committat in posterum. Ceterum ad quinque integros annos Regni Galliæ exilio illum mulctauimus, & mulctamus, *&c. Ita Decretum, quo honor Societatis læsus restitutus, & à Gallico Senatu reparatus est. Ita apud Becan. Tom. 4. Opuscul. fol. 222. & apud Fagundez in Præcept. decalog. lib. 8. cap. 17. num. 12.*

Societas defenditur à Senatu Gallicano contra libellarium.

6. A SENATV ANTVERPIENSI: *Qui cum interrogaretur ab Vrbis Gubernatore Perenotto, probaturusne esset, si qui amicorum opportunam Societati compararent domum, respondit.* Nullam in Vrbe sua tam esse splendidam quam non ei ex merito se debere fateretur, ac si nulla esset, aut ampla satis, aut commoda, voluntatem suam neutiquam deesse ad excitandam

Eius ingressus Antuerp. quam desideratus.

nouam, sed iniquitate temporum negatam facultatem. *Tanta Senatus erat in Societatem beneuolentia. Sic apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 6. fol. 747.*

Et Bruxellensibus,

7. A SENATV BRVXELLENSI: *Qui literas ad Franciscum Costerum Prouincialem expedit sane honorificas, quibus primùm, nec immerito deplorat præteritis bellorum tempestatibus afflictam, oppressamque Rempublicam suam communi patriæ calamitate.* Deinde sæpius agitasse animo, *fatetur*, ante ipsas turbas aduocare Societatem: quod quia neglexerint, nunc conscientia vrgeri, adeoque extremos adhibere velle conatus impetrandis aliquot Patribus opem prostratæ Ciuitati laturis, & suum Religionis restituturis decus. *Ita Ibidem fol. 755.*

Ad Ciuitatis opem, & Religionis decus restituendum.

Scholarum vtilitas.

8. A SENATV RVREMVNDANO, *Cuius publicæ extant literæ testantes.* Incredibilem iuuentutis mutationem vel vnius anni spatio facta per Societatis Scholas. *Quare minimè mirandum exosas esse singulariter Hæreticis, qui eas solas ceteris quibuslibet impune permissis, seuera lege interdictas suis voluere. Sic Ibidem fol. 772.*

Eius discessus sub pœna capitis cauetur.

9. * A SENATV REGIO CANARIENSI, *præconis voce mandante*, Sub vitæ, amissionisque bonorum pœna, vt à nulla cuiuscumque status personâ, Patres Societatis IESV ex Insula extraherentur, neque phasello, aut nauigio vllo admitterentur. *Ita Senatus nostrorum dolens absentiam discessumque, decreuit: apud Euseb. in Vit. B. Borziæ lib. 3. cap. 10.*

Et fama defenditur.

10. A SENATV TOLOSANO: *Qui in colligendo Libello quodam aduersus Societatem famoso, inter alia motiua illi perquam honorifica publico decreto, vt præcipuum hoc designauit, statuens,* Religionis rem agi, vbi Societatis bonum nomen sine causa periret. *Ita in Annal. Soc. ann. 1618. fol. 593.*

Eius singularis modestia in populari tumultu.

11. A SENATV CÆSARAVGVSTANO: *Qui ad Nostros ab Vrbe ob popularem tumultum exire statuentes, sic allocutus est.* Tumultum popularem tantum sibi attulisse molestiæ, quantum Societatis egregia voluntas attulerat voluptatis, nec se nescire turbarum vnde oriretur initium, aut quis tandem Lapides impe-

imperitæ plebi suggereret, occuleretque manum. Societatem facere suæ consuetudini, suoque nomini consentanea, quæ tam singulare modestiæ specimen, concordiæque daret, nec minus esset admiranda ciuibus in digressu, quàm salutaris in mora. Sed huius quoque beneficij memoriam seruaturum, & paucos intra dies quanti Societatem faceret, ostensurum. *Hæc Senatus, à quo digressi Patres, honorificeque deducti sunt domum à Senatoribus aliquot. Ita Par. 1. Hist. Soc. lib. 15. num. 73.*

12. A SENATV LIMENSI *In Decreto illo adeo celebri, quo de nobis ille mira prædicabat encomia, indigenisque Limensis Vrbis toto iam Orbe celeberrimæ seuere præcipiebat,* Vt singulis Dominicis diebus ad Societatis Templum conuenirent, Catechesim à Nostris, ac de rebus diuinis concionem audituri. *Tantam Regius ille Senatus de Societate in hoc munere opinionem conceperat. Ita in Annal. Societ. ann. 1606. fol. 184.* *Electa Societas ad Catechesim edocendam.*

13. A SENATV NOVI REGNI *Literis ad Philippum III. Regem Catholicum enixe postulante,* Triginta illuc è Societate mitteret, qui barbariem, inscitiam, idolorumque cultum penitus insitum ex multarum Nationum animis euellerent, sicut ipsam Ciuitatem Regni totius caput, Socij auspice Deo, ab improbissima in optimam conuerterunt. *Sic in Annal. Societ. ann. 1604. fol. 108.* *Expetita ad barbariem, & idolorum cultum euellendum.*

14. A SENATV BVRDEGALENSI *Prouinciæ Aquitaniæ ita Nobis fauente, nostrumque nomen à maleuolorum inuidia defensante, vt in Regia, in Comitijs, in maximis principum virorum conuentibus, Societatis causam grauissimè defenderit,* Seque hoc veritati, fidei, Catholicæ Religioni tribuere, *testaretur. Ita in Annal. Soc. ann. 1596. fol. mihi 412.* *In Comitijs defenditur à Burdegalensi Senatu.*

15. A SENATORIBVS GANDAVENSIBVS: *Qui timentes, ne Claudius Generalis è Missione Gandauensi euocaret Patres (is rumor Gandaui percrebuerat) datis communi nomine literis, obnixe Claudium orauere,* Per Iesu Christi sanguinem (*ipsorum hæc verba* *Vtilitas ex Gandauensi missione.*

verba sunt) ne Societatis Missionem reuocari pateretur ; sed contra iuberet eam confirmari, ad emolumentum spirituale, bonorumque ciuium consolationem. *Fatebantur enim*, Patres ad se missos magno totius ciuitatis commodo ita desudare in conuellenda Hæreticorum prauitate, ac Catholicæ rei dignitate restituenda, vt Ecclesia Dei magnum in dies sentiret incrementum. *Sic illi apud Imag.* 1. *sæc. Soc. lib.* 6. *fol.* 889.

Et labor in conuellendis hæresibus, & fidei dignitate instituenda.

Commendatur Societas ex maiori præ ceteris fructu:

16. A SENATORE DOLANO *Clarissimo in amplissimo Senatu, ceterorumque Vrbis Magistratuum consessu pronunciante*, Plus fructuosæ operæ, ac necessariæ opis in rem Christianam contribui ab vnica Societate, quam ab vniuersis ceteris religiosi Instituti familijs. *Et postea addit.* Hunc Patrum Ordinem vniuerso esse Orbi vtilissimum, adeoque etiam necessarium : cui fouendo, multiplicandoque omnes ijsdem legibus teneri, quibus rem Christianam sartam, tutamque velle, ac præstare deberent ; eoque sibi persuasissimum esse, subministrando Societati operarum supplemento, non Religionis modo tenendæ, sed status etiam publici conseruandi nomine, à cuiuscumque gradus hominibus liberos suos, atque in ijs natu maximos, sponte alacriterque esse deuouendos. *Hæc ille in Annal. Soc. ann.* 1612. *fol.* 645.

Ex laboribus.

Ex velocitate nubiũ, & Angelorum instar. Isai. 18. 2. Isai. 60. 18

Ex oppositione cum Luthero.

17. A IOANNE SOLORZANO *Regio Senatore ac scriptore doctissimo Tom.* 1. *de Indiar. Iure lib.* 1. *cap.* 15. *num.* 22. *vbi agens de expeditione Orientali, hæc scribit.* Quâ in expeditione cum multum laborauerint Religiosissimi Patres Societatis IESV, teste Lumnio, eis congruere, *ait*, appellationem Angelorum velocium, de quibus loquitur Isaias cap. 18. & Nubium volantium, *&c. Et Ibidem cap.* 16. *num.* 84. Vbi Lutherus (*inquit*) diram tot hęresum labem per Germaniam euomuit, Beatissimum Hispaniæ decus Ignatium à Loyola suæ Societatis Instituta, & milites præparasse, qui aduersus perfidum illum Hæresiarcham, & eius sequaces, & verbo, & scriptis vt faciunt, & fecerunt semper acriter, & feliciter decertarent. *Et*

postea

poſtea lib.2. cap.19.num.22. Et tempeſtate noſtra (*ait*) S. Franciſcus Xauerius, & alij eius ſocij Euangelium euangelice cum magno fructu in India Orientali prædicaſſe leguntur, Indis, Perſis, Arabibus, Æthiopibus, Malabaribus, Iaponenſibus, Sinenſibus, & infinitis alijs, *&c.* *Ex Orientali prædicatione.*

AB EODEM : *Tom.2.de Indiar.Guber.lib.1.cap.26.num.97. Vbi aſſerit ex Franciſco Zipæo de Magiſtrat. lib. 3. cap. 3. num. 6.* Hanc curam educandæ, & inſtruendæ adoleſcentiæ Patribus Societatis IESV cum primis committi debere, eo quod eorum Inſtitutum adhoc valde vbique conduxiſſe videamus. Qua de cauſa & hæc Indorum Collegia eiſdem Limæ, Cuzqui, & in alijs vrbibus Peruanis commiſſa ſunt, & Ego ſemper reliqua committi debere iudicaui. *Et poſtea Ibidem lib. 3. cap. 16. num.68. poſtquam dixit conſeruandas doctrinas, quas religioſi Patres Societatis* IESV *ad ſuam curam, & tutelam receperunt, ſtatim addit.* In quibus (*doctrinis ſcilicet*) mirum eſt quantum vigeat, & floreat ipſorum Indorum in religione, & vitæ politicæ inſtitutione profectus, & defenſio, ac tuitio ab iniurijs, quas ab Hiſpanis, Hybridis, & Æthiopibus, & à proprijs etiam Prætoribus pati ſolent. *Et tandem num. 70. Concludit :* Vnde pluribus ſchedulis Regijs cauetur, vt dicti Patres foueantur, & ad ſimiles doctrinas capeſſendas alliciantur, præſertim in Epiſtola quadam ad Dominum Proregem D. Franciſcum à Toleto ann. 1574. Tom.1. pag.113. & in alia ad Dominum Martinum Enriquez 1583. & nouiſſime in alia ad Dom. Principem Squillacenſem dat. Matrit. 28. Mart. ann. 1620. *Hucuſque Senator ſapientiſſimus in non modicam Societatis laudem.* *Ex adoleſcentum educatione.* *Etiam Indorum.* *Et ex Doctrinis in Regno Peruano.*

18. A PROTOPRÆSIDE *Senatus Toloſani Nobiliſſimoque Viro Domino de Verdun, qui dum Pariſijs in Prouinciam illam ſuam proficiſcitur, Biterras diuertit, vbi honorificè exceptus,* Cognouiſſe ſe, *dixit*, in ipſis Ciuitatis portis Collegium Ieſuitarum intra Vrbem eſſe : *id ſcilicet conijciebat ex carmine quod illi ad portas ex theatro publico recitatum fuerat à duobus iuuenibus Schola-* *Sociorum æſtimatio.*

Scholasticis nostris honestissimis. A meridie Collegium inuisit, nunquam passus per Vrbem à latere suo P. Rectorem abscedere. Spectaculum sane tam ingratum Hæreticis, quàm Catholicis iucundum. Et ad viros nobiles, ceteroſque Vrbis Magistratus, qui eum adsectabantur conuersus; Isti, *inquit*, sunt Patres Societatis, à quibus mores, & litteras hausisse me fateor, quorum industria ac labore ciuitates Galliæ nostræ viris pijs muniuntur, ac doctis. *Et multa eiusmodi, quæ sine rubore, neque tunc à nostris audiebantur, neque nunc à nobis referri possunt. Ita in Annal. Soc. ann.* 1602. *fol.* 382.

Quorum industria, ac labore ciuitates viris pijs, ac doctis muniuntur.

19. A Gisseno Diserino, *Consule Senatus Bergensis, qui strenuè in fundationem Collegij nostri semper incubuit: & cum in Collegij fundamentis non nemo diceret, excedi terminos, Consul ipse respondisse fertur*, Isto in ædificio nullos sibi præfixos limites, & si qui forent, modum sese excogitaturum transgrediendi, cum probe sciret quanta Vrbis, agrique Bergensis in Societatem iam tum esset obligatio. *Sic ille apud Imag.* 1. *Sæc. Soc. lib.* 6. *fol.* 758.

Erga eos Diserini liberalitas.

20. * A Ioanne de Lizarazv, *Regio Conciliario, & Regij Senatus Argentini in Peruuio dignissimo Præside, in Edicto, mense Iulio anni* 1636. *promulgato in hæc verba.* Quoniam Maiestas Regis Domini nostri (quem Deus seruet) plurimis schedulis iussit, & sanciuit, vt Indi huius Orbis indigenæ protegantur, & defendantur in causis, quæ se se illis offerunt: & quoniam singulari ratione conuenit id fieri, & obseruari in Indis recens conuersis ad nostram sanctam fidem Catholicam, quam quidem sacra Religio Societatis Iesv, heroicis ac frugiferis laboribus, propagauit in Prouincijs Paraquariæ, & in oppidis S. Ignatij, & Itapuano: in fluminibus Paranensi, Vruguayensi, & Iabebirino, & in Prouincia Itatinorum, quorum protectionis, ac defensionis ratio habenda est, quia cum benigne tractati fuerint indemnes, & illæsi, facilius, & firmius quidquid ad suam conuersionem pertinet sint amplexuri. Quapropter cum mihi planè comper-

Societas Catholicam fidem, heroicis, & frugiferis laboribus in Paraquaria propagauit.

compertum sit, quod admodum RR. PP. Prouinciales è Societate IESV in supradictis Prouincijs, vt homines, quorum officium est dirigere & promouere quod magis principale est, scient etiam quod spectat, & attinet ad augmentum, conseruationem & pacem illorum Indorum, scient, inquam, optime prouidere quidquid opus erit, vt illi Indi habeantur, & tractentur tanquam subiecti, & Vassalli Vestræ Maiestatis, iure Regio, & communi legum præsidio communiti. Quod cum ita sit, vtendo potestate mihi concessa, nomine in protectionem Indorum Paranensium, Vruguayensium, Iabebinorum, & Itatinorum, quorum Prouinciæ concreditæ sunt Societati IESV, eiusdem Prouinciales, &c. *Hæc Iudex integerrimus in Memor. ad Philipp. IV. pro Prou. Paraq. Matrit. typis edit. in Lite cum D. Fr. Bern. de Card. fol. 50.*

Ad Indorum harum Regionum patrocinium expetitur.

21. * AB ANDREA GARAVITO DE LEON *Senatore Regio Peruano in Aureo illo suo Memoriali ad Regem nostrum Philip. IV. magnum, & Catholicum*: Episcopatus (*inquit, num.* 31.) Boniaeris, & Paraquariæ tenuissimi redditus sunt, sed dilatati admodum terrarum tractibus, & personarum multitudine: oporteretque pro ijs Episcopatibus præsentare Religiosos Societatis IESV, Viros in Indijs verè Apostolicos, & vt legibus cauetur Imperialibus, ad hoc ministerium compulsi, reluctantesque eligendi sunt. Eos V. Maiestas Pontifici præsentet, & fideles inueniet, & Regijs Vtilitatibus opportunos: parum illos litigia distinebunt, sæpius à vanitate deriuata: multo minus illi improbitatibus obtemperabunt, quæ tanto pernicioſiores timendæ sunt, quanto à Viris Primarijs plus fouentur. *Et postea num.* 32. Primum (*inquit*) fidei fructum in Prouincijs Paraquariæ Martyrium P. Rochi Gonzalez & Sociorum è Societate IESV dedit: quæ tantorum Martyrum irrigatæ sanguine circumiacentes agros fœcundarunt, vt omnia retro tempora sterilitate laborasse vi-

Et ad Episcopatus.

Eius filij vere Apostolici viri.

Paraquariam suo sanguine irrigarunt.

deantur, & sane maiori quàm earum fata hucusque viderunt. Decem & septem Reductiones in his Prouincijs fundatæ sunt (præter plures alias ab inimicis Brasilianis præcipue Paulensibus deuastatas) quare quasi per transennam, Maiestatem Tuam oro, vt pia qua soles prouidentia, Tuam Iustitiam exeras aduersus eos, qui Templa destruunt, quæ ibi charitas diuino Nomini erexit. *Hæc nobilissimus Senator in dicto Memoriali, in quo tam bene de huius Prouinciæ Paraquariæ Apostolicis operarijs & loquitur, & sentit.*

Ex quo mira fœcunditas, & innumeri fructus subsecuti.

Societatem expellere, est virtutē modestiam, ac religionē ablegare.

Et frænum morum, ac effrænis libertatis.

* Ab Eodem, *Jam Gubernatore, & Visitatore eiusdem Paraquariæ, in Sententia, quam tulit in eos, qui ex Ciuitate Assumptionis Societatem per seditionem expulerunt, inter alia hæc ille ait:* Expellentes dictos Religiosos vna simul ablegarunt virtutem, modestiam, Religionem, & frænum denique, quo hactenus libertas effrænis, & morum prauitas eorum prædicatione, & exemplis compressa fuit, *&c. Ita in Memorial. ad Philip. IV. Matrit. typis edito per P. Iulian de Pedraza ann. 1657. fol. 36.*

22. * A Iacobo de Vera, *Qui cum è Senatore Mexicano in Regij Senatus Philippinarum Præsidem electus esset, à Prouinciali Mexicano petiuit aliquos è Societate Patres ad illarum Insularum culturam, sine quibus haud profecturum se instanter asserebat: quatuor tandem concessi tanto huius Christiani Præsidis gaudio, vt de genibus gratias Deo coram nostris egerit,* ob ministros, quos secum ferebat (*Sic ille dicebat*) quibus diuina Maiestas vtitur ad conuersionem gentium. *Ita apud P. Sandoual Tract. de Institut. Æthiop. Saluandorum. lib. 4. cap. 9.*

Eius filijs Deus vtitur ad conuersionem gentium.

23. * A Didaco de Saavedra *Equite Iacobæo Regio Consiliario in Indiarum supremo. Is in suis Symbolis Christianopoliticis, symbol. 57. fol. 449.* Societatis regimen admirabilem harmoniam *appellat. Illudque cum Principibus, ac præcipuè Hispano Regi imitandum proposuisset, addit,* Si Christiani Principes hanc

Eius regimen, admirabilis harmonia.

hanc normam sequerentur, profecto illos regnandi artem optimè callituros. *Ita eruditissimus vir paucis verbis non pauca in Societatis honorem complexus.*

24. A PETRO CORNVTO *Senatore Regio in suprema Delphinatus Curia in Tabulis triumphalibus & Historicis Henrici IV. Cognomento Magni Regis Galliæ pag.55. Titulo* Pietati, *sic de ipso Rege loquens ait :* Quoniam fide Catholica Regnum firmauit, & stabiliuit, Religiosos Ordines dilexit, & amplexus est, Patres Societatis IESV Flexiæ in domo sua Augusta fundauit, & dotauit, & eos viros præstantissimos tanquam cohortes, & fortia propugnacula aduersus hæreses in diuersis Regni partibus disposuit, & collocauit. *Sic ille.*

Iesuitæ cohortes, & fortia propugnacula aduersus hæreses.

CLASSIS VII.

A GVBERNAT. CETERISQVE MAGISTRATIBVS.

1. A GARCIA DE LOYOLA *Gubernatore Chilensi, qui Nostro Parenti Ignatio sanctissimo, arctissimo propinquitatis vinculo coniunctus, sic Sacerdotes nostros Caziquijs Araucanis commendauit:* Homines (*dixit*) esse longe à communi reliquorum consuetudine alienos: non sibi aurum quærere, non argentum, nullum aliud denique lucrum nisi diuinum honorem, atque hominum salutem: huius vnius rei causa ex Hispania profectos, longæ periculosæque nauigationis incommoda magno animo subiisse: atque in vnam eam rem suam vitam omnem deuouisse: nihil ijs cordi esse, nisi hominibus viam ad cælum expedire, & quod ad humana attinet in his terris hominum commoda apud Prætorem, Præfectosque Regios procurare. *Adiecit etiam quo maius Societatis beneficium faceret,* A Rege missos in has terras, vt Hispanorum vitia corrigerent, & acerbissimis iniurijs, quibus ipsi premerentur, obuiam iretur. *Hæc pientissimus Gubernator in Annal. Soc. ann. 1596. fol 916.*

Sociorum vnicum lucrum diuinus honor, & hominum salus.

Quibus vt viam ad cælum expediant, vitam omni periculo deuouent.

2. A GVBERNATORE GVADIANENSI *Mexicano*: Cum Societatis (*inquit*) progressiones, atque incrementa contemplor, non possum non vehementer perpetuam huius vineæ admirari fecunditatem, quæ in omnes partes sine vlla cessatione, innumeris ijsdemque sanctissimis Institutis se fundit. Sed inter ceteros huius vitis palmites, sodalitatum Beatæ Virginis Institutio vberrimos edit fructus virtutum. *Sic ille in Annal. Soc. ann. 1611. fol. 856.*

Sodalitatum fructus vberrimi.

3. A GV-

3. A GVBERNATORE SINENSI: *Qui sub ipsa initia admissorum in Sinas sociorum (cum moderationem in ijs eximiam, & in exponenda Christi lege virtutem animi, atque solertiam perspexisset, & porro suspexisset impensius) versâ demum in venerationem admiratione ita statuit, eos non transeunte verbo, sed expressis ex more Gentis suæ, affixisque tabulis perpetuis honorare: fieri id solet, factumque est hac, quam subijcio, celebritate, qua summi quique Magistratus suam in familiares tantum, ac pares sibi, beneuolentiam publicè contestantur. Binas Tabulas insigni opere striatas, & coloribus illustres, eo qui in similibus obseruari solet apparatu, ad nos misit; adiecta voluntate sua, qua desiderabat earum vnam Sacræ apud nos ædiculæ vestibulo imponi, alteram in eâ optabat aulâ statui, in quam officij, & salutationis gratia conueniebant amici nostri. Illa cubitalibus characteribus hoc præferebat elogium,* Diuorum floris Ædes: *hæc verò paribus expressum literis hoc Societatis encomium exhibebat,* Gens ex occasu sacrosancta: *minoribus infra notis scripto Gubernatoris ipso nomine: quo quidem à grauissimo illo inter Sinas Magistratu fieri ad amicam venerationem illustrius nihil potest. Ita apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 10. fol. 672. ex Trigaus. de Christ. exped. apud Sinas lib. 2. cap. 5.*

Eximius honor nostris à Gubernatore Sinensi habitus.

4. A GVBERNATORE PEQVINENSI *In Sinensi Imperio celeberrimo, qui affine, & omnino gemino officij genere, & laudis amplissimæ plurimis post annis affecit Socios recens tum missos in possessionem aulæ suburbanæ ad P. Matthæi Riccij sepulturam, & usum Societatis perpetuum, auctoritate regia attributæ. Is simili vt ante ritu adornatam missamque Tabulam tumulo Patris imposuit cum hoc lemmate:* Ad Iustitiæ famam venienti Matthæo Riccio è magno Occidente. *Quo quidem Sinæ, iustitia & ratione omnia metientes, ad summam venerationem significantius efferre nihil solent. Et ita sane etiam citra adulationem vel inuidiam ille potuit; cum maximorum eo ipso tempore Magistratuum crebrò de Socijs audirentur hæ voces:* Quod est tota hac aula tribunal, quod non intelligat legem illam, quam prædicatis iustam esse, veram esse? *Summâ fateor, & debita venerationefidei Catholicæ, & non*

Et similis à Pequinensi.

minimâ etiam commendatione Sociorum!, quorum non minus è moribus, quam verbis, iustitiæ ac veritatis Christianæ lux sese incorrupta prodebat. Hæc Ibidem.

Sociorum singularis zelus, pietas, doctrina, ac modestia in iuuentute excolenda.

5 A VARIIS MAGISTRATIBVS: *Quorum publicis expressa literis testimonia, sic se habent*: Notum facimus (*inquiunt*) Societatis Patres in hac nostra Ciuitate singulari zelo, pietate, doctrina, ac modestia iuuentutem excolere, nec minus ad omnem virtutem atque honestatem, quam ad eruditionem informare. *Et alibi*: Testamur hanc Vrbem hominum Societatis IESV industria ex mera nocte, in qua ipsi eam deprehenderant, in lucem reuocatam. *Item alibi*: Fatemur Patres Societatis IESV ad instaurandam hic orthodoxam, & Catholicam fidem, ad acuendam pietatem, ad promouenda literarum studia, ad bonos & Christianos mores inducendos, magno vsui, adeoque necessarios fuisse. *Hæc Ibid. lib. 6. fol. 889. Et id genus multa alibi.*

Quorũ industria Vrbes ex vitiorũ nocte in lucem reuocantur.

Quam necessarij ad acuendam pietatem, & fidẽ Catholicã instaurandã.

Solantur in laboribus Socij.

6 AB ANNA MOMORANTIO *Comestabili, seu Equitum Magistro, ad quem cum Socij Parisienses, Anuillani filij monitu, quasdam purgaturi calumnias adiuissent, in hunc eos modum affatus est*: Nequaquam me fugit quam multa Societas Vestra in Gallia perpessa sit, postquam præsertim dissidium in Religione publicè factum est. Cæterum vos æquiore hæc animo ferre debetis, quod sunt vobis cum optimis quibusque communia. Ac recordamini quicumque in Ecclesia Dei magnum aliquid moliti sunt, magnas etiam, vti vos difficultates expertos esse. Quod si qua simplicitate, quaque pietate cœpistis Ecclesiæ Dei prodesse reique publicæ, pergatis: nihil est quod vobis magnopere timendum sit: istis enim præsidijs tuti eritis. Quod attinet ad me operam meam nullo vnquam loco desiderabitis. *Ita Par. 3. Hist. Soc. lib. 2. num. 59.*

Præferuntur ceteris in re Christiana promouenda.

7. A PRÆTORE QVITENSI *Ad Limanum Proregem de Socijs scribente*: Mihi (*inquit*) affirmanti credat Excellentia Tua, ad rem Christianam promouendam, ad opportunam

nam his hominibus opem ferendam, plus esse illos vnos, quam omnes aliorum Ordinum familias: propeque illud affirmare ausim, pluris interesse Reipublicæ illos esse in his terris, quam Regios ipsos Auditores. *Ita ille in citata Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 11. fol. 679. Beneuolentiæ hic error, & excessus amoris est erga Societatem, quam nos omnium Religionum minimam profitemur.*

Quam sint vtiles ad Indiæ conuersionem.

8. A Prætore Indiæ, *Ad Regem Lusitanum his ipsis verbis inter alia scribente:* Si totas quam primum Indias cernere Christianas cuperet, quam plurimos curaret eiusmodi de Societate mittendos. *Tam præclarum Societati nomen primorum Patrum virtute, & industria partum in Orientali India. Ita Par. 1. Hist. Soc. lib. 4. num. 73.*

Commendantur Reductiones Paraquariæ.

9. * Ab Hyacintho de Laris *Equite Iacobæo, Gubernatore Fluminis Argentei, seu Portus Boniaeris, in Epistola ad Gubernatorem Paraquariæ D. Didacum de Escobar, è fluuio Paranensi conscripta, dum Visitationi Reductionum nostrarum vacaret.* Inueni (*inquit*) istas Indorum Reductiones Societatis Iesv laboribus prope infinitis partas, earum Templa, & diuinum cultum adeo firmum & constantem, tantoque cum splendore, quantum videre est in Ciuitatibus antiquis frequenti populo, omnique politia Christiana conspicuis: multam ornamentorum sacrorum, sacrarum Imaginum, sacrariorum, ædituorum, Cantorum, & omnis generis musicorum instrumentorum supellectilem admiratus sum: sed in primis hos Neophytos tam belle institutos, pios, diuino & Regio obsequio adeò addictos, tam absque querela, molestia, & vexatione vlla, vt nihil vltra desiderari possit. Ceterum quod ad arma attinet iudico magni momenti esse, quod actum est, & agitur pro propria, & necessaria defensione Regiæ ditionis huius, aduersus excursiones, & impetus Lusitanorum, seu Brasilienſium ex oppido sancti Pauli. Sunt etenim isti Indi in omni armorum genere, tum Sagittarum, tum catapultarum

Ex laboribus prope infinitis.

Ex Templorum ornatu: & Musicorum cantu.

Ex Indorum subiectione Deo, & Regi.

vsu

vsu exercitatissimi: nimirum (præterquam quod id omnino expedit aduersus frequentes hostium aggressiones, & ad præsidium horum limitum Castellani Imperij) eos habemus semper Tu, & Ego paratissimos ad omnes occasiones, quæ possunt occurrere Regij seruitij. Pro certo Tibi, Domine mi, asseuero, Te maxima voluptate afficiendum, si has Reductiones inuiseris, earumque splendorem inter hæc deserta, & remotissima nemora lustraueris; mihi certe videntur Elisium beatæ, ac fortunatæ Insulæ, imo & Gloria Paradisi, &c. *Hæc ille in Memoriali ad Philipp. IV. Matriti typis mandato per P. Iulianum de Pedraza ann.* 1657. *pro Prouincia Paraquariæ*, fol. 101.

Sunt velut Elisij Campi, & gloria Paradisi.



CLAS-

CLASSIS VIII.

AB VRBIBVS.

1. A PANORMITANA, *Cuius Prætor, ac Iuratorum Magistratus, hæc inter alia prodidere in Sociorũ, & Societatis præclarum testimonium, à quibusdam calumnijs vindicantes.* Scimus, & intrepide fatemur Sanctissimis horum Patrum institutis, doctrina, & pietate plurimos apud nos quotidie, & in scientijs & in spiritu proficere, nec vnquam ab structo eorum Collegio aliquam vel minimam criminis suspicionem subortam fuisse; quin plura eorum opera huic Ciuitati emolumenta accessisse; vt nulli dubium sit eos verè in Societatem IESV esse adscitos: vnde & hoc nomine merito in hac vita nuncupantur. Quæ omnia cum ita se habeant, nostra omnium auctoritate, ac fide publicè testamur, hos Patres nunquam hîc, quæ sibi vulgo adscribuntur, criminibus fuisse adstrictos. Et si qui sunt, qui hanc conceperint opinionem, posthac deponant, aut sibi certò Religioni vertant, quod tantorum Patrum nomini tam facile detrahant; nec illum Sacerdotem in illorum vnquam Societatem admissum fuisse existiment. (*Is erat Presbyter quidam à Nostris habitu non dissimilis, qui ob fœda, & impia scelera exustus, & per errorem vulgus, per maleuolentiam iniqui infamiam in nos vertebant.*) *Ita Par. 2. Hist. Soc. lib. 2. num.* 111.

Testimonium egregium de Societatis innocentia.

2. A MAMERTINA: *Quæ postquam fidem fecit, Ioannello (hoc erat prædicti Sacerdotis exusti nomen) nihil cum Societate commercij fuisse, & Patres non modo à culpâ, sed etiam ab omni suspicione omnino abesse, subiecit*: Quin etiam verè affirmare possumus, atque apud omnes liberè testificari ab exstructo Collegio nunquam quidquam de illorum vita, moribus, & doctrina auditum apud nos esse, quod non ad Omnipotentis Dei laudem, & nostratium hominum ædificationem maximè pertine-

Aliud.

Quanto fructu in cõcionibus, confessionibus, & iuuentutis educatione Socij occupentur.

tineret. Scimus eos habendis concionibus, confessionibus audiendis, iuuentute literis & moribus instruenda, sacris literis publicè interpretandis, docenda Christiana disciplinâ, ægrotis ac vinctis inuisendis, alijsque id genus operibus, nec id modico Ciuitatis fructu & gaudio, assiduè occupari. Vitam vero ita castam, & incorruptam ab illis agi, vt exemplo non minus, quàm eruditione, & institutione prosint. Quo factum est, vt magnam probitatis, ac doctrinæ famam, & obtinuerint hactenus apud nostrates homines, & nunc quoque retineant. Quæ cum ita sint, oramus si qui sunt, qui falso illi rumori fidem adhibuerint, eam opinionem longe abijciant, & quam de huius Societatis IESV Patribus existimationem benè conceperant, eam liberè, ac tuto conseruent. *Sic Ibid. num.*112.

Eorum vita, quam casta, & incorrupta.

3. A BARCINONENSI: *Quæ erga nostrum Ordinem se egregie piam semper, atque benignam præbuit: præque ceteris pignoribus illud à Concilio Regio præbitum est. Misêre hominem ad Collegium, qui aliquantum pecuniæ eleemosynæ nomine deferens totius Consilij verbis diceret*, Cognouisse ipsos quàm vtilis in publicum Sociorum opera esset, ac rogare, vt ab Generali Præposito vicissim communicationem benefactorum Societatis ipsis impetrarent. *Cui voluntati satisfieri in omnes partes non potuit. Responsum est enim quomodo alijs quoque idem petentibus respondebatur: id doni non vniuersè Corpori ciuium, sed hominibus viritim solere concedi. Hæc Ibid. lib.5. num.*52.

Participatio bonorum spiritualium Societatis, expetita.

4. A PONTANENSI, *Cuius Legati in Conuentu Grisonum pro Collegio in valle Tellina fundando, hæc inter alia, eius nomine, verba dedêre.* Etenim (*inquiunt*) si rectè animaduertimus, quæ res cuiuis bene Instituto hominum Cætui maximè necessaria est, ea nos laboramus maxime, liberûm Institutione. Quippe non eas colimus terras, ad quas vel locorum amænitas, vel lucri magnitudo, vel nominis, & famæ cupido ideoneos Magistros alliciat. Inde sobolem nostram haud prope aliter, quàm suos belluæ partus, educamus; cibum modo eis,

Et fundatio Collegij Vallis Tellinæ anxie precata.

eis, potionemque, per quæ inertia nutriantur corpora, subministrantes. Inde in domibus priuatim vitia, inopia, inhumanitas abundat: publicè in oppidis nulla est sapientia, nullus splendor, humanitatis parua vestigia. Quæ peruidens mala vir altissimæ mentis, parisque Charitatis noster Eques (*is erat Marcus Antonius Quadrus Pontanorum Curio*) quoniam progeniem natura illi negarat, viam excogitauit, per quam melius fieret Pater, perpetuamque patriæ bonorum procrearet sobolem. Magistros accersiuit, & alimenta de suis facultatibus attribuit: vt, dum sapientum copia Præceptorum domi est, opportunitate locupletes vtantur, tenuiores consulant necessitati: & Magistri, dum liberalitate eius affatim, vnde se tueantur adepti, non lucra ex priuatis petunt, neminem reiiciunt pauperem, nemini ditiorum indulgent. Quæ si omnia Quadriorum erudiendis duntaxat liberis tradidisset, simul tamen Magistros conquirendi eisdem aduocandique, vt filios peregre ad disciplinam mittendi negotium reliquisset; quanto id beneficium minus foret? At ille, quo gratiam, quàm cumulatissimam conferret, omni in perpetuum vacuos, solutosque cura esse voluit. Magistros ipsemet studiosissimè conquisiuit, cunctis auctoritatis suæ opibus vt aduocaret, contendit; denique aduocauit, quorum nec dubia facultas, nec caduca, aut interitura vnquam disciplina esset. Etenim ex eo Ordine sunt, qui in dies vegetius sese propagans, facile poterit in Præceptorũ senescentium & cadentium locum sine curâ nostrâ sufficere nouos, ijdemque sunt, qui Viennæ, qui Pragæ, qui Ingolstadij, Monachij, Treuiris, Coloniæ: in Gallijs, in Italia, Sicilia, Hispania, Lusitania, denique in India cum opinione excellentis sapientiæ docent. Hos vt liceat nobis retinere, vt Equitis iudicium honestissimi, & amantissimi patriæ viri comprobare suffragio vestro velitis, suppliciter, Domini, petimus. Ne permittite per Deum immortalem, vt pæniteat nos patres esse: vt natio nostra siluescat in dies atque efferetur magis, atque adeo extinguatur.

Ad optimam iuuentutis in doctrina, & moribus educationem.

guatur. Vt quid enim, si instituere fas non est suscipiamus liberos ? pecudumne vt gregem pro familia educemus ? Ne sinite inopum misero apud nos gregi, omni alia destituto, hanc incidi spem, hoc patrimonium surripi. Ne dolorem hunc ætati supremæ, ne labem hanc clarissimo nomini Equitis vobis addictissimi, vestrique obseruantissimi inurite: vt qua in re ab ceteris omnibus summam consecutus est laudem, condemnetur à vobis. Omnes circa nationes, Resque publicæ, ac Principes ad hoc iudicium intendêre oculos, & exitum rei expectant, ij maximè, qui & à nobis, & celebri fama rem edocti, plurimum spei in sua apud vos commendatione iusserunt reponere: nec fore vllo modo timent, vt sua auctoritas vilis vobis sit, & quasi iniqui patrocinij notentur. Omnes hoc dicunt, nisi sint inter vos, qui ad infamiam vniuersi conuentus partem eius hereditatis cum aduersarijs pacti sint, nihil esse nobis timendum. Videte vtrum magis grauitatem vestram deceat tot maximos demereri Principes, Equiti existimationem conseruare, nostrorum liberorum misereri; an quod patriæ nostræ, quod pupillis, ac destitutis ad salutem ac decus donatum est, cum summa vestri nominis (quod nunquam Deus sinat) ignominia, hominis vnius, aut alterius iniquissimæ cupiditati prodere. Agite igitur, præstantissimi Domini, longe lateque celebratam constantiæ vestræ & grauitatis famam cum salute dignitateque nostra conseruate. Id à vobis summo studio Christianissimus Galliæ Rex contendit (*hæc cum dicerent commendatitias proferebant literas*) id Ferdinandus Cæsar, id Maximilianus Bohemiæ Rex, id Albertus vtriusque Bauariæ Dux, id Heluetiorum Respublica, id Prætor Mediolanensis, id nostra omnis patria ad Vestros abiecta pedes supplex rogat; id nostri liberi, atque adeo nepotes nostri, & cuncta posteritas comprecatur. Si licuerit huc accedere, ipsos hîc pueros, ipsas matres familias, Vniuersos Vallis Vestræ populos, & totam vicinitatem videretis, ad vestra genua prouolutos, vobis tendentes supplices manus.

manus. Experti enim sumus benignissimi Domini, quas habeat vires recta institutio; quæ sit horum hominum doctrina, & facultas. Paucis apud nos fuere mensibus, & iam pueri nostri alij sunt, longe quam ante modestiores, domi, ac foris quietiores, maiorum obseruantiores, suis longe magis obsequentes, longeque magis cum laudis, tum literarum amantes. Nos æquitate causæ, Equitis Quadri sapientia, eius facti gloria, ad hæc iustitia, & benignitate Vestra freti, quas hanc ob rem subiuimus vel ærumnas, vel impensas recte arbitramur positas; vt in tanto beneficio, & Quadri, quod primum contulerit; & Vestrum omnium, quod restitueritis, ex æquo apud nos, nostrosque posteros memoria immortalis viuat. *Hæc Pontanensis Ciuitas per Legatos suos in Societatis, & Sociorum commendationem immortalem: In Eadem Par.2. Hist. Soc. lib. 5. à num.99.*

5. AB BILLOMENSI: *Quæ tota cum Consulibus ita ex animo Collegium apud se habere desiderabant, vt dimissis per Auerniam omnem probatis viris, testimonia multa de probitate hominum Societatis, quamque vtiles, atque adeo necessarij forent, conquisierint, quæ tredecim è præcipuis Auernorum Ciuitatibus luculenta, & plena ingentium laudum scripta protulêre. Addiderunt disertè nobiles,* Nisi Rex vellet omnes Auernos vel Hæreticos fieri, vel inscitia obrui, necessarium esse, Societatem admitti. *Dum autem ad Cardinales Lotharingum, atque Turnonium supplicem super ea re libellũ Billomæi deferrent, lumina illa, & propugnacula Ecclesiæ Gallicanæ lætissimè accepto libello addidisse Orationẽ talem feruntur.* O vos Beatos, quos diuina Maiestas temporibus his horum Virorum dono dignata est! Tenete vos quibus concessum est. Amplexamini Sodalitatem hanc Iesu Christi, & vestigijs eius ac monitis inhærete. Nos, & vestro nomine, & pro officio nostro dabimus operam, vt Gallia tanto Dei munere nequaquam priuetur. *Ita Ibid. lib.5. num.195.*

Societas maxime necessaria, ne multi, vel inscitia, vel hæresi obruantur.

Illa frui pro Dei munere habendum.

6. AB ASCVLANA. *In agro Piceno Ciuitate celebri, celeberrimum extat Testimonium, datum anno* 1613. *Kalendis Octobris ad Pau.V.*

Pontificem Maximum, in quo de Sociis Asculum sententiam dicit, publicam verius, quam suam, & sic loquitur. Beatissime Pater, si Vestra Beatitudo posset videre mutationem morum, quæ in nostra Ciuitate facta est, postquam ad nos venerunt Patres Societatis Iesv, ipsummet Asculum non amplius agnosceret. Senes antiqua odia posuerunt, iuniores nouas amicitias inierunt, gladijs & pugionibus precarij libri atque Coronæ successerunt, & sanguis discordiarum conuersus est in lachrymas pœnitentium. Vbi antea ociosi hominum Conuentus fora occupabant, nunc pie celebrant Ecclesias, & Institutas à Patribus Congregationes frequentant: in quibus qui antea odio dissidebant, amicè conueniunt, & mutuis humanitatis, Charitatisque Officijs inter se certant: vt non recenter in gratiam redijsse, sed vera, ac diuturna amicitia coniuncti fuisse videantur. Illa quoque sunt admiratione digna; obedientia filiorum in Parentes, parentum amor in liberos. Quæ omnia, vt noua apud nos agnoscimus, sic ea Patrum educationi, assiduoque labori grati accepta referimus, & hic humi postrati, *&c.* anno 1613. die 1. Octobris. *Sic in Imag. 1. sæc. Soc. lib 5. cap. 9. fol. 670.*

Ex eius præsentia apud Asculum in melius omnis ætatis mutati mores.

7. A Nesvienſi, *Quæ à maledicentium fabulis sequenti Testimonio Nostros liberauit.* Aliud sane (*inquit*) loquitur res, aliud rumor. Persuasum nobis erat, magnificis Iesuitas assuetos curribus, equorumque ministerio in itineribus decurrendis vti, semper consueuisse: sed oculi profecto nostri longe iam vident alios pedites, nullo viatico instructos, magnis incommodis fatigatos, vni animarum lucro acerrimè intentos. *Sic in Annal Soc. ann. 1610. fol. 453.*

Liberatur à maledicentium fabulis.

Vni animarum lucro acerrimè intenta est.

8. A Commotovienſi, *Cuius legati (in renouatione Senatus facta mense Martio) cum duos Catholicos substituissent, grauissimè omnes admonuerunt, ne quid in nos attentarent:* Societatis homines eos esse, qui cum alibi magnam apud summos viros haberent existimationem, Commotouij non debere premi, aut contemni. *Hæc Ibid. fol. 334.*

Magnum habet apud summos viros existimationem.

9. A

9. A PLACIENSI *In Prouincia Sicula, quæ cum animorum fructum experiretur, & pristinam disciplinam per nostros suauiter restitui animaduerteret, eam erga nos admirationem ac beneuolentiam concepit, vt in ea verba, per totas ædes eius Ciues prorumperent, ac clamarent,* Sedentibus in tenebris, & in vmbra mortis lux orta est nobis: *Viros item Societatis,* Christi Apostolos, Paradisi Angelos, *appellarent. Ita in Annal. Soc. ann.* 1602. *fol.* 33.

Eius filij sedentibus in tenebris, & vmbra mortis lux sunt.

Christi Apostoli, & Angeli Paradisi nuncupantur.

10. A CATANZARENSI *in Regno Neapol. vbi Collegium erat vulgo pergratum, & fructuosum, difficultas tamen nostros angebat, vnde nam victui necessaria possent comparari, quod vbi rescijt Ciuitatis Concilium, communi omnium consensu,* Se, vel filios, si opus foret in alimenta Collegij vendituros, *nobis illico testatum esse voluerunt: quatuorque è suo delectis Corpore remedij curam delegant. Sic Par. 4. Hist. Soc. lib. 5. n. 56.*

Ne ipsis alimenta deficiant vel filios se vendituros Catanzarenses affirmant.

11. A LVCERNENSI, *Cum Schulteto Prætore, maiori item, minorique Concilio prolixa ad Euerardum Epistola, in qua præfati summum dolorem inde haustum, quod audissent, Patres Lucerna reuocandos, subijciunt,* A se nequaquam eo Consilio accersitos, vt vnquam dimitterent. Nam id (*inquiunt*) non modo ingens nobis detrimentum, verum etiam probrum afferret, tum apud Hæreticos circumiectos, qui gauderent Antesignanos veræ fidei, & satores Germanæ doctrinæ, quæ ipsi maximè horrent, à nobis amissos: tum apud fæderatos nostros, qui dolerent nos tanto præsidio spoliatos. Et sane cum hæc veneranda Sodalitas Instituta sit ad sustinendam, ac propagandam religionem Catholicam, pietatemque amplificandam: nosque hac re non minus, quam alij indigeamus: speramus non magis nobis, quàm alijs denegatum iri auxilium: cum parati simus ijsdem, & fortè amplioribus, quam alij, eam Officijs prosequi. Nam quam vberem hic habeat materiam, id quod intendit consequendi, compertum est hoc breui missionis tempore, quo fructus tam singularis apud senes æquè ac iuuenes partus est. Nos vero (quod sine iactantia dictum sit) ij semper fuimus, sumusque hodie qui Catholicam fidem defen-

Litera in Sociorum commendationem.

Sunt veræ fidei antesignani, & Satores Germanæ doctrinæ.

Societas instructa ad sustinendam, & propagandam Catholicam Religionem.

Missionum fructus singularis.

defendimus, adducta in discrimen dignitate, re, vita, & sanguine: neque id solum in patria nostra, sed vbicumq; nostra opera expectatur: parati id vel cumulatius in posterum, iuuante Deo, præstare. Æquum igitur est, vt qui religiosis laboribus summe contendunt, vt sustineant, & amplificent veram fidem, pietatemque Christianam, adsint nobis, qui idem profitemur, & efficimus armis, vitæque periculo. Et quamuis, Deo gratia, vsque adhuc in fide nulla appareat imminutio apud nos; tamen (quod Deus ignoscat) excepto hoc, multa, & varia crimina, scandala, praui vsus, erroresque increbuere: vt nisi mature succurratur; verendum sit, ne quod alijs in locis fieri videmus, medicina sera sit. Etenim ea sumus opinione, quemadmodum conciones, & cetera spiritualia officia non possunt magni esse momenti ad conseruationem, incrementumque publicæ pietatis, nisi auxilium sæcularis potestatis accedat; ita diligentiam ciuilem, & seculari perseuerare diu non posse in conseruando Religionis cultu incorrupto, nisi doctos, sinceros rectique exempli nanciscatur Magistros. Super hæc permagni nobis momenti est nostram iuuentutem in bonis artibus, ac præcipuè in vita, ac deuotione Christiana recte institui, idque si consequi domi possent; ex vsu foret non priuato solum, sed etiam publico, quòd ijs carerent vitijs, quæ sæpe ex Regionibus exteris reportantur. Cuius specimen fructus iam nos summo cum gaudio nostro, exigua huius Missionis vsura experti sumus. Obstabit fortasse perlatus ad Tuam Paternitatem rumor de nostri Cæli insalubritate. Ceterum certus esto plane experimento compertum, qui aliquamdiu patriæ huius ingenio, cibisque insueuerit; si non commodiore, certe nihilominus commoda, quam vbiuis locorum valetudine vti. Itaque quidquid in nobis est prolixe, sincere, fideliter, sine omni fuco, & fallacia promittentes, Paternitatem Tuam etiam atque etiam precamur, vt primo quoque tempore aliquod nobis subsidium mittat. Nam, cognita Operariorum paucitate Vestrorum,

Et Institutionis puerorum.

strorum, nolumus incommodo esse plenam simul Coloniam postulando. Hanc vero tam insignem beneuolentiam, dignationem, & officiosum obsequium, quod nobis Societas, vt indubie expectamus, exhibebit, vna cum ijs meritis, quæ adhuc contulit, pro singulari beneficio in omnem æternitatem colemus: paratissimi cunctis viribus nostris promouere, atque amplificare commoda eius, dignitatemque: nosque ipsos impendere in quemcumque vsum, vbi Paternitati Tuæ, Societatiue communiter, aut priuatim honori, aut commodo esse possimus: non curæ, non labori, non facultatibus, non corporibus nostris parcentes: de qua re nihil Paternitatem Tuam volumus dubitare. Has ob res, & quia singularem tuam erga nos propensionem iam pridem nouimus; expectamus cum gaudio benignum votisque nostris consentaneum responsum. Vale. Ex nostro pleno concilio huius rei causa coacto, decimo septimo Kalendas Februarij. *Hucusque Lucernensis Ciuitatis literæ ad Euerardum, plenæ quidem amoris, plenæ charitatis, & existimationis erga Socios, & Societatem: & habentur in eadem Par.4. Hist. Soc. lib.5. num.105.*

Anxie expetitur à Generali Lucernense Collegium.

12. A MAGNA CANARIA *Quæ quantum fecerit pro retinendo P. Iacobo Lopio vix credi potest. Is enim adeo salutaris, charusque Insulanis erat, vt ad alias Insulas digredi non pateretur. Proepiscopus Obedientiæ præcepto vetuit proficisci, maiore opinor piæ voluntatis studio, quam legitimæ iure potestatis. Senatus vterque pro se Sacer ac laicus, itemque Regij Magistratus vltima supplicatorum decreuerunt ijs, qui auehere, aut in nauim recipere ausi essent. Tum communiter ad Prouincialem Bæticæ ita scribunt.* Bartholomæo Turriano Parente, atq; Pastore optimo orbatis Canarienſibus, quidquid solatij residuum fuit, in vna fuisse Patris Iacobi Lopij doctrina. Nam reuera postquam ille venerit, mores supra modum correctos, tantumque profeciſſe vidimus, vt ad reuocationis eius nuntium vehementer omnes ingemuerint: probè intelligentes, quanta cuiusque res agatur. Itaque conuicio se omnium compulsos frequens habuisse consilium; & quam-

Canarienses quantum pro retinendo P. Lopio certarint?

Eius præsentia quã vtilis ijs Insulanis.

uis Pater cum multum lachrymarum, tum obedientiæ sibi deuotam Religionem opponeret, tamen omnino retinuisse, dum ipse Prouincialis, atque etiam Generalis clamores omnium Ordinum, & querimoniam cognoscerent, dolentium tantum sibi à Deo concessum boni, prope per iniuriam rapi. Nam si ad Indos, & ad alias longe abiectas gentes Catechistas mitterent, omnino scirent necessitatem apud se leuiorem non esse: neque quidquam ab se commissum, quare post alias haberi gentes deberent, & sacerdote iam sibi tradito spoliarentur potius, quàm submissis alijs iuuarentur. Itaque ergo Christi IESV Verbis, ac nomine orare Prouincialem, tantum indulgeat spatij, dum Præpositus Generalis probe cognita causa, quid fieri velit, decernat. Confidere enim iustissima vota non repulsurum, Episcopumque nouum, à quo Collegium perficeretur, se propediem habituros. *Hæc in Bæticam, Romamque scripta fuere à Magna Canariensi Ciuitate, vt refertur Par. 3. Hist. Soc. lib. 5. num.* 184. & 185.



CLAS-

CLASSIS IX.

AB VNIVERSITATIBVS.

1. A LOVANIENSI; *Cum ageretur de ſtabilienda, continendaque in Belgio Societate. Sed quoniam Prouincias illas pro Carolo tum ſoror adminiſtrabat Regina Maria, viſum eſt fœminæ prudentiſſimæ ſuper eam rem Louanienſis Academiæ Conſilium exquirere: datumque ab Academia grauiſſimum, & honeſtiſſimum Societatis eſt teſtimonium, quod ex ipſis Academiæ monumentis, cum eadem cauſa acrius vrgeretur in hæc verba depromptum eſt.* Adrianus Cornelij de Brouluors Kauen artium Magiſter, & Sacræ Theologiæ Profeſſor almæ Vniuerſitatis ſtudij generalis oppidi Louanienſis, Leodienſis Diœceſis Rector, Iudex Ordinarius omnium, & ſingulorum membrorum, Scholarium, & ſuppoſitorum eiuſdem à ſancta Sede Apoſtolica, quod notorium eſſe denoſcitur, ſpecialiter deputatus, vniuerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis, lecturis pariter, & audituris notum facimus, & præſentibus atteſtamur, quod quidem à Sereniſſima D. Maria Regina Vidua Vngariæ, & Boëmiæ Sacræ Cæſareæ Maieſtatis in Germania inferiore locum tenente, facultas Sacræ Theologiæ antedictæ Vniuerſitatis requiſita, vt Bullas, & Priuilegia Societatis IESV examinaret; & quid ſibi de illius Inſtituto videretur, referret. Eiuſdem Bullis, & Priuilegijs maturè viſis, examinatis, & diſcuſſis: conſideratis quoque moribus, & conuerſatione eorum, qui de dicta Societate pluribus annis magno cum fructu, & ædificatione Chriſti fidelium egerunt, reſpondit eidem Sereniſſimæ Reginæ, eorum Inſtitutum pium, & ſanctum fore, & nihil in eorum Priuilegijs, Bullis, moribus, ac conuerſatione inueniri; quod toti Eccleſiæ, & inferiori Germaniæ non ſit expedi-

Academiæ Louanienſis de Societate iudicium, eiuſque Inſtituto.

Quo nihil toti Eccleſiæ, & Germaniæ expeditius, & vtilius.

expeditius, & vtile. Et quia hæc sic esse cognoscimus, & testimonium veritati exhibere merito debemus, idcirco in præmissorum fidem, & testimonium præsentes nostras literas excudi fieri, & per Notarium publicum subscribi; sigillique Rectoratus dictæ Vniuersitatis iussimus & fecimus appensione communiri. Dat. Louanij anno à Natiuitate 1556. Secunda Ianuarij. *Sic Par.1.Hist.Soc.lib.10.n.105.*

2. A PARISIENSI SORBONICA, *Cuius Vniuersitatis Doctores aliqui vbi legissent Olauij nostri disputationem, seu Orationem pro Societate, quanquam piam magis, quam fortem dicebant; neque tam probari decretum ipsorum falsum, quàm Societatis homines innocentes: quasi verò possit esse noxia Schola, quæ discipulos creat innoxios: plurimi tamen fatebantur,* Nunquam ita fuisse decreturos (*exilium scilicet Societatis à Gallia*) si talia cognouissent. *Nec quicquam postea mouerunt, imò quadragesimo post anno, in grauissimis temporibus, procellisque, quibus iactabatur in eo Regno Societas, pronunciauit Facultas Theologica,* retinendam eam esse in Gallia. *Tantum aberat, vt iam prioris sententiæ, qua pernicioſam pronunciauerat, meminisset. Ita Ibid.lib.15.n.62.*

Doctorum Parisiensium longo post tempore sententia pro Societate.

3. AB INGOLSTADIENSI, *Cuius Cancellarius Doctoresque omnes, de Societate, cuius in tribus omnino hominibus ipsa penitus Instituta perspexerant, ita denique censuerunt.* Nuper quantam lætitiam ceperimus omnes ex aduentu trium Theologorum Claudij Iaij, Alfonsi Salmeronis, & Petri Canisij, vix dici potest: quorum præsentia non solum famam de ipsis excitatam non minuit, sed etiam auget: quorum singularis in Sacrosanctis studijs scientia, tum in omnibus disciplinis exercitatio, postremo sanctimonia vitæ exspectationem omnium, eamque maximam, non solum æquat, verum etiam superat. *Hæc apud Imag.1.sæc.Soc.lib.5 cap.10.fol.670.*

Quæ honoratur ex filijs.

4. A BVRDEGALENSI *Appellante Societatis Patres,* Pietatis, & doctrinæ Antesignanos, & vera Ecclesiæ Christianæ Columina. *Ita in Annal. Soc. ann.* 1604. *fol.* 418. *Omittere sane non potui hoc breue quidem, sed Illustre encomium: non leue id quidem,*

Ij pietatis, ac doctrinæ antesignani, & Ecclesiæ Christianæ vera columina.

quidem, sed ad longissimam Societatis commendationem sensu, & verbo benignissimè comparatum.

5. * A CONIMBRICENSI: *Quæ cum à Serenissimo Ioan. III. Portugalliæ Rege fuisset interrogata, quid de Societatis hominibus sentiret, perhonorificum, satisq; longum dedit testimoniũ: quod inter alia multa sic se habet.* Primo testatur Vniuersitas, Societatis homines virtuti deditos, modestos, humiles, deuotos, ac de Republica Christiana benemerentes, exemplo vitæ splendentes. Testatur insuper non tantum Conimbricæ Ciuitati, sed toti Regno magnos, & vberes fructus ex vita, exemplo, ac salutari huius Societatis doctrina peruenisse: Africam, & Indiam summa velocitate eius filios percurrisse, vbi illi sua exemplari vita, ac ædificatione virtutes plantant, vitia extirpant. Ob quæ (*& alia multa, quæ ibi referuntur*) sentit, ac testatur Vniuersitas hanc Societatem honore summo recipiendam, omnique veneratione fouendam, vtpote quæ miraculosè Instituta est, à Deoque Orbi Vniuerso tam calamitosis temporibus concessa, *&c. Hoc fuit doctissimæ Vniuersitatis de socijs, ac Societate iudicium: quod Lusitano idiomate satisque diffuso habetur apud P. Tellez in Chronico Hist. Soc. Lusitanæ Par. 2. lib. 6. fol. 16.*

Per honorificum de illis testimonium.

CLASSIS X.

A SELECTIS EX OMNI ORDINE VIRIS.

Ioannes Auila magnus virtutis Magister Societatis perstudiosus, & commendator.

1. A IOANNE AVILA *Apostolo Bætico, & Societatis perstudioso commendatore. Hunc S.P. Ignatius edocendum putauit de Salmanticensibus turbis, quidque ipse prouidendum contra censuisset, vt fama sui Ordinis, quæ necessaria est causas animarum tractantibus, integra seruaretur. Quibus literis vir tantus peramanter, & officiose rescripsit.* Dei Donum, & Munus *prædicans,* quod sibi ab ipso iam inde Societatis ortu intelligere, ac sentire datum esset, id manifestum diuinæ Sapientiæ Opus esse, magnamque eius, cum in eos, qui Societati se adijcerent, tum in ceteros, qui per eam in virtute erant profecturi misericordiam, atque clementiam. *Hæc ille* 1. *Par. Hist. Soc. lib.* 9. *num.* 59. *Et num.* 60. *probauit consilium B. Patris.* Vt ab Sede Apostolica præsidium aduersus eos, qui diuino Operi se opponerent, peteretur, quo eorum frænarentur ora, qui sermonibus suis, siue recta ex mente profectis, siue peruersa, in suspicionem illud vocarent. Verumtamen nunquam post conditum Orbem, non fuisse virtutem, quæ exerceretur, ac vitium quod exerceret. Nec tam cælesti Domino placere famulos suos rebus præclare gerendis, quam aduersis alacriter, & cum fiducia perferendis. Atque alioqui verus à simulato seruus, quo internoscetur, *inquit,* nisi præsto sit, quasi lapis Lydius, infectatio? Aquila pullos suos obiectu Solis explorat, metalla Argentarij coticula, Christus famulos suos receptibiles camino humiliationis. Deniq; qua via Caput præcessit, hac subsequendũ est membris. Quæ ideo libenter commemoro, quia

Illa est Dei donum ac munus opusque diuinæ sapientiæ.

Laboribus exercita, vt Christi vestigijs insistat.

quia reipsa in hac Sancta Societate fieri confido. *Hæc, & id genus multa ad Ignatium Auila. Et ibidem num.61. tam præclarè de hoc Ordine sentiebat, & loquebatur, vt affirmaret,* Nihil se tam dolere, quam quod per ætatem, & valetudinem ei se se adiungere cum eius vsu, fructuque non posset. Discipulos tamen suos ad illum, quotquot posset, summa voluntate missurum.

Dolet Auila sibi non esse ætatē Societati idoneam, mittit tamen ad eam discipulos suos.

Ab Eodem: *Qui agens Cordubæ cum alumnis suæ disciplinæ, qui simul nostros in ea Vrbe conspexit, pro qua re egregie laborarat magnitudine gaudij elatus in Canticum Simeonis erupit,* Nunc dimittis seruum tuum Domine, *&c. Ita Par.1. Hist. Soc. lib.13. num.42. Et cum Natalis noster Iacobum Guzmanum, & Gasparem Loartem suæ disciplinæ Viros, Societati adscribendos secum in Italiam duceret; aliqua vir magnus Auila monita profecturis dedit, quæ his verbis auspicatus est.* Quoniam ad eam Societatem acceditis, quæ subleuandis animis tota versatur, ante omnia proponite, & persuadete vobis, vestrum id esse vnum fouere, atque alere voluntatem de omnibus benemerendi, & precibus apud Deum de salute omnium esse solicitos, *&c. Ibidem lib. 14. num.57.*

Eiusdem gratulatio de Collegio Cordubensi. Luc.2.29.

Societas in subleuandis animis tota versatur.

Ab Eodem: *Qui (teste Michaele Turriano) literis ad B. Ignatium) tam ex animo complectebatur, & excipiebat spiritum Societatis, & cuncta eius Instituta, vt diceret;* Id se facere naturali quadam quasi proprij amoris illecebra, quod omnia plane congruebant cum ea forma, quam in animo suo ipse descripserat: id esse quod suo in spiritu sentiebat, ac sentit. Verum se Paranymphum instar Ioannis fuisse, & gaudio gaudere propter sponsum. Nec aliter sibi contigisse, atque si puer conetur lapidem ingentem attollere, qui dum præ virium infirmitate rem nunquam perficit, vir superueniens robustus, pro virium magnitudine nullo negotio tollit, suoque loco aptè constituit. *Quo simili vir modestissimus se ipsum paruulum cum viro valido ac Gigante conferebat Ignatio. Ita Ibid. num.60. Qui tandem, tale conceperat de Societate iudicium, quod non posset contineri,*

In eam Ioannis Auilæ amor, & æstimatio. Luc.1.17.

Quanta sit felicitas illius Collegium habere.

tineri, quin exclamaret, Felicem plane Montellam, cui Collegium habere Societatis contigisset: publicos seruos esse homines Societatis: atque adeo apud se ita quemque statuere debere, totidem se raræ fidei solertiæque mancipia videre sua, quot ex ea viros videret. *Hæc ille Par. 2. Hist. Soc. lib. 5. num. 59.*

2. A RVARDO TAPPERO *Louanienſis Academiæ Cancellario dignissimo, qui dum P. Adriani ab Adriano solemnem professionem excepit, egregium Societati testimonium edidit: thesique posita ex Euangelio S. Ioannis*, Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut & ego dilexi vos, *ad frequentissimam multitudinem sic exorsus est.* In lege veteri carnalibus, rudibusque Iudæis mandatum fuit, diliges proximum tuum, sicut teipsum: hoc vero nouo Christi mandato quemadmodum S. Cyrillus exponit, iubentur discipuli diligere proximum supra se ipsos, nempe sicut Christus dilexit nos. Idque est quod hæc sancta, & noua IESV Societas studet, hoc eius filijs propositum est, ex hoc nouo Christi mandato nihil Charitate fraterna prius habere, sui nullam rationem ducere, se ipsos exinanire, totos se ad Dei honorem & salutem proximorum effundere, quemuis laborem, quoduis discrimen subire, denique vitam ipsam pro Christo, & animarum salute contemnere. Nouus inauditusque charitatis modus, quem Christus Dominus transiturus ex hoc mundo ad Patrem, commendauit suis. Hoc itaque nouum mandatum pro fundamento & radice Sancta hæc Societas habet. Qui enim ei se mancipant, non vni cuipiam, vt aliæ Religiosæ Familiæ, charitatis officio se dedicant, sed plane omnibus, ad quascumque terrarum oras mittantur. Quod quidem adeo præstans, & sanctum est, vt omnem superare intelligentiam videatur: mirumque non sit, si hæc Sancta Societas cognoscatur à paucis. Quæ meritò plane sanctissimo IESV Nomine appellatur, non vt quidam peruersè dicunt, quasi alij sint de Societate Diaboli: sed quia Dominum IESVM, eiusque Apostolos præ-

Ioan. 13. 34.

Matth. 22 39.

Sancta & noua IESV Societas.

Ioan. 13. 1

In dilectionis mandato radicata.

A IESV nominatur, quia Iesum & Apostolos sectatur.

præstantissimo modo sectatur. *Hæc cum dixisset, explicassetque, quam esset ritè auctoritate Apostolica comprobata, contestans* à se Diplomata, & Instituta eius, & spiritualia Exercitia accuratè perspecta; etiam quæ pertinent ad communem eius in victu, cultuque rationem, vitæ excellentissimæ docuit inseruire. *Deinde singularem præstantiam in Paupertate, quod Professis non modo nihil in commune possidere, sed ne pro Sacrificijs quidem, & alijs ministerijs, quicquam fas esset accipere; tum in Obedientia demonstrauit, quod se ad quamcumque profectionem, siue ad Turcas, siue ad Indos deuoueret. Denique etiam sapientissime, & summa charitate factum, vt teneræ ætatis institutio in rudimentis Christianæ rei corrigendæ fundamentum: eoque pacto non in alijs modo regionibus, sed etiam in Indijs, & in Æthiopia plurimum iam esset profectum. Quibus ex omnibus rebus colligens*, nihil mirum videri, si talia profitenti Ordini pro Satanæ odio, & inuidia multi existerent aduersarij, quanquam se, *aiebat*, credere plerosque ex inscitia aduersari, moxque veritate cognita studia mutaturos, *magno cum auditorum motu orationem concluſit. Sic Par. 1. Hist. Soc lib. 11. num. 43.*

Commendatur eius Institutũ.

Paupertas; obedientia, & cura in puerorum educatione.

Aduersata ex Satanæ odio, & inuidia.

Ab Eodem: *Qui, vt erat alta mente vir, & prouidus futurorum, aduentantes nostros Louanij toto complexus pectore, cum graui gemitu exclamauit.* Venistis serius, ô Patres, serius venistis. *Ita apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 6. cap. 3. fol 768. Et postea cap. 5. fol. 886. nobilius adhuc testimonium dedit, cum dicere solebat Cancellarius meritissimus*, Cerni oculis, atque ipsis quoque tangi manibus, Societatem iugulandis Hæreticis, non ferro, sed eruditione, pietateque Christiana diuinitus excitatam.

Iugulandis hæreticis diuinitus excitata.

3. A Martino Navarro, *Viro doctrina, & pietate clarissimo: qui cum ad Salmanticam iter haberet, Patresque nostros salutatum venisset, cum diceret*, debere se obedientiam, quam toti Societati detulisset, ei quoque deferre Collegio, *pie omnes, deque genu complexus sollicite monuit*, vt Salmanticensis, Parisinique Collegiorum fundamenta quam optime constituerent, vt quæ Vrbes veluti fontes quidam literarum essent, quo ex-

Classis cõtra Satanam, qua nulla maior instructa.

ternorum plerique confluerent: cumque Ignatius contra Satanam eam instruxisset, ornassetque Classem, qua nulla maior vnquam esset instructa (*sic enim ille loquebatur*) magnas Societatis Collegijs, domibusque tempestates non defuturas. *Ita Par.* 1. *Hist. Soc. lib.* 14. *num.* 74.

De eius Cõfessarijs singularis opinio.

AB EODEM, *Qui agens de Confessario, cui morem gerere scrupulis vexatos par sit,* Respondeo (*inquit*) quod si Confessarius est vir eruditus egregiè, & pius insigniter, quales solent esse Magistri, & Doctores, & Confessarij Illustrissimæ Societatis IESV, procul dubio, & sine aliquo scrupulo, potest, imò & debet credere: adeo quidem, vt mea sententia, non credendo, & non se eius auctoritate tranquillando, peccaret. *Hæc ille Tomo suo Consil. lib.* 5. *consil.* 17. *num.* 1. *Et rursus in suo Manuali Confessorum Cap.* 24. *num.* 10. *Societatem* IESV *appellat,* Illustrissimum, vtilissimumque nostro sæculo Ordinem. *Et tandem Tom.* 3. *Miscellaneo* 69. *de Oratione expendit,* Quanto præsidio fuerint ad retinendam auitam Religionem Sociorum Scholæ, sicut econtra (*ait*) paulo ante Orbi Gallicano indicibile damnum inuexerunt qui in quibusdam Galliæ, Aquitaniæ Gymnasijs impietatem Lutheranam, & rudimenta Grammaticæ coniunctim docuerunt. *Hæc ille.*

Illustrissimus, & vtilissimus Ordo.

Eius Schola magnum præsidium ad retinendam auitã religionem.

Societas à Deo coacta, fulcita, & illustrata:

Ad iuuamen Christianæ Reip. & errorum caliginem depellendã.

Ad animarum medelam, & effrænis iuuentutis educationẽ.

4. AB ANDREA VICTORELLO *Super suas Annotationes ad summam Francisci Toleti Card. in Præfatione ad lectorem*: Sanctissimæ (*inquit*) & doctissimæ Societatis IESV filius (*loquitur de Toleto Cardinali*) quam Deus Optimus Maximus coëgit, fouet, fulcit, auget, illustrat, vt Christianæ Reipublicæ negotia, ad nutum sanctissimi Romani Pontificis adiuuet, vt tetram errorum caliginem depellat, animorum morbis medeatur, adolescentibus opem ferat, quo in ipso æstuantis ætatis meditullio prauas voluptatum titillationes spernant, effrænes lasciuientis animi impetus frænent, vitijs nuncium remittant, virtutum perfugium quærant, scientiarum amore capiantur, in diuinæque pietatis quasi gremio cælestium bonorum auidissimi consenescant. *Hæc ille.*

5. A

5. A DIDACO PAIVA DE ANDRADE *Doctore sapientissimo, qui à sereniſſimis Portugalliæ Regibus ad Tridentinam remiſſus Synodum ſemper interfuit, & pro Societate aduerſus Kemnitium valenter ſcripſit: Is poſtquam in Præfatione ante lib.* 1. *Orthodoxarum explicationum Noſtros vocarat* Homines Catholicæ, piæ, veræ, & excellentiſſimæ doctrinæ, Inſtitutum vero ſanctiſſimum, & ſeuerioris, & ad veterem Eccleſiæ normam confirmatæ diſciplinæ, & qui laboribus immenſis ab vniuerſa fere Germania peſtem redimunt, florentiſſimamque Prouinciam ad antiquam Religionis puritatem reſtituunt: *Tum ipſo libro* 1. *Kemnitium alloquitur inquiens.* Diligenter amabo te, perſcrutare omnes illorum actiones, & curioſè inueſtiga, an quidquam in vniuerſis eorum Conſilijs reperire poſſis, quod inflammatum in Chriſti plebem amorem non ſpiret. Hic eſt, qui tuum in eos funeſtum odium concitauit. *Hæc apud Paul. Leonard. Apolog. pro ſcientia Media Par.* 2. *num.*85.

Eius Inſtitutum, & filij laudantur.

Ex doctrinæ excellentia, & laboribus immenſis in hæreſis perniciem.

Spirant inflammatum in Chriſti plebem amorem.

AB EODEM, *Societatem ſuorum Martyrum ſanguine purpuratam contemplante*: Infinitum (*inquit*) quidem eſſet numerando percenſere, quot illius viri in hoc docendi Euangelij, atque Indicos homines ab impietate auocandi munere, verberibus cæſi fuerint, quot vinculis obſtricti, quot in carceres miſerè contruſi, quot inedia fere conſumpti, quot denique ob Chriſti nomen varijs cruciatuum generibus interierint. *Hæc ille lib.* 1. *Orthodox. explicat. apud P. Nigron. ſup. Regul. Soc. tit. Par.* 3. *n.* 14.

Quanta patiantur in Indijs, vt homines ab impietate auocent.

6. A PETRO VICTORE *In Appendice ad Chronolog. Genebrardi anno Mundi* 5673. *& Chriſti Domini* 1583. *vbi ille ſic ait*: Deus ſemper in Eccleſia ſua ſuſcitauit viros heroica virtute præditos, ac præſertim remedium malis noſtris peropportunum, veluti data opera miraculis glorioſum, & doctrina eximium Sacrum Patrum Ieſuitarum Ordinem eſſe voluit, à quo ſolo fere tota Eccleſia videtur reſtituta, ſine aliorum Ordinum iniuria, ſed in laudem omnipotenti Deo, & miſericor-

Societas Ordo eſt miraculis glorioſus, & doctrina eximius.

A quo ſolo tota Eccleſia videtur reſtituta.

di, qui fœdus suum cum sua vnica Catholica Ecclesia nunquam poterit obliuisci.

Omnia Ignatij, & suorũ studia ad conseruandam, & multiplicandam fidem spectant.

7. A IOANNE MOLANO *Notis ad Martyrologium Vsuardi ad diem Vltimum Iulij de B. P. N. Ignatio inquit.* Omnia enim eius Consilia, & studia spectabant ad conseruandam, reuocandam, & multiplicandam per se, & suos fidei Catholicæ sinceritatem. *Hæc ille in citata Apologia pro scientia Media Par. 2. num. 85.*

Societas militans sub Nomine IESV ad occurrendum Caluinistis.

8. A RENATO BENEDICTO *Doctore Sorbonico in expeditione Epistolæ Missæ de Circumcisione Domini*: Diuina (*inquit*) prouidentia videtur Instituta Societas militans sub Nomine IESV ad occurrendum Caluinistis, qui vt tollant à Christo Diuinitatem, non IESVM Christum appellant; vt mos antiquissimus est, vel IESVM, sed tantum Christum. *Ex cuius verbis habemus, & Sodalitatem nostram militantem esse, & Caluinistarum in appellando Saluatore, deprauatæ consuetudini facere medicinam. Ita apud Nigron. in Reg. Soc. Tit. Par. 3. n. 48.*

Excitata à Deo tanquam Murus contra hæreses in veteri Orbe.

Et in nouo ad prædicandum Euangelium.

9. A FRAN. LVCA BRVGENSI *Decano Audomarensi Tomo 4. in Euangelia, Epistola nuncupatoria ad R. P. Mutium Vitelleschum Societatis* IESV *Generalem.* Societatem (*inquit*) à Deo excitatam, vt in vetere quidem Orbe eam tanquam Murum opponeret nascentibus Hæresibus: in nouo autem Orbe eâ vteretur ad prædicandum Euangelium suum. *Hæc ille in Apologia citata pro scientia Media Par. 2. & n. 85. citatis.*

Ignatius antidotum contra Lutheri venenum.

Vtriusque mira antithesis.

10. A FRANCISCO MONTANO *In Apologia contra Antonium Arnaldum cap. 64.* Nostro (*inquit*) tempore vt viri sapientes obseruarunt, & maxime Dominus Genebrardus Archiepiscopus Aquensis, cum Dominus permisisset spargi venenum, mox etiam antidotum dedit; Martinus Lutherus ab Ecclesia discessit, vt Ecclesiam impugnaret, Ignatius de Loyola ex mundo recessit, vt mundum debellaret: vterque ab Ecclesia initio renatus, & genitus in ijsdem visceribus, & quidem eodem tempore, vt gemini Esau & Iacob, Lutherus vt Esau factus grandior à Dæmone instructus, & impulsus est,

vt

vt Ecclesiæ turbo fieret, animabusque perdendis, & ad sempiternum exitium detrahendis administer: Ignatius tanquam Iacob, & indefessus miles eligitur à Deo, vt pro Ecclesia pugnet, animarumque saluti procurandæ diligenter aduigilet, Lutherus in campum educit phantasmata, & deliramenta Arrij, Manichæi, Donati, & omnium veterum Diaboli satellitium: Ignatius copias suas collegit, & præeuntibus sanctis Ecclesiæ Doctoribus ordine disponit, & ad Lutherum fugandum, & ad omnes Lutheranas cohortes profligandas educit. *Et in principio sui Apologetici idem doctissimus scriptor addit*: Odio prosequuntur (*loquitur de Sectarijs*) omnes veri nominis Catholicos, magisque adhuc Religiosos, sed præ ceteris omnibus Iesuitas: hinc omnes suas disputationes, omnes chartas, omnia sua mendacia, omnia veneni genera, omnia fulgura, & tonitrua in Iesuitas effundunt; potiori temporis parte inducias faciunt cum ceteris familijs Ecclesiæ Dei, cum ista nunquam: doctrinam Ecclesiæ Catholicæ non amplius vocant suo nomine doctrinam Catholicam, sed doctrinam Iesuiticam. Iesuitæ sunt scopus, & meta ad quem Hæretici omnem furoris impetum destinant, in quibus solis ipsam quoque Ecclesiam toto mundo diffusam expugnare, vel certe oppugnare velle videantur. * *Adde ab Eodem Montono Vocari Societatem* Seminarium Vniuersale omnium virtutum. *Ita apud Euseb. vit. S. Ignat. cap.* 1.

Iesuita præ ceteris odio prosequuntur ab Hæreticis.

Qui cum illis nunquam inducias faciunt.

Sed in illis Ecclesiam sibi videntur expugnare.

Societas omnium virtutum vniuersale Seminariū.

11. A Nicolao Sandero *Lib.*1. *de Schism. Anglic. fol.* 202. Sed ô (*exclamat ille*) rursum ineffabilem ipsius in nos, Ecclesiamque vniuersam bonitatem, & misericordiam, qui his ipsis temporibus, quibus à blasphemia Lutheri lingua alibi, & in Anglia per inauditam iniquissimi Tyranni sæuitiam extincta plane videbatur omnis Religionis, ac perfectioris vitæ professio, & erga Christi Vicarium ita omnis sublata obseruantia, vt ipsius Papæ ac Pontificis venerandum fidelibus nomen fieret execrabile, excitauit spiritum Viri Dei Ignatij Loyolæ, Sociorumque quorumdam suorum, qui castissimam

Ipsa, & Ignatius contra Lutherum excitantur.

purgatissimamque Religionis viam ingressi, ad cetera perfectionis studia & vota, illud quartum singulari quadam ratione ex Dei instinctu votum contra Lutheri & Henrici impietatem sponte addiderunt, & in omnibus officijs pietatis ac Religionis peculiariter Romano Pontifici se suamque operam pollicerentur, *&c. Hæc ille Par. 2. num. 86. Apol. cit. pro scientia Media.*

Ille à Deo missus in subsidium Ecclesiæ.

12. A FLORIMVNDO REMVNDO, *In Burdigalensi Christianissimi Galliarum Regis Curia Cancellario meritissimo Tom. 2. de Hæresum Origine, & progressu lib. 5. cap. 2. num. 2.* Eodem tempore (*inquit*) quo Lutherus abiecto cucullo non se tantum, sed alios quoque contra Ecclesiam armauit, Deus militantem hominem excitauit, qui deposito sago, Religionis habitum assumeret: hic ille est quem sub Nominis IESV vexillo Deus obsessæ suæ Ciuitati in subsidium misit, vt eam non solum ab insidijs, & stratagematis hostium, contraque eorumdem insultus defenderet, verum etiam in hostes vltro irrueret, machinas eorum corrumperet, propugnacula deijceret, cuniculos euerteret, hostibusque depulsis profugos contra muros Ecclesiæ ab eis desertos reduceret, & ex persecutoribus defensores, ex hostibus ciues redderet: hæc feliciter præstitit Ignatius Loyola tam nobilis, & validi Exercitus Dux, qui per totum terrarum Orbem in manipulos dispersus, sub IESV Nominis vexillo hæresi continuum bellum facit, *&c.* *Hæc ille Ibidem num. 86. cit. fine. Et postea multa alia præclarè in doctrinæ argumentum loco eodem, libro, capite, & numero citatis addit in hunc modum.* Quorum (*id est Jesuitarum*) de doctrina tanta est existimatio, vt scientiæ omnes perditæ, eorum opera restitui posse videantur, ex quo teterrima eorum apparet inuidia, quos Societati huic ignorantiam exprobrare non pudet; sed hoc conuicium non minus in ipsis locum habet, quam in Hercule & formidinis crimen, *&c. Hæc apud Apolog. cit. pro scientia Media Par. 3. num. 55.*

Dux validi exercitus hæresi bellum facientis.

Soc. quantum doctrina, & scientijs excellant?

AB

AB EODEM, *de Hæres. Ortu lib.4.cap.3.asserente*, Contra Hæreticorum pestem, non aliunde maius, quàm à Societate Præsidium allatum: eius potissimum operâ errorum causam, hoc est ignorantiam sublatam, redditumque Catholicis ritibus splendorem. *Societas præsidium contra hæreticorum pestem.*

Hæc apud Imag.1.sæc. Soc.lib.2.cap.4.pag.214. Et postea conuersâ ad illos, quos ita extulit IESV *socios, Oratione sua, sic exclamat scriptor idem grauissimus.* At vos, (*inquit*) ô inuicti, & infatigabiles Æacidæ, cælitus vos missos credimus, vt tam longo, & funesto bello finem imponatis. Vobis vt à Mercurio olim Vlyssi, diuina illa herba moly à Deo data est, vt tantam miserorum hominum à venefica illa Circe hæresi incantatorum, & in bestias transmutatorum, multitudinem pristinæ formæ restituatis: aliosque quos mali illius vis nondum attigit, præseruetis. A vobis, Duces fortissimi, vltimus ille ictus lernæo monstro infligendus expectatur: in fatis namque est, vt sicut Troia sub Pyrrho, sic sub Vobis hæresis pereat, atque excindatur. Quamuis autem merita Vestra, & labores, non vt par est, ab omnibus excipiantur, & compensentur, non tamen cessate Victoriam Vestram persequi, donec hostis plane prostratus & deuictus in triumphum ducatur. *Hæc ille apud cit. Imag. lib.5.cap.9.pag.647.*

Eius filij inuicti, & infatigabiles Æacidæ è cælo missi.

Duces fortissimi sub quibus, vt sub Pyrrho Troia, hæresis peritura.

AB EODEM, *In præcellenti opere de Hæresi nascente, & cadente lib. 6. Vbi postquam ille zelum huius Ordinis in rem Catholicam fusè descripsit, & varias regiones ab eo peragratas, enumerauit, subdit*: Nec solum in hasce Prouincias ad mortalium animas à Paganismo, & Hæresi reuocandas, easque restituendas Catholicæ Christi Ecclesiæ admittuntur: sed etiam ob vitæ innocentiam, virtutes præclaras, excellentia exercitia, diligentiam & dexteritatem, iuuentutem tam in pietate, quam in doctrina instituendi, & educandi, ob insignem etiam eruditionem, prudentiam singularem, & alia rara Charismata illis à Deo concessa ascisCuntur, non sine magno Ecclesiæ Catholicæ emolumento, tum à summo Pontifice, tum ab alijs magnis Principibus Christianis, Concionatores, & Confessarij,

Eorum zelus in animabus reuocandis à Paganismo & hæresi.

Et virtutes præclaræ, cum singulari eruditione.

Non sine magno Ecclesiæ emolumento.

rij, Consiliarij in rebus diuinis, in Academijs Professores, restitutores morum collapsorum, ac reductores & Magistri exquisitissimi religionis, pietatis, & veri cultus Dei. *Hæc Regius apud Aquitanos Consiliarius apud P. Reinad. in sua Trinitate Patriarcharum fol. mihi 600. Et tandem tot ac tam præclaris elogijs in nostram commendationem non satiatus dictus Florimundus, pro tanta illa opinione, quam de Societate conceperat, non dubitauit Colophonem illi siue Coronidem, & quidem auream his verbis imponere:* Quis, *inquit*, non dicet Societatem IESV Auxiliarem esse Manum è cælo contra nouum Senacherib submissam, quam etiam firmiter sperandum est, non prius defecturam, quam omnes hæreses sint extinctæ. Diuinitus ad hoc missa est Societas, vt mundo felicitatem, Ecclesiæ salutem, sibi gloriam pareret, & adferret. *Hactenus ille, vt refertur à Fr Ioan. Ponce Ord. Minimorum, viro grauissimo in approbat. sua ad Tom. P. Andr. Perez de Triumphis fidei.*

Societas manus auxiliaris contra nouum Senacherib cælitus submissa.

Vt mundo felicitatē, Ecclesiæ salutem, sibi gloriam pareret.

13. A SEVERINO BIMIO *Theologo Colonienſi Tom. 4. Conciliorum Generalium in vita Pauli III.* Societatem, *inquit*, Nominis IESV, quæ auctore Ignatio Loyola nobili Hispano Instituta est, quæque Orientales populos conuertit, hæresim Lutheranam & prope extirpauit; magno totius Ecclesiæ Catholicæ applausu, & emolumento comprobauit, & confirmauit. *Hæc ille apud Paul. Leonard. in Apolog pro scient. Media Par. 2. n. 87.*

Orientem conuertit, Lutheranā hæresim prope extirpauit, totius Ecclesiæ plausu.

14. A PETRO STEVARTIO *Academiæ Ingolstadienſis Procancellario, & Rectore in Apologia pro Societate* IESV *publicata ann.* 1593. *fol* 21. Hæc vnica, *inquit*, & præcipua causa est odij Vestri (*alloquitur sectarios*) in Patres Societatis IESV; omnesque eorum Patronos, & amicos; videtis enim salua Catholica doctrina, ita defensa, quemadmodum à Societatis IESV hominibus publice docetur, promulgatur, propugnatur; omnes hæreses labi, & corruere, præterea Concilia, ac leuitatem Vestram, vosque vt homines nihili, & viliſſimos despici, ac contemni. *Sic ille apud citatam Apologiam n.* 88.

Inde in illam insanabile hæreticorum odium.

15. AB

15. Ab Stanislao Rescio *Protonotario Apostolico in Apologia contra Poloni cuiusdam maledicentiam pag.*34. Sed interim, *ait ille*, ipsi eorum Magistri (*scilicet nouatorum*) & ministri editis in vulgus libellis, & pictis propositis tabellis in oculis omnium gentium confitentur nutantẽ in Septentrione Romanam Ecclesiam Iesuitarum studio, labore, diligentia, ope omnium rerum sustineri. *Et pag.* 49. *addit:* Tales se plane isti noui Præceptores Iesuitæ exhibent, quales esse volebat doctissimus Lyrinensis cum ait, ô Sacerdos, ô tractator, *&c. Ibid. num.* 88. *Scriptor idem doctissimus in Vita Stanislai Hosij Cardinalis loquens de S. P. N. Ignatio, ait:* Qui primus Pauli, & Ioannis Apostoli præcepta secutus, fideles Dei in Societatem filij eius Domini nostri Iesu Christi conuocauit; totque tam pios, tam doctos, tam vtiles, tam necessario tempore filios, & defensores Ecclesiæ Dei peperit. *Ita apud P. Nigron. in comment. Reg. Soc. Tit. par.*1. *num.*15.

Eius filiorũ studio, labore, ac diligentia Rom. Ecclesia in Septentrione nutans sustinetur.

Ij Ecclesiæ defensores, docti, vtiles, ac necessarij. 1.Cor.1.9

16. Ab Antonio Fabro *Celebri Iurisconsulto Tom.* 2. *decisionum forentium lib.*9. *tit.*15. *definitione* 2. Quibus (*loquitur de Iesuitis*, nihil ætas nostra tulit eruditius, aut religiosius, nihil toti Christianæ Reipublicæ vtilius. *Hæc ille apud toties citatam pro scient. Med. Apol par.*3. *num.*54.

Quibus nihil eruditius, religiosius, Christianæue Reip. vtilius.

17. A Prospero Farinacio *Tract. de Hæresi Epistola Dedicatoria ad Cardinales Generales Inquisitores. S. R. E.* Et quidem (*inquit*) è Societate Iesv splendida illa literarum Officina scientissimorum (*& nominatis quibusdam Scriptoribus, quos euoluerat subdit egregius Doctor;*) Vt si quid est, quod in hoc labore meo laudem, commendationemque nominis mereatur aliquam, id ex eorum fontibus, diserte vt par est, atque simpliciter hausisse me fatear, *&c. Hæc ille Ibid. numer.* 54.

Societas splendida literarum Officina.

18. A Fidelio Annoso *Verimontano in Synopsi Apostasiæ Marci Antonij de Dominis: Grad.* 4. *fol.* 34. Nulla (*inquit*) alia re magis commendatur Ordo Iesvitarvm quàm quod vix inter illos conspicias quemquam à pietate, aut Reli-

A pietate, & Religione deficientes non patitur.

Religione deficere, quin prius ab ipso Ordine secernatur. *Hæc ille.*

Miro cum fructu in iuuentutis educationem incumbit.

19. A LAVRENTIO BEYERLINCK *Canonico Antuerpiensi, scriptis, & eruditione celeberrimo: in Theatro vitæ humanæ tom. 2. lit. C.* Nostro (*inquit*) sæculo, inter omnes Religionem aliquam professos, sedulo, & miro cum fructu Catechisationi iuuentutis incumbunt Religiosi, siue Clerici Societatis IESV, vel hoc Nomine celebrandi quod hanc rem Ecclesiæ Dei vtilissimam magno zelo curent, & exacta methodo Iuuentutis regimini accommodatam exequantur: sic vt proprium eorumdem munus videatur, & in quod omnes incumbunt, teneros puerorum animos Christianæ disciplinæ formulis, veluti cum ipso lacte imbuere. Quo fit, vt ijs locis, quibus Societas hæc admissa est, videre liceat, Iuuenes moribus, & pietate instructos, & de ijs etiam rebus, quas alibi adultiores ignorant, differentes. Neque dumtaxat honestioribus hunc laborem impendunt, sed & pauperibus, qui arte & manu victum quærunt, aut impensis eleemosynarum, vel è publico aluntur, assiduâ instructione diebus, quibus ab opere feriantur, adsunt: nec ab agrestium pia directione, vbi ea per Parochos negligitur, se subtrahunt, quin exemplo Apostoli omnibus omnia facti, omnium moribus, & disciplinæ se accommodant, sic vt in sola Antuerpia habeas subinde triginta numero, & plures pro varietate locorum, qui in hac pietate desudant. *Hæc ille apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. cap. 6. fol. 355.*

Omnium moribus & disciplinæ se accommodat.

Eius institutio cælo, ac cælitibus dignum stratagema.

20. A VINCENTIO BLASCO DE LA NVZA *In Historia Ecclesiastica, & sæculari Aragoniæ Tom. 1. qui testimonium pro Societate latinè redditum hoc scribit:* Quod (*inquit*) Illustrem fecit hunc annum, facietque in ventura retro sæcula, fuit quod Sancta Sedes Apostolica confirmarit Religionem Societatis IESV. Cælo dignum ipsisque Cœlitibus stratagema, dare hisce temporibus Sacrum illud Institutum, vnde tanti, tamque sancti & docti homines prodierunt. *Hæc ille in Imag. cit. lib. 5. cap. 10. pag. 670.*

21. AB

21. AB ANDREA SAVSSAIO *In Martyrologio suo Gallicano, in Societatem, & Socios fusiori calamo encomia effundente.* Ipso (*inquit*) die Sancti Ignatij Loyolæ Presbyteri & Confessoris glorioſissimi, qui ſingulari diuinæ bonitatis arcano Orbi datus ac in lucem editus, imminente tempore, quo aperto abyſſi puteo, æternus pietatis hoſtis, tetra hæreſeon caligine Solem Fidei Catholicæ clariſſimum obſcurare, & per ferales Emiſſarios Chriſti Eccleſiam funditus ſubruere ſatagebat, excitus zelo Dei nouæ Militiæ Dux, nouam in aduerſam aciem, Societatem ſcilicet IESV, felici prorſus auſpicio inſtruxit; vel hoc ipſo nomine, vniuerſis inferorum copijs formidandam. Quam Regulæ ſanctiſſimis præceptis Inſtitutam, Sedis Apoſtolicæ auctoritate munitam, diuina prorſus ſapientia regens, toto Orbe diffudit, aduerſus impietatis cohortes, & fera peccati monſtra perpetuo certamine bellaturam. Cuius Fortiſſimæ Phalangis victoriæ, deuicta ferè iam vbique hæreſi, Fide mirificè etiam apud Ethnicos propagata, ſepulta ignorantia, vindicata pietate, quocumque Sol lucet, latè patent: hiſque trophæis ouans Catholica Eccleſia, impensè Ignatio quotidie triumphanti, iamque cum Chriſto regnanti, gratulatur. Qui Sanctorum præclarè geſtis animatus, tam mirandas res Chriſto auſpice Lutetiæ Pariſiorum aggreſſus, ipſi Chriſto IESV (cuius Nomen altè præcordijs infixum gerebat) immenſam gloriam, Eccleſiæ perpetuum munimen, & commodum, ſibi vero ſempiternum decus peperit. *Hæc ille in Imag. cit. Ibidem.*

Laudatur in Ignatio Parente.

Noua militia in aduerſam hæreticorum aciem.

Ipſis inferorum copijs formidanda.

Phalanx fortißima hæreſim deuincens, & fidem vbique propagans.

Cuius trophæis ouãs Eccleſia Ignatio gratulatur.

Qui eidem perpetuum munimen, ſibi decus peperit sẽpiternum.

22. AB ERYCIO PVTEANO *Muſarum delicio, viroque ampliſſimo in Oratione de Purificatione Virginis Matris.* Quod maius (*inquit*) Religioni Chriſtianæ bonum patrum æuo accedere potuit, quàm vt, turbato opinionum diſſidijs Orbe, viri prodirent optimi, doctiſſimi, ſanctiſſimi, quorum opera & induſtria aurea virtutis renaſcerentur ſæcula, & nouo feruore Chriſtianæ legis arcana inualeſcerent, nouo diuinitatis

Ieſuitarum operâ aurea virtutis ſæcula renaſcuntur.

Societas victrix hæresũ, Pharus virtutũ perfectio sæculi, gloria disciplinarum.

pondere firmarentur, mortalium partim frigore partim scelere expugnato? Societas illa IESV est; quam cum nomino, satis laudo. Illa Victrix hæresum, Pharus virtutum, Perfectio sæculi, Gloria disciplinarum. *Hæc ille vbi nuper. pag.* 671.

Clarum, & Illustre Sodalitium.

Teneram ætatem pietate, & eloquentia imbuens.

23. A PONTO HEVTERO *Scriptore Cæsareo lib.*13. *vitæ Car. V. qui sequens testimonium de doctrina sociorum reliquit:* Per se (*inquit*) clarum & illustre IESVITARVM Sodalitium, qui sine morositate reformatam ad pietatis cultum vitam, insuper purioris literaturæ elegantiam prudenter sectantur, teneramque in hac & pietate ætatem diligenter imbuunt, & ad eloquentiam & ingenij acumen elimandum exercent. *Hæc ille Ibid. lib.*5. *cap.*6. *pag.*645.

Ordo hominum Christianam Remp. fulcientium.

Scriptis, concionibus, &c.

24. A RENATO CHOPPINO *De Sacra politia lib.*11. *n.*18. Misellâ etiam hac tempestate, excitatus est à superis nouus Religiosorum hominum Ordo, qui vt à IESV Societate nomen obtinent, sic assidua Sacræ Paginæ lectione, concionibus, scriptorumque editione nutantem fulciunt Christianam Rempublicam, rara ingenij, doctrinæque munera ad ornatum Templi Dei, ideſt Ecclesiæ, conferentes. Potiuntur certè hi parta ex optimis studijs insigni gloria, quæ nixa veræ virtutis radicibus nunquam defloresset. Nec vero melatet Sacri huius Ordinis nouitatem inuidiosam fuisse nonnullis: sed, fractis inuidiæ repagulis, IESVITARVM Ordo radices egit velut de cælo missas: quo fortissimi Christi milites rediuiuam veterum hæresim oppugnarent æquè strenuè, vti impijs Albigentium erroribus obiecti sunt à Numine quondam Dominicanæ normæ Sacerdotes. *Hæc ille Ibid. lib.*5. *cap.* 11. *fol.*678.

Ij fortissimi Christi milites rediuiuam hæresim oppugnantes.

Et sapientiæ lumina. Ignatius Dux, & Athlas Ecclesiæ.

25. A FRANCISCO ENRIQVEZ: Habet (*inquit non minus breuiter, quàm neruosè*) sapientiæ lumina Ignatius cum sua Familia, & eum iustissimo titulo Vrbanus VIII. appellat Ducem, & Atlantem Ecclesiæ, qui doctrinæ suæ humeris mundum fulciat, atque sustentet. *Hæc ille vbi supra.*

26. AB

26. Ab Adriano Brouwershavio *Theologiæ Doctore, Rectoreque magnifico qui graui Oratione in Magistros, ac Parentes inuehebatur, qui discipulos, filiosve retraherent ab ingressu Societatis, quam* Religionem Apostolicam, & difficillimis Ecclesiæ temporibus à Deo excitatam, *prædicabat, quæque haberet* viros eximia virtute ac doctrinâ præditos, in Concilio Tridentino inter Pontificios Theologos, cum insigni dignitate obtinentes locum. *Hæc ille. Ibid. lib. 6. cap. 1. fol. 736. Et postea Ibidem. cap. 5. fol. 886. testatur,* Institutum nostrum prorsus esse Apostolicum, ad collapsam veterem disciplinam in integrum restituendam. *Addebatque.* Patrem Adrianum ac socios esse raræ virtutis, doctrinæque viros: adeoque spiritui sancto resistere, vel certè nostrum vitæ genus ignorare, quiqui nobis aduersarentur. *Hæc ille.*

Societas Apostolica Religio.

Habet viros eximia virtute, ac doctrina præditos.

Eius Institutum Apostolicum ad colapsam disciplinam restituendam.

27. A Thoma Stapletonio *Duaci doctrina, opinione celeberrimo, ad familiarem sibi hominem de Societatis ac Lessij sanâ doctrinâ, Louanium in hæc verba scribente.* Vehementer (*inquit*) gaudeo, Reuerendissimum D. Middelburgensem, quem spero breui pace confecta ad sui Episcopatus munia obeunda profecturum, tam piè, doctè, ac strenuè causam agere RR. PP. Societatis, contra importunam censuram Facultatis Louanienſis; velim sciat, in Concilium Facultatis Duacensis me vocatum non fuisse, cum de illa censurâ suum iudicium parum, vt audio, æquum & minus modestum præscriberet. Imò cùm ante complures menses eamdem ad me censuram Michaël Bayus misisset, meam sententiam non tam petens, quàm explorans, rescribens suasi, ne illam censuram amplius euulgaret; monuique, maiorem esse Societatis gratiam, & auctoritatem, quam vt eam Facultas Louanienſis labefactare possit. Precabar denique, vt studium veritatis, vinculum Charitatis non dissolueret: sed video me vel serò, vel surdis locutum fuisse. Sic ego sum Reuerendissimo Atrebatensi, vt nedum illi censuræ subsignarit, nec, spero, subsignaturus sit. Doleo hanc nouam maculam Facultati inustam, & Patres

Defenditur eius doctrina, à Louanienſi censura.

doctissimos tam iniustè vexatos; *Hæc ille in fauorem doctrinæ nostri Lessij Pelagianismi insimulati. Ibidem lib. 6. cap. 4. fol.* 847.

Testimoniũ egregium pro Duacensi Collegio.

Ab Eodem *Vniuersitatis Duacensis per id tempus Rectore meritissimo, qui egregium pro Duacensi Collegio testimonium, in hæc verba præbuit.* Fidem (*inquit*) facimus & testamur sub certa scientia, & longa iam aliquot annorum experientia, Patres, & Professores Societatis Nominis Iesv hic in Collegio Aquicentensi Philosophiam, & bonas literas docentes maximo hactenus cum fructu, ad incredibile Vniuersitatis huius incrementum, & ad summum Dei Optimi Maximi honorem, hanc docendi Prouinciam excercuisse. Sic enim, à quo tempore hic primum docere cœperunt, domi in ipso Collegio non minus veram ac sanctam pietatem adolescentum animis instillarunt, frequentissimè concionando, Confessiones excipiendo, & ad Sacram synaxim adolescentes suos creberrimè perducendo, quos bonas literas accuratè, & diligentissimè docuerunt: vt & numerosissimam habeant intra ipsos Collegij parietes, iuuentutem, & extraneorum præterea multitudinem ingentem, non minus pietate, & bonis moribus insignem, quàm literaria eruditione præstantem. Sane reliqua Collegia sic sua singulari industria ad æmulationem excitarunt, vt alterum quidem iacens, penèque vacuum sub Regente nouo horum Patrum æmulo & imitatore sedulo, egregiè iam refloreſcat: alterum de nouo Institutum non aliter sibi florere posse videatur, nisi ad horum industriam quàm proximè accedat. Plurimos ex hoc Patrum Collegio Artesia, & Hannonia Pastores, multos Schola nostra Theologos optimè institutos, & comparatos accepit. Planè sine horum Patrum industria artium studia iam olim in hac Vniuersitate, aut concidissent, aut obscuro sane ac duro loco fuissent. Foris præterea ita Populum Duacensem frequentissimis concionibus, & Confessionum Exceptionibus, ad pietatem & verum Dei cultum inflammarunt; vt

Varia eius munia in proximorum vtilitatem.

nemo

nemo pius horum Patrum studio se meliorem factum non agnoscat. Multi, aut impij ad frugem reuocati, aut tepidi ac segnes accensi & incitati horum industria fuerunt. Quæ quidem omnia ita se habere publica vox, & fama loquitur, frequentissima populi synaxis diebus festis ac Dominicis in Ecclesia ipsorum Parochiali oculo demonstrat. Denique boni hîc omnes atque prudentes viri salutem propemodum huius Vniuersitatis, certè artium & disciplinarum studia ab vno Patrum hîc docentium Collegio pendêre profitentur. Quorum omnium suffragijs ad maiorem & publicam attestationem, vt noster quoque calculus adderetur, hæc ita se habere hoc instrumento, mea propria manu scripto, & sigillo officij nostri Rectoralis munito, omnibus & Vniuersis fidem facere volui, *&c*, *Hæc ille* 4. *par. Hist. Soc. lib.* 4. *num.* 124.

Societatis institutum sanctißimum, & saluberrimum.

Ab Eodem *Tom.* 4. *Promptuarij Moralis in Domin. infra Octauam Natiuitatis Domini fol. mihi* 46. Quare (*inquit*) sanctissimum, ac saluberrimum est illud hodie Societatis Iesv Institutum, quæ meditatione huiusmodi suos quotidie per horam integram exercet, eamque matutinam, vt minime mirandum sit, si vel hoc solo nomine, & exercitio quotidiano tam excellenti, verum de illa Societate sit, quod ante quadringentos annos, de Ea scripserit Ioachimus Abbas his verbis: Insurget vna noua Religio sanctissima, quæ erit libera, & spiritualis, in qua Romani Pontifices potiti pace Ecclesiæ se continebunt. Quam Religionem, & Ordinem Deus super omnes alias diliget, quia perfectio illius vincet omnes alias aliorum Ordinum. *Hæc ille.*

Siluaducentium mutatio ex eius ingressu.

28. A Silvaducensi *Ciue, Viroque canitie & auctoritate venerabili, qui cum videret ingentem ad Sacra Confessionis & Eucharistiæ mysteria in Templo nostro concursum, accedens ad quemdam è nostris sibi ignotum,* Non possum (*inquit*) ô Pater dissimulare gaudium, quod intimis medullis percipio, dum video quantum hæc Vrbs ab aduentu vestro sit mutata. Ante hac rarisc-

rarissimus erat Sacramentorum vsus, & si quis erat extra Paschales ferias, risui aliorum, & Cachinnis erat obnoxius: nunc nemo probus religioni sibi non ducit, si B. Virginis alijsque solemnioribus festis hæc mysteria non vsurpet. *Hæc ille de suæ Vrbis facie in aliam mutata, apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 3. cap. 8. fol. 373.*

Iesuitæ Petri Sedem illustrant, & in Lutherum arma diuini eloquij parant.

29. A PETRO MATHÆO *Iurisconsulto doctissimo, Doctoreque eloquentissimo in summa Constitut. Summorum Pontificum in Pauli III. Scholijs ad Bullam Confirmat. Societatis* IESV *fol. mihi* 308. Dum (*inquit*) deridetur passim Nomen Papæ, Petri claues contemnuntur, Lutherus pessimi dogmatis vocē per Germaniam pestilenti lingua effundit, Rex Angliæ turbulentissimæ mentis inauditam crudelitatem in Catholicos exercet, dum sacri cultus pietas, Religionis feruor penitus extinctus videtur, dum superseminat inimicus hostis zizania, adsunt diuino Pneumate asciti Patres Societatis IESV, qui Petri Sedem illustrant, in Lutherum arma diuini eloquij parant, Tyrannos aggrediuntur, lolium in agro Dominico euellunt, & fidei Christianæ præclarissimi Buccinatores verbo & exemplo cunctis prælucent. Frustra aduersus hæc Propugnacula conatur Lutherus, frustra multiplicantur, qui veritatem Christi premunt, frustra Rex Anglus muros Sionis euertere contendit, adsunt nobis noua hæc Præsidia, quorum Dux, & antesignanus veluti clarissimus, & natalium splendorum conspicuus Ignatius Loyola Cantaber extitit, *&c.* Ex milite factus est Dux insignis illius amplissimæ Societatis; quæ sub Nomine IESV per vniuersum Orbem propagata est. *Et infra addit*: Lætabatur summus Pontifex videns nouos hosce Operarios missos ad excolendam Vineam Domini, nullis laboribus, nullis periculis, aut animo frangi, aut à cœptis retardari; ideo publico diplomate hanc Sodalitatem Nomine IESV conspicuam confirmat (*scilicet Paulus III.*) varijs Priuilegijs commendat, vt in omnibus Officijs pietatis, & Religionis Romano Pontifici peculiariter se, suam-

Sunt Christianæ fidei præclarissimi buccinatores, verbo, & exemplo cunctis prælucentes.

Propugnacula, ac noua præsidia ab hæreticis frustra impetita.

Noui Operarij missi ad excolendam Domini vineam.

suamque operam pollicerentur, ipsiusque iussu quiduis periculorum, ac laborum in religione propaganda subirent, & quocumque demum terrarum; ad infidelium errantium, ac peccatorum institutionem & conuersionem, ab eo mitterentur, mox absque omni contradictione, etiam non petito viatico, tanquam à Christo missi proficiscerentur; & ab his pulcherrimis Institutis edocti vocarunt Societatem IESV, eiusque Nomen ad extremos vsque Indos, Æthiopes atque Antipodes diffuderunt. Huius Sodalitij præclarissima trophæa, domi forisque parta testantur nostri temporis omnes pene Historiographi. *Et postea subdit.* Si quid reparatæ pietatis, & disciplinæ Ecclesiasticæ habent Germani, Galli, & Angli, id profecto debent pijssimis Patribus Societatis IESV; illis grates referat India, quod tenebris sepulta iubar sydereum Euangelij conspexit. Quibus vero, ac quantis rerum discriminibus perfungantur, satis intelligit, qui noui Orbis Historias legere dignatur. Hæc iusti voluminis magnitudinem desiderant. *Et postmodum in eisdem Scholijs ad Constitut. Gregor. XIII. fol. 781. vbi his conformia non dissimili eloquentia describit.* Hinc (*inquit*) colligimus quantum commodi, & vtilitatis Reipublicæ Christianæ aduexerint Societatis IESV Patres in erudienda iuuentute, ex cuius educatione, vt messis spes in semente posita est, reliquæ vitæ expectatio dependet. Quamobrem, vbique tanta, tamque præclara illis structa sunt Gymnasia, quæ profecto vera sunt Pietatis, Religionis & Doctrinæ Asyla, ad quæ furentibus hæreticis & ignorantiæ monstris, confugiant omnes. *Et postea ad Constitut. eiusdem Greg. XIII. fol. 791. subdit opportunissime.* Quæ vtilitas suborta sit Ecclesiæ Catholicæ ex Venerando Nominis IESV Sodalitio, testantur tot præclara monumenta pietatis & eruditionis per orbem relicta, tot insignia Archigymnasia, quæ superius enumerauimus; ex quibus, & moribus & doctrinæ hominum consulitur, vt nulla Regio eorum laboris insciа sit. Taceo populos barbaros in India Occidentali, Brasilica

Romano Pontif. se suamque operam pollicentur ad religionis propagationem.

Et IESV Nomen vel ad extremum Orbis diffuderũt.

Illis Germani, Galli & Angli reparatam pietatem, Indi Euangelij iubar debent.

Christiana Resp. iuuentutis eruditionem.

Eorũ Gymnasia pietatis, religionis & doctrinæ asyla.

Quanta Ecclesiæ vtilitas ex eorum laboribus suborta?

Hæreses maiori ex parte concussæ.

regione, & noui Orbis insulis ad veritatis lucem eorum opera edoctos, infideles baptizatos, hæreses Germaniæ maiore ex parte concussas, & longe à nostro orbe remotos Principes, ad pedum oscula Summi Pontificis perductos, & innumera illa vitæ discrimina in publicum commodum exantlata, quę dignissimis hisce Priuilegijs pensare esse operæ pretium Sedi Apostolicæ visum est. Hęc omnia breuissima adeo verborum serie complecti nequeunt, de hac conscripta sunt integra commentaria. *Hucusque Iurisconsultus sapientissimus in summam Sociorum, ac Societatis commendationem, & laudem. Hoc tanti viri iudicium: hoc de Iesuitarum virtute, zelo, ac literis satis celebre testimonium.*

Remotique Principes ad Pontificis obedientiam perducti sunt.

Societas Ecclesiæ renouatrix multa infidelium millia ad illã conuertens.

30. * A DIDACO PEREZ *Doctore Barcinonensi.* In nostris (*inquit*) temporibus quinquaginta abhinc annis (*tot tunc anni erant post Societatem fundatam*) tantum illa renouauit Ecclesiam conuertens infidelium tot decies centena millia tam in Oriente, quam in Occidente, vt si ex vna parte defraudatur Ecclesia, ex alijs decuplo maior, imo & centuplo illi fiat accessio à Domino. *Hæc ille apud P. Eusеb. Tom. 1. virorum illustr. Soc in vita S. Ignat. P. N. cap. 1. fol 2.*

Est Olympus eminentissimus veritatum. Armarium scientiarũ. Schola vniuersalis notitiarum, & energia ardens discursuum. Spongia sacra eruditionũ, imago gloriosa dotũ, Clima; felix intellectuũ. Obiectũ famæ, dolor inuidiæ, ac calcar æmulationis.

31. * A FRAN. IGNATIO DE PORRES *Scriptore nostri sæculi in vulgari linguâ non vulgariter floridissimo: qui Tom. 1. Quadrages. in Dedicatoria ad Societatem ipsam, per plura folia eius encomia prosequitur.* Religio (*inquit*) Sacra Societatis IESV est Olympus eminentissimus veritatum, Armarium Sacrum scientiarum, Schola Vniuersalis notitiarum, Energia ardens discursuum, Spongia Sacra eruditionum, Imago gloriosa dotum, Clima felix Intellectuum, Obiectum famæ, Dolor inuidiæ, Calcar æmulationis. Si vellem Elogia adaugere, aut præsumerem breui charta concludere, Generalia numerarem studia, quæ Societas IESV regit, ab ijs, quæ eius solicitudini sereniſſimus Rex Lusitanus Ioannes III. Conimbricę conedidit, ad ea quæ eius doctrinæ Matriti tradidit glorioſiſſimus Imperator triplicis Mundi Philippus IV. Vniuersitates item

recen-

recenſerem quas gubernat, ab ea, quam Eboræ Luſitanâ fundauit magnificentiâ Religioſiſſimus Rex Henricus, ad eam, quam Pragæ zelo Catholico inuictiſſimus Imperator Mathias erexit: ſed hoc eſſet materiam laudis efficere, quod oculis ſubiectum eſt, ad numerumque etſi grandem Scholarum redigere, quod illi debent Vniuerſæ. Tam diſcipula labiorum eius fuit ſemper America, quàm eſt eius ſcriptorum Europa: tam bellè micarunt ſapientiæ eius flammæ aduerſus Aſiæ errores obſcuros, quàm gloriosè illuſtrant obſtinatas tenebras Africæ. Eadem reuerentia eius linguæ attendit Moguntia, ac eius calamo attendit Complutum: eâdem dulcedine ab eius ore pendet Vienna, ſicut ad eius vbera genitæ Lutetiæ: eodem reſpectu eius verba excipit Mecina, ac eius diſcurſus extollit Roma. Veritas hæc eſt. Mirandum vero quod magnitudo ſapientiæ Societatis vel ab eius inceperit incunabulis. Felix Nilus, quem nemo exiguum reputat, quia eius ortum ignorat: omnes magnum venerantur, quia eius nemo vidit originem. Sola Sacra Societatis IESV Religio ab infantia ſuâ eâdem gaudet æſtimatione, quia heroica; & eaſdem patitur inuidias, quia Grandis. Vix Romæ natæ ſplendidæ illæ luces Ignatianæ prudentiæ, vix radij Xaueriani fulgoris Orientem colluſtrant, cum pro ſapientiæ Oraculo Tridenti habebatur Iacobus Laynius: cum ad ſapientiam Petri Caniſij ſtupebat Germania, cum pro ſuo Magiſtro Alfonſum Salmeronem acclamabat Italia: vix Sacræ huius Religionis nomen auditum, quando iam diſertis ſapientiæ eius flammis ardebat Hiſpania, quando Catholicis eius diſcurſibus capiebat animos Gallia, quando aduerſus doctos eius veritatum conatus armabatur ſeptentrio, quando occupata iam fama in eius gloriam, inuidia in eius damnum, plauſus in eius admirationem, ac mundus totus plenus erat eius ſapientia. Non fuerunt Societatis IESV intellectus radij ad vnicum ictum fabricati, aut vnico ſplendori deſtinati, ſed ſtellæ accenſæ æternitatibus: Hodie illuminant, ſicut ſemper illu-

Laudatur ex Vniuerſitatibus, quas regit.

Et ex ſapientia ab incunabulis.

Teſtes Laynius Tridenti, & Caniſius in Germania.

Salmeronius in Italia, alij in Hiſpania, & Gallia.

Hi non Radij, ſed ſtellæ accenſæ æternitati.

Societatis sapientia ideo magna quia inundata sanguine.

illuminarũt. Magna quidem Societatis sapientia, quia semper vixit inundata sanguine: semper qui plus intelligit, magis vexatur, quare ea vt sapientum insigne æstimanda, quæ fuit Schola Martyrum. Contra hęc Societatis robora suas tempestates fremens ac furens excitauit mare, Terra dolos parauit, Oriens idololatriam suam eructauit, canebes suos retorsit Monomotapa, sagittas suas venenauit Brasilia: suum ensem distrinxit Æthiopia, petras suas obstinauit Ternate: dissoluit venena sua Amboinus, incendit rogos suos Meacus, leuauit Cruces suas Iaponia. Aperire Terrarum sinus incepit Castella, eiusque vestigia sequi Societas, cuius filij easdem Coronas meruerunt. Vix est vllus in Occidente angulus, qui non sit horum fortissimorum heroum sanguine purpuratus: eorum Trunca remansêre corpora, brutâ Mexicanorum ferocitate, secta fraudulento Floridæ furore, sagittis cooperta in incultis Mindanai solitudinibus: venenis tandem stupida in illo turpi viperarum sinu Luzonis antiquæ. Haud minus huiusmodi sanguine cruentus currit Oceanus. Lingua huius veritatis est mare balticum in Sueciæ Martyribus, & in Ormuz mare Persicum: testis est vastitas illa Brasiliæ sinuosa, sacris diues spolijs, quæ suis in fluctibus ferrum hæresis barbarum disperdidit: testes etiam sunt Insulæ Palmaris ripæ Sociorum quadraginta tinctæ cruoribus, qui in fidei nostræ contemptum à Caluini discipulis occisi: vidit mare, ô Religio magna, totum vndarum sedatum impetum glorioſis filiorum suorum cadaueribus. Nec ebullit hodie minus ouans in venis eius sanguis, qui in præteritis sæculis effusus copiosè. Nequit cura ad numerum redigere, nec ad victoriæ notitia, qui innundauit Angliam. Vel recens adhuc sanguis est, quem Paraquaria in montuosis recessibus suarum solitudinum effudit: calidus adhuc est, quem inter incendia sua exhausit Iaponia, quem gelauit Catayus inter suarum niuium rupes ac saxa, quem bibit inexhausta ruinarum sitis Gustaui. Ast quando non prælucent barbaris glorioſi Ignatij filij?

Schola Martyrum.

Tormenta in illam destinata vbique terrarum enumerantur.

Et omnia penè maria Sociorum sanguine cruentata.

quando

quando non sapiunt? quando non patiuntur? *Hæc ille, & quidem ad Societatis commendationem elegantissime.*

32. A Lvdov. Maiorano Gravinas *Lib. 2. de vero Dei cultu cap. 17.* Nobilissimum (*inquit*) Societatis Iesv Institutum suppeditasse Ecclesiæ homines nihil non molientes in sanæ doctrinæ tuitionem, & proseminationem, eiusque Operarios optimis moribus, & scientia instructos per totum fere Orbem insigniter promouisse Dei gloriam; multaque sancte, & generosè molitos, ex quo cælitus ad instaurandam, & propugnandam labentem Ecclesiam aduenerunt. *Ita apud P. Reynaud. in Trinit. Patriarchar. fol. 598.*

Ij optimis moribus ac scientia instructi insigniter Dei gloriã promouent.

Et ad propagandam, propugnandamque labentem Ecclesiãcælitus missi.

33. A Dvacensi *Iuuene, qui cum Parentibus suis esset admirationi ob insolentiam vitæ pristinæ, sic iam pœnitens exclamauit.* Quid admiramini? Dæmon ipse istorum Patrum manibus conuerteretur ad meliora. *Tanta de Iesuitis opinio vel apud hominem perditissimum. Ita in Annal. Soc. anno 1609. fol. 239.*

De illis celebre dictum.

34. * Ab Stephano Garivay *Historiographo Peruano in Compendio Histor. Reg. Hispan. lib. 30. cap. 75.* Omitto (*inquit*) res æterna dignas memoria, quas toto Orbe præstitit Societas Iesv ad fidei Catholicæ amplificationem, propagationemque, quibus exarandis, nec solertissimi scriptoris stilus quamuis exercitatissimus, par esse possit: prius enim egregia Societatis facinora scribentem, tempus & vita deficeret, quàm materia. Certe volentem me in lucem edere quam plurima ad præclaram illius Religionis commendationem prohibuit ex ipsa Societate non nemo, cuius desiderio, & modestiæ nunc faciendum satis existimaui. Aliàs ego opportuno loco & tempore propensæ meæ in Societatem voluntati faciam satis. *Hæc ille.*

Societas commendatur ex fidei amplificatione per totum orbem.

35. A Ioanne Sanchez *Doctore Theologo, & Iuris vtriusque peritissimo in suis selectis disputationibus: Vbi postquam varijs in locis, Societatis Auctores miris extulisset encomijs, tandem disput. 43. num. 16. agens de P. Thoma Sanchio in rebus Moralibus vere*

Et ex singulari filiorum sapientia.

Phœnice, *hæc inter alia scribit* : Mira ergo Dei largitas lucem & sapientiam communicantis huic Doctori ostenditur modo, dilectio excedens erga sacram Societatis IESV Religionem elucet, cum tot tantosque filios sapientia, & literis præditos ei præstiterit, & inter illos hunc Thomam Sanchez Gigantem exhibere fuit dignatus. O maximè dilecta Deo Religio, intende, prosperè procede, & regna.

Est Religio maxime dilecta Deo.

Ps.44.5.

36. * A BARTHOL. XIMENEZ, *qui in Prouerbiorum suorum Moralium Dedicatoriâ ad Collegium Imperiale Societatis Matritense, Societatem* Ecclesiæ lumen *appellat, nec non &*, Aciem, cuius Nomen inferi horrent, tellus adorat, ac cæli reuerentur.

Ecclesiæ lumen; Acies, cuius nomen Inferi horrent, &c.

37. A DIDACO GOVEA *Doctore Lusitano. Cognitum is Parisijs habuerat Ignatium ac socios, eorumque virtutem ac destinata vehementius probauerat, anxioque Regi Ioanni III. De Orientis conuersione, ac de subactarum illarum gentium salute cogitanti, vnde in eam rem operas expediret, Societatem indicauit, asserens,* Nouum illud hominum genus altum quidem spirare, animosque afferre multis Indijs pares futuros. *Ita apud P. Rho in sua varia Historia lib. 5. cap. 8 n. 8.*

Soeij animos habent multis Indijs conuertendis pares.

38. A IOAN. MARIA NOVARIO *In sua lucerna Regularium fol. mihi* 134. *n.* 1. *loquens de Societate ait*; Cuius Religionis encomia, si recitari vellent, non simplex pagella, sed integer liber esset necessarius &c. *Et n.* 13. *subdit:* In his præcipuè sita est Societas, legendo, concionando, disputando, proximum iuuando, tum inter fideles, tum inter infideles ætatem absumunt. *Pulchra sane Societatis descriptio.*

Ad Societatis commendationẽ integer liber necessarius.

Pulchra Eius descriptio.

39. A IVLIO ROSCIO, Societatis (*inquit*) fructus tantus extitit in Religionem Christianam, vt pene nulla sit Orbis terrarum pars, ad quam non Ignatij nomen, vel alumnorum eius vox viua peruaserit. *Sic ille in vita doctissimi Nauarri.*

In omnes Orbis partes magno fructu peruaserunt filij.

A MAMBRINO ROSEO, *Socios vocitante*, viros doctos, inflammatos zelo Dei, atque immensa charitate, & viros Apostolicos. *Ita ille Par. 3. Hist. lib. 3. ann.* 1540.

Sunt viri Apostolici, zelo Dei inflãmati.

41. A

41. A PEREGRINO *Nobili, qui ab Vrbe in Patriam reuersus, quærenti quid vidisset Romæ pulcherrimum?* Societatem IESV, *respondit. Ita apud omnes florebat Romæ Societas. Sic refertur Par.2. Hist. Soc. lib.7.n.12.* *Pulchrum de Societate dictum.*

42. A PETRO ESTEVARTIO *Academiæ Ingolstadiensis Procancellario, & Rectore in Apolog. pro Societate ann.1593. fol.21.* Hæc (*inquit*) vnica, & præcipua causa est odij vestri (*cum Hæreticis loquitur*) in Patres Societatis IESV, omnesque eorum Patronos & amicos, videtis enim salua Catholica doctrina ita defensa, quemadmodum à Societatis IESV hominibus publicè docetur, promulgatur, propugnatur, omnes hæreses labi & corruere: propterea Consilia, ac leuitatem vestram, vosque vt homines nihili, & vilissimos despici, ac contemni, *&c.* *In illam Hæreticorũ odium.* *Quia eius doctrina hæreses læbuntur, & corruunt.*

43. * AB ALEXANDRO DE ROS *Decano, & Canonico Tortosæ Protonotarioque Apostolico in sua Catalaunia fol.* 440. *vbi postquam in Sacrario Montis-serrati Ignatium ante Virginis aras suspendentem arma, & Minoresæ corporis impetus domantem depinxit, statim subdit:* Catalaunia denique natale solum est magnæ Societatis IESV, quæ vnius sæculi spatio Scholas viris doctrinę laude præstantibus Orbem Heroibus Apostolicis Ecclesiam propugnantibus, Cælum sanctis impleuit. *Sic ille in citata sua Catalaunia vulgari lingua typis edita Neapoli ann.1646.* *Vnico sæcula Scholas viris doctrina præstantibus,* *Orbem heroibus Ecclesiã propugnãtibus & Cælum Sanctis impleuit.*

44. A IOAN. BAPT. FRANCES *Archidiacono, & Domino de Balpuesta Doctore Canonico Burgensis Ecclesiæ in Censura ad Tom. de Incarnat. P. Bernal.* Germana, *inquit*, est proles Societatis, in qua nihil mediocre, omnia prodiere magna, *&c.* Toto hoc sæculo cateruatim libri de genere Giganteo prodiere: omnes apud viros doctos tanti habiti quantum copiosæ Bibliothecæ testantur, & licet semper abundantia in semetipsam contumeliosa sit, vt Tertulianus loquitur, & rebus raritas pretium faciat, vt Bernardus, perinde tamen amantur, & æstimantur, ac si rari; perinde abundant, ac si nihili haberentur, *&c.* *Nihil in Ea non magnum.* *Eius sapientia præcipue in librorum editione, commendata.*

45.* AB

Singularis de Societate eiusque Collegijs existimatio.

45. * Ab Alfonso Ramirez de Vergara *Canonico Magistrali Ecclesiæ Conchensis viro grauissimo, primoque Parente ac protectore Collegij nostri Complutensis : is aliquando dixisse fertur,* se pluris facere vel coqui Societatis amicum esse, quàm Principis Hispaniæ Magistrum. *Et de tali creando tunc agebatur. Et cum etiam idem Archiepiscopus Toletanus eligi vulgaretur, dixit,* si mihi talis Archiepiscopatus concederetur, non nisi per quatuor annos eum admitterem, in quibus quadraginta instituerem Societatis Collegia. *Excessus ingentis amoris hic est. Sic refertur à P. Petro Saens in sermone funeral. de Eod. fol. 9. & 13. typis edito Compluti ann.* 1621.

Ab illa ingentes fructus Ecclesiæ subsecuti.

46. A Ioan. Bapt. Confettio *Protonotario Apostolico Florentino, Theologiæ ac vtriusque iuris Doctore notissimo in Summario ad Collectan. litterar. Apostolicar. de Societate loquens, sic scribit.* Ex qua quidem Veneranda Sodalitate, quæ & quanta suborta sit Ecclesiæ Catholicæ vtilitas, præclara monumenta pietatis, & eruditionis per totum fere Orbem relicta, nec non tot insignia Archigymnasia, in quibus & moribus, & doctrinæ hominum adeo consulitur, vt nulla regio hodie eorum laboris inscia sit, & etiam barbaræ illæ Nationes, quæ in India Occidentali, & Brasilica regione, ac noui Orbis Insulis ad veritatis lucem, eorum opera eductæ, totque infideles per eos baptizati, hæresesque Germaniæ maiori ex parte concussæ, & longe à nostro Orbe remoti Principes ad Sanctorum pedum oscula summi Pontificis perducti, apertissimè testantur. Vnde Ecclesia ob assiduos labores, innumeraque pericula, quæ in publicum intrepide subierunt, istius Sodalitij professores inter Mendicantium Ordines referre, eosque quamplurimis, dignissimisque Priuilegijs decorare, & illustres reddere merito arbitrata est, *&c. Hæc apud Sorbo Tom.* 2. *Priuileg. Ordin. Mend fol.* 212.

Ex Gymnasijs barbarorum, reductione, & Hæreticorum oppugnatione.

Ignatius insignis virtutibus, & Atleta fortissimus.

47. A Flavio Chervbino *Iuris vtriusque Doctore sapientissimo in Compendio Bullarum summorum Pontificum fol.* 229. *Schol.* 1. Pie (*inquit*) credendum illustrem genere virum Hispanum

ſpanum (*Ignatium*) virtutibus insignem, vnâ cum strenuissimis Socijs tanquam fortissimum Athletam promouisse, vt sponsam suam Ecclesiam aduersus iniquum Martinum Lutherum, eiusque sequaces infestis eam hæresibus afflictantes, Christi fideles à pœnitentia, Sacramentorum frequentatione & Summi Pontificis Romani obedientia auertentes restauraret, pœnitentiam prædicando, frequentiam Sacramentorum inducendo, & Summi Pontificis obedientiam præsertim circa Missiones ad Turcas, & alios infideles profitendo, &c.

Eius filij strenuissimi, contra Lutherum & sequaces.

48. Ab Hieron. Ormachea Gverrero *Ecclesiarum Lucronensis, & Albendensis Canonico Magistrali scriptoreque erudito. Tom.1. in Cant. Prolog.3. num.192. vbi postquam probauit Ignatium velut alterum Paulum ad bonum Vniuersale totius Orbis, totius Ecclesiæ, Gentilitatis Indicæ, ad hæreses expugnandas, & Religionem Illustrissimam Societatis* Iesv *in lucem edendam, natum; statim num.193. subiungit.* Præter alios insignes scopos, quos diuina collineauit sapientia in Ignatij Sanctissimi Ortu, & Societatis Iesv fundatione hic fuit, vt tam ipse, quam ipsius filij in hoc sæculo, atque tempestate piam de Beatissimæ Mariæ immaculata Conceptione sententiam promouerent, scriberent, prædicarent; impossibile erit omnino ad calculos reuocare scriptores doctissimos, qui intra huius non dum centenarij spatium varios, de Conceptione, aut libros integros, aut iustos edidere Tractatus, &c. *Et postea Cap.6 num.64.* Non possum (*inquit*) non Sanctissimam Societatis Iesv Religionem admirari in hoc mutui amoris compage præstantem. Multa habet hæc Religio insignis encomia, sed ob hanc virtutem debet ab omnibus pene adorari; verè operibus & nomine Societas colligata, ita vt in vnoquoque ipsius Religioso omnem Societatem, & in tota Societate vnumquemque cognoscas: Ex hoc mutuo inter ipsos amore tanquam ex fonte, & in Sanctitate profectus, & copiosa omni genere literarum scaturigo manauit. Si vnum solummodo Iesuitam vi-

Ille natus ad bonum Vniuersale totius Ecclesiæ.

Et ad fundandam Religionem illustrissimam.

Quæ pro scopo haberet piam de Virginis Conceptione sententiam promouere.

Quàm sit præstans in mutuo suorum amore.

dísti, fac te vnico intuitu totam Iesuiticam adspexisse familiam. *Hactenus ille. Nil sane in mutui amoris Iesuitici commendationem illustrius, nil honorificentius.*

In Angelo Philadelphiæ designata. Apoc. 3. 7.

49. Ab Honophrio Manescal, *Doctore Barcinonensi, Rectoreque Parochialis S. Andreæ, Tomo suo Concionum, Concion. de Circumcis. à fol. mihi* 150. In Angelo (*inquit*) Philadelphiæ, qui amorem fraternum designat, hanc Societatem indicari, haud difficile credet, qui aduertet arctissimum amoris vinculum, quo se Patres, & fratres huius Religionis, ob eiusdem Instituti communionem, non sine omnium maxima admiratione complectuntur. Quia vero hæc Religio ad prædicandum Christi Euangelium, & Christi fidem missa est, proinde huic Angelo huius Religionis typo, & figura proponitur, *&c.* Rupertus, Donum intellectus huic Angelo promitti existimat significatum per Clauem Dauid: quod quidem huic Religioni conuenire, quis vsque adeo rationis expers est, quod id non videat? Nam omnium artium, & scientiarum cognitionem, quæ decent virum religiosum probe callent, vt ex innumeris Commentarijs in S. Thomam, & Sacram Scripturam, quos quotidie in lucem edunt, constare cuilibet potest. Quia vero sibi tantum nati non sunt, munus docendi sic susceperunt, vt ad hoc videantur nati. Quare merito (*addit fol.* 151.) hi Patres non tantum intra domesticos parietes, sed publicis gymnasijs apertis adolescentes instruunt, & docent maximo cum omnium ingenti fructu, & vtilitate. Videntur dubio procul habere Clauem Dauid, hoc est intellectus donum. Hoc prædicant innumeri eorum discipuli, hoc testantur innumera eorum scripta, quibus Sacro-sanctam Theologiam illustrarunt, & alia quamplurima, quæ quotidie in lucem prodeunt. Quod vero ad sanctitatem, veritatem, & fidelitatem huius Religionis spectat, certius est, & apertius quàm ostendi debeat. Ac primum si de Paupertate agatur, maximè illi conuenit, quod S. Vincentius Ferrer in suo vaticinio prædixit, fore scilicet pauperrimos, quia in singulari

Habet sapientiæ clauem.

Quam Gymnasij calamo, & voce manifestat.

Laudatur ex virtutibus, præcipue paupertate, Castitate, & obedientiâ.

gulari paupertatem sic colunt, vt nullus eorum aliquid possideat. Castitas, quam profitentur huius Religionis Patres, admiranda est, modestia maxima, verba eorum grauia, & charitate flagrantia. Obedientiam autem sic amplexa est hæc Religio, vt in ea excolenda, & quàm perfectissimè exercenda, omnes vires intendat, *&c.* Honores, & dignitates sic fugiunt, vt eas nec procurare, nec admittere possint, quod ex hac re multa sequi incommoda nouerint, *&c.* Sic Euangelium propagare cœperunt, vt illuc peruenerit, quo nunquam peruenerat, præsertim in Iaponiam, in qua quidquid religionis, & fidei est, Societas IESV plantauit, Societas IESV rigauit, Deus vero tale incrementum dedit, *&c.* *Hæc præter alia multa à dicto Doctore in Societatis laudem excogitata sunt.*

Ex honorũ fuga, & proximorum zelo.

Ex Euangelij propagatione, quo nunquam peruenerat.

50. * A IOSEPHO MICHELI *Vice-Cancellario Ordinis Militaris Constantini Imperatoris in Thesauro Religionum fol. mihi* 112. *vbi sic scribit*, Hanc inclytam Societatem, post eius institutionem, suis scientijs Mundo Conseruationem attulisse. Et licet id aliquæ etiam Religiones fecerint, sed non tantum, quantum Societas. Id Orientalis India buccinat, magni Indiarum Apostoli S. Francisci Xauerij, Occidentalis intonat vtraque tanto Martyrum irrigata sanguine, qui sacrum Euangelium prædicarunt, totque barbaras Nationes instruxerunt. Non obmutescant tot Hæreticorum sectæ ab his illustribus sanctisque Viris prostratæ. Omnes scientiarum, ac diuitiarum suarum originem à triumphanti Iesuitarum Schola fluxisse fateantur. Actandem ipsa reliquas Religiones sanctâ excitauit æmulatione ad prædicandum in extera regna, remotasque Prouincias pergendum. Eius Martyres, Confessores, doctique homines, innumerabiles. Ideoque sileo, quia meus calamor impar est ad minorem partem rerum notabilium sacratæ ac inclytæ huius Societatis referendam, de qua vir sanctus cecinit.

Inclyta Mundi cõseruatrix.

Cuius filiorum sanguine vtraque India irrigata.

Cuius doctrinâ Hæreses prostratæ.

A triumphanti Iesuitarum Schola omnes scientiæ suum originem agnoscunt.

Omnia mutabit, & cernere læta iuuabit:
Et tandem cœco lux hæc erit tradita sæclo.

Et quod ad maiorem eius laudem spectat, in omnibus, in quibus Catholica fides agnoscitur, habet Collegia. *Hactenus ille.*

Societas inæstimabilis Margarita.

51. * Ab Alfonso Gomez de Roxas *Canonico Hispalensi meritissimo, qui in Concione funerali P. Iacobi Granado, initio sic in Societatis ac Sociorum laudem exclamat.* O æterna Prouidentia! O diuinum regimen! quàm subito Ecclesiam ditare decreuit inæstimabilis huius clarissimæ Religionis Margarita, ad cæli honorem, terræ gloriam, Angelorum gaudium, & hominum vtilitatem: ad maius insuper scientiarum decus, ad nouum sapientiæ splendorem, ad reformandos fideles, ad refrænandos Hæreticos, ad sanctam Sedem Apostolicam, Romanique Pontificis auctoritatem in omnibus Nationibus tuendam, ad Euangelium per nouos orbes extendendum: vetus enim angustus erat animo, ac efficaciæ splendentis huius Militiæ: cuius veri filij tam edocti à Deo sunt in sua interiori cordis schola, quàm in sua acie experti milites, iuxta illud Isaiæ 54. Ponam Vniuersos filios tuos doctos à Domino: quod bene oculis perspicitur: ante annum siquidem centesimum tot Sanctos produxit, qui sacris iam coluntur aris, tot vtilium scriptorum volumina, ac si in sæculo Ecclesiæ primitiuo fundata esset Societas, *&c. A tanto viro (quem noui literis ac virtute conspicuum Societatique addictissimum) non poterat Illa encomio minus celebri commendari.*

Ad Cæli honorem, terræ gloriam, Angelorum gaudium, & hominũ vtilitatem.

Ad fideles reformandos, refrænandos hæreticos, & Euangelium per orbem extendendũ.

Splendens militia, cuius omnes filij docti à Domino.

Ardenti zelo nouum Christo peperit orbẽ.

Et Orbem Christianũ erroribus purgauit, hæresum monstris profligatis.

52. * A Nicolao Tvrlot *Canonico, & Archipresbytero Namurcensi in Thesauro Doctrinæ Christianæ in Præfatione.* Sanctus Ignatius *(inquit)* Fundator Illustrissimæ Societatis Iesv rudimenta Christianæ doctrinæ pueris explicabat, & ab suis subditis nihil exigebat auidius, quàm vt se totos huic rei impenderent. Quod hactenus præstitêre adeo ardenti zelo, & Christiana charitate, vt Orbem nouum Christo pepererint, & Orbem Christianum innumeris erroribus purgauc-

gauerint, hæresumque monstra profligauerint, Dæmone, & eius assecliis nequicquam frendentibus.

53. • A FLORITIO RIQVABOVRG, *In Præfatione vitæ P. Gasparis Barzei*: Eo tempore (*inquit*) quo innumera hæresum capita pullularunt, Deus Optimus Maximus Societatem excitauit, quæ sub vexillis Christi fidem Christianam propugnaret, & tanquam Clypeo Ecclesiæ Catholicæ hostes arceret, *&c.* Nullus Ordo (*subdit*) in Ecclesia Dei maiori conatu Christi fidem & auidius propagat, adeo vt de eo dici possit, in omnem terram exiuit sonus eorum, *&c.*

Contra quas sub Christi vexillis, vt Ecclesiæ clipeus fidē propugnat, hostes arcet.

54. A FEDERICO IAMOTIO *Erudito Germano, qui in carmine Græco-latino ad P. Delrium pro suis de Magia disquisitionibus, sic suum protulit de Societate iudicium, apud P. Auendaño in suo Epithal. sacro dissert. Proœmial. n.79.*

Hinc catus, & prudens vir colligat insita prorsus
Esse Sodalitio fortissima pectora vestro.
Aspera, quæ spectent, & semper ad ardua tendant,
Magnaque suscipiant duro comitata labore.
Sed mihi nec Cœtus liceat memorare piorum
Mystarum, placidi IESV *de Nomine dictos:*
Qui solida virtute cluent, operaque labore
Difficili præstant reliquis.

Socij laudantur ex solida virtute, & laborum tolerantia.

55. A IOANN. TAPIA *Hispano, qui inter officiosas absentium gratulationes non inuenustè in Borgiæ Generalis creatione, illi ex Vrbe Valentia has literas dedit*: Gratulentur cuncti mortales è terra, cui grates agunt immortales è cælo, ac nominatim singularem eius erga te indulgentiam collaudent, dum pro populis, qui tantum corporibus tibi parebant, eos dedit qui etiam subiecti sunt animis, ad imaginem vnius Trinique Dei procreatis, vt ipse è dominatu terreno eucheris ad principatum cæleste, curandosque, & regendos acciperes homines quosdam diuinos, nationem eiusmodi, qualem nemo Regum sortitus est. Ita distant Imperia, quæ humanis consi-

Ij. diuinos homines: & Natio, qualem nemo Regum sortitus est.

lijs, & quæ mandantur diuinis. Et ex his, quæ ad imperandum leguntur, lector apparet. Bonum sit, felix, fauſtumque Paternitati Tuæ onus, per quod mundo peccatorum leuantur onera, munus ſimillimum muneri Redemptoris. Societas, cui nunquam IESV Societas abeſt. *Ita Par. 3. Hiſt. Soc. lib. 1. num. 33.*

Societas opus abſolutiſsimum, fidei propugnaculum, veritatis tutela.

Arca ſcientiarum, diſcretionis Theſaurus, &c.

Exod. 31. 7.

Orbis Parens, ſapientiæ Cinoſura, virtutis aſylum.

Lapidicina cæleſtis, præſidium militantis Eccleſiæ, ſacra Bellonæ cohors prætoria.

Apoc. 21. 21.

Apoc. 21. 23.

Bellatrix legio tot inſignita ducibus, quot militibus.

56. * A FRAN. HERRERA MALDONADO: *Canonico S. Eccleſiæ de Arbas in Epitome Hiſtoriali Regni Sinenſis fol. mihi 43. vbi ille hoc teſtimonium præ cæteris ſelectiſſimum latine redditum dedit*: Salue (*inquit*) Religioſiſſima Societatis IESV Familia, Beatiſſimi viri Ignatij de Loyola Opus abſolutiſſimum. Salue fidei Propugnaculum, veritatis Tutela, Arca ſcientiarum, Propitiatorium vbi ingeniorum vis perpolita, diſcretionis Theſaurus inexhauſtus, puritatis mundities niuea, ſeruantur recondita. Salue iterum Orbis Parens terrarum. Quotquot enim hac luce fruuntur his omnibus vitæ rationalis lucem afflas, & æternæ iter oſtendis, tum omnigenæ præceptis ſapientiæ, cuius es Cynoſura fulgentiſſima, tum totius diſciplina virtutis, cuius es Aſylum tutiſſimum. Lapidicina cæleſtis, è qua tot excinduntur ſummi pretij lapides rutilantiſſimi, qui radiantium more aſtrorum exornant portas ſupernæ Ieroſolymæ, Cuius immaculatus Agnus eſt lumen inocciduum. Præſidium Militantis Eccleſiæ, Sacræque Bellonæ Cohors Prætoria: Bellatrix Legio tot inſignita Ducibus, quot militibus, quorum vnuſquiſque maxima fortitudinis, & militaris prudentiæ laude non tantum militis, ac Centurionis, ſed Imperatoris munus in his Dei Caſtris recte valeret exercere. Quænam virtutum inſignia in tuis non effulgent Alumnis? quæ lux prudentiæ, quis ſanctimoniæ ſplendor, quod ſcientiarum decus, & ornamentum in illis deſideratur? exemplar ſunt totius religioſæ perfectionis, totius vrbanæ conuerſationis. Omni remota dubitatione in ipſis, & ipſorum ductu, exemploque aſſero vitæ rationalis fructum, atque dulcedinem capere tuarum Academiarum familiares, ac ſtudioſos

vniuer-

vniuersos. Omni igitur Te laudum præconio extollant, qui huius vitæ, quique politicæ notitiæ lucem hauserunt, cum quidquid scientiarum in ijs effulget, quidquid meriti in ijs elucet, quidquid præmiorum iam adepti sunt, id omne ex tui disciplina, labore, & solertia in edocendis omnibus hausisse cognoscunt. Parens, ac Patria recte diceris omnium, quos materno sinu foues, exerces industria, ac salutaribus imbuis documentis. Vix pauculos numerabas ætatis annos, cum totius tum Christiani, tum Hæretici, tum Ethnici Orbis famulatum, non imperium exultans suscepisti, diuinæ gloriæ & animarum saluti ancillata. Orientem, occiduumque solem æquis æmulata passibus, quà arces Hæresim, quà Idola conteris, quà errantes instruis, quà vitiorum phalanges & agmina in tenebricosa lustra profligas; vbique scutum fidei, vbique Asylum Iustitiæ, Gladius spiritus, ac Terror spirituum tenebrionum. Nonne Alumnos tuos IESV socios, verè Seraphim dixerim, qui alarum suarum integumento fidei nostræ Arcam non tam contegunt, quàm protegunt, & Sacramenta vtriusque paginæ non tam velant, quàm explicant? Nonne seniores dixerim illos, qui adstant ante Thronum Dei, & armoniosis Sacrarum Concionum Cytharis suauissimum diuino Agno concinunt carmen? Nonne vigiles Salomonis Leones, qui insidenti in Throno Regi assident Custodes? ac milites strenuissimi? Nonne exundantes Fluuios, qui decorant, & ad tutelam ambiunt Ecclesiæ veluti excelsæ Vrbis mœnia, non tam pleno scientiarum alueo, quàm exuberante effusi propter Deum sanguinis eluuione. Quorum diuinorum testium, ac Martyrum numerus supra centesimum & multoplures excrescit. Quæ nam Mundi plaga, vbi non videantur altius impressa vestigia laborum tuorum, sudorum, & sanguinis, quibus irrigata tellus animorum gemmascit in flores, matureſcit in fructus, flaueſcit in segetes, ac scientijs enitet Alumnorum tuorum? Tu Turris illa Dauidica tot instructa Clypeis, quot pignoribus aucta, ac filijs propu-

Laudatur ex Alumnorum insigni virtute.

Et scientiarũ decore.

Est Parens, ac Patria omnium.

Diuinæ gloriæ, & animarum saluti ancillata.

Solis æmula arcens hæresim, errantes instruens, & agmina tenebrionũ profligans.

Eph. 6. 17

Vbiq; scutum fidei, asylum Iustitiæ, gladius spiritus, &c.

Isai. 6. 2.

Eius Alumni Seraphim Arcæ, seniores ante Dei thronum, leones vigiles Salomonis.

Apoc. 4. 4; 2. Par. 9. 19.

Exundãtes fluuij velut excelsa mœnia Ecclesiam ambientes.

Ipsa Turris Dauidica tot instructa clypeis quot filijs. Cant. 4. 4.

propugnata, qui quod calamo, & atramento exarant, id vitæ sanctimoniæ & sanguinis purpura conteſtantur. Tu quamplurimas narras contra Gentes victorias, quàmplurimos contra Hęreſim triumphos, quàm plurimos contra ignorantiam Doctores, qui exarantibus pluſquam trecentis calamis quaſi exploſis bombardis Eccleſiæ transfugis, ac perduellibus mortem minantur, & inferunt, niſi calamos illos ardentes vocaueris faces inſcitiæ noctem, quæ toti iam Orbi atra incubuerat, propulſantes. O labentis Chriſtianæ Reipublicæ Columen! ô Fulcrum, & Baſis ſurgentis Eccleſiæ, quæ inclinata olim, nunc firma, ac tuta perſiſtit. Nec me angit ſcrupulus gratis ex cordis affectu ac beneuolentia tantummodo tot in te decora, tot laudum præconia congeſiſſe: teſtor Orbem vniuerſum, teſtor omnium oculos ipſos, quibus tot illuſtria virtutum ſtemmata, tot præclara facinora vbique vulgo obſeruantur, adeo vt ſine rubore ac cenſura mendacij pernegari non valeant. Age porrò ac mentis oculos infer in omnem terrarum Orbem, ſiue vbi ſol occidat, ſiue vbi rediuiuus Caput vndis attollat, ſiue vbi ad maiorem & minorem Vrſam deflectat, illuc pernicibus alis peruenisſe reperies alatam hanc Familiam, alis, inquam, illis geminis igneis charitatis in Deum, & proximum, nec vnum, aut alterum ſterili numero reperies ſocios IESV, Ignatij Alumnos & aſſeclas, ſupra quindecim, ipſorum millia, quingentos & octoginta duo enumerabis in centum fere Collegijs, ac Profeſſorum, ac Nouitiorum Domibus diſtributos, & quaſi in caſtra digeſtos ad bellanda noua bella, quæ elegit Dominus. ô incrementa virorum vnà ac virtutum, quibus adulta Societas IESV totius Orbis ambitum incolis, vt excolas tanto ipſius Orbis bono, tantaque Parentis optimi, ac ſanctiſſimi Viri Ignatij voluptate, qui ex illa editiſſima cœli ſpecula, filiorum ſuorum gratulatur laboribus, & præmia ex Amantiſſimo Patre familias Deo pollicetur. Salue Parens ſanctiſſime, & iterum ſalue Ignati inclytiſſime, tua ſunt hæc tuorum filio-

Victrix hæreſum, gentium & ignorantiæ.

Columen labentis Chriſtianæ Reip. fulcrum, & Baſis ſurgentis Eccleſiæ.

Alata Familia Orientem, & Occidentẽ peruolans.

Geminis charitatis in Deum, & proximos alis.

Ieſuitarum quantus numerus?

filiorum elogia, tua decora: sed quoniam in tanto gloriæ, ac laudum salo fluctuans inuenior, silentij anchoram cogor iacere, & silens ac Venerans hanc augustissimam Familiam IESV Societatem, filiolam tuam dilectissimam, & laudibus ne eam deteram, & mihi neimpar deficiam, optimè consultum existimabo. *Quid hoc Testimonio grauius, aut Societati honorificentius?*

Quorum elogia Ignatij Patrentis encomia sunt.

57. A PETRO NAVARRA *Scriptore satis apud omnes noto lib. 2. de Restitut. cap. 3. num. 60.* Exemplo (*inquit*) Ducis IESV, vt multos fratres in gloriam adducant (*Iesuitæ*) mortem non dubitant oppetere, & vt veri Apostoli pro Euangelij prædicatione, per passiones consummati, intelligentes se meliorem habere resurrectionem, & manentem substantiam. Quorum Sanctissimorum hominum egregiam virtutem & eximiam in omni genere, vel sapientiam vel pietatem, non prosequimur: nam neque id agimus modo, neque oportere existimamus eorum laudem nostris indignis vocibus efferre, quæ non vno in loco, Vario & obscuro sermone aliquorum, sed omnium clarissima & vna voce, toto orbe perfertur. *Hæc ille apud Euseb. de doctrin. Ascet. lib. 1. cap. 60.*

Iesuitæ vt veri Apostoli pro Euangelij prædicatione mori nũ dubitant. Hebr. 10. 34.

Homines sanctissimè egregia virtute, eximia sapientia, & pietate.

58. * A LVDOV. CABRERA *Cordubensi in præfatione ad Lectorẽ pro Historia Orientali à Doctore Christophoro Suarez de Figuroa conscripta.* IESV Societas (*inquit*) animarum lucro pro more intenta, Ducis sui Euangelium, charitatis & obedientiæ alis elata, sic per totum terrarum Orbem circumtulit, vt Nominis sui splendore, & illecebris in admirationem amoremque mortales omnes rapuerit. Factumque vt Ecclesia Catholica eius doctrinæ radijs illustrata, nouum robur, fulgoremque acceperit. Non minus laudanda tempore pacis, pijs ad populum concionibus, & Sacramentorum frequentatione parta tuetur, quàm cum indicto bello, ex tenebrarum Principis tyrannide innumeras mortalium animas ad partes Christi traducit. Deus Optimus Maximus nunquam non in Ecclesia egregios Atletas suscitauit, qui nouos hæresum auctores op-

Societas intenta animarum lucro.

Charitatis, & obedientiæ alis elata Euãgelium per orbem circumtulit.

Eius doctrinæ radijs illustrata Ecclesia.

Ignatius Hispaniæ decus clarissimum, Luthero oppositus.

primerent: & vt cæteros omittam, Luthero oppósuit Ignatium Hispaniæ decus clarissimum, & eius Societatem sanctam, plane ac doctam, æquè humilem ac pœnitentem, nec minus charitatis operibus, quàm diuinarum contemplationi intentam. Quem satis laudauero, si Nazianzeni de Athanasio verbis vtens dixero, Ignatium & virtutem ipsam, ijsdem plane laudibus condecorandum, cum virtus ipsa & Ignatius nihil inter se differre videantur. Cæteris Religiosorum Ordinibus, quamuis viros virtute & scientia claros affatim habeant, nihil cedit Ignatius, vtpote ostentans Socios, seu fortissimos Christi milites, qui ad remotissima terrarum, & ferocissimas gentes per mille maris pericula delati, Martyriorum, & persecutionum genera omnia perpessi, æternitatem Nominis merentur. Testis Oriens Societatis sanguine, & doctrina diues: testis Septentrio ab erroribus toties defensus, toties fuso Sociorum IESV cruore nobilis: testis Gallia, Belgium, Germania, Anglia, palmarum & laurorum feraces, quibus tot victorias compensant. *Elogium sane Socijs ac Societati glorioſissimum.*

Et Societas sãcta, æque ac docta.

Ille Athanasio comparatus.

Eius filij fortissimi Christi milites.

Quorum doctrina & sanguine diues Oriens.

Et totus Orbis.

59. A REINOLDA *Vidua opinionis sanctitate inclytâ, quæ Canisio studio pietatis addicta Neomagi, vt partum suum vnicè diligebat. Quem cum in deligendo vitæ genere fluctuantem animaduerteret, diuino instinctu afflatuque, tale ante Societatem cognitam Oraculum dedit.* Tu, *inquit*, fili, coaptaberis in nouum quemdam Sacerdotum Ordinem, quem in Ecclesia sua multorum in salutem parat Deus. Eos ego per visum vidi, & te ad eos adiungi. Graues erunt viri, docti, modesti, Deo pleni, & animarum charitate præditi. Bono igitur fac sis animo, & spe huiusce modi te sustenta: nam breui à Deo potieris hoc dono. *Ita Par. 1. Hist. Soc. lib. 4. num. 34. vbi licet nomen huius Vaticinantis viduæ Sanctissimæ non exprimatur, bene tamen apud Imag. 1. sæc. Societ. lib. 6. fol. 729.*

Societas prædicitur Neomagi.

Item in India.

60. * A CONFESSORE *Vazci Gamæ insignis Lusitani, qui non obscurè Nostrorum aduentum multo ante prædixerat dicens,*

Ventu-

Venturos in Indiam Clericos vnius nouæ Religionis in Ecclesia Dei fundandæ illarum Nationum bono. *Euentusque verum Vaticinium probauit. Ita Tom.* 1. *viror. Illust. Soc. vit. S. Xauer. cap.* 4. *fin.*

61. AB INCOLA ÆTHIOPIÆ, *Qui antequam ope Nostrorum Christo adiungeretur, assueuerauit etiam, apud Gallas agens (Populus Æthiopiæ præ cæteris barbarus)* Venturos eò breui Sacerdotes albos, qui Æthiopiam errorum plenam, aliam legem essent edocturi. *Sic apud Imag.* 1. *sæc. Soc. lib.* 1. *cap.* 2. *fol.*64. *Et in Æthiopia.*

62. * A IOANN. ESCVDER, *Insignis virtutis Heremita, & ob sanctimoniam, & miraculorum patrationem magni habito à Valentinis, inter quos ipse vitam agebat; qui in quadam Epistola ad Mossem Pardum, postquam duorum Regum, & aliorum Principum captiuitatem recensuisset, sic ait*: Fæmina cooperta, & amicta sole parturiens magnos edet clamores, & pariet puerum, qui Mundi gubernacula tractabit: hoc est (*inquit ipse*) super Romanam Ecclesiam noua quædam orietur Religio, designata, vt in Mundum prodeat, & Apostolorum instar annunciatura Euangelium, admonituraque fideles, vt fidei sustentaculo innitentes, nec persecutiones timeant, nec fascinora filij perditionis: sed vigiles stent, ne cadant; imminet enim periculum, constituturum in Ecclesia Dei Idolum aliquod, & fortè Pseudo-Pontificem, nisi se ipsum constituat, cogatque in Deum adorari. Tunc apparebit cælestis quidam homo, à quo dissoluentur, enodabunturque Sacræ Scripturæ nodi. Mihi autem persuadeo, hæc omnia breui euentura, nisi sententiam reuocet Deus, vt cum Niniuitis fecit. Spiritus sanctus te custodiat. In Æde S. Christophori de Concentayna 23. Octob. 1435. *Et in Regno Valentino. Sub Mulieris solis amictæ specie etiam prædictæ.*

63. * A GASPARE ESCOLANO *Iste propheticus sermo dicti Heremitæ de Societate explicatur egregiè. Par.* 2. *Decadis* 1. *Historiæ Valentinorum per hæc verba*: Quod asserit de Religione noua, nouisque hæresibus, videtur nobis depingere Martini *Lutheri insequens vestigia eius erroribus opponitur.*

Lutheri hæresim. Hic anno 1517. Caput extulit, habuitque Reges aliquot sequaces, qui in suis Regnis Pontificiam sibi vsurpabant auctoritatem, vt in Anglia. Noua autem Religio forte est Iesuitarum, seu Patrum Societatis IESV, quæ Lutheri insequens vestigia, eius se erroribus opposuit, Euangeliumque in multis Christiani Orbis Prouincijs fulsit, in omnibus declarauit. *Hæc Escolanus Rector Parochialis S. Stephani, Historiographus Regius pro Regno Valentino.*

Euangeliũ in multis Orbis Prouincijs fulcit, in omnibus declarauit.

64. A IOANN. FEDERICO LVMNIO: *Qui aliud Societatis Vaticinium in lib. 2. de Extremo Iudicio & Indorum vocatione recognoscit in Isaia Propheta ad ea verba cap. 18.* Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam: ad populum terribilem, post quem non est alius. *Et cap. 60.* Qui sunt isti qui vt Nubes volant, & quasi Columbæ ad fenestras suas, me enim Insulæ expectant, *&c. Et quidem Lumnius ait*, Angelos Sodales nostros vocari, quia deuotione alacres, & spiritu per vastissimi maris pericula Pontificis auctoritate, ad incognitum Orbem transuolauerunt. Nubes propter celerem obedientiam & affluentem verbi Dei prædicandi, & prærogatiuam & gratiam. Columbas, quia Societas pacifica est, felle caret, simplicitate commendatur, gemit meditando, & Sylvestres Columbas domum rediens adducit. *Ita apud P. Nigron. Commentar. Regul. Soc. Par. 3. n. 11.*

Aliud de Societate vaticinium Isai. 18. 2. Cuius filij Angeli veloces, Isaiæ nubes, & Columbæ. Isai. 60. 8.

65. * A GVNDISALVO SANCHEZ LVZERO *Doctore Canonico Granatensi, & Comissario Apostolico in Concione Beatificationis sanctissimi Patris Ignatij à fol. 1. vbi ille Societatis, ac sociorum existimationem miris encomijs sequenti testimonio fideliter latine reddito belle confirmat.* Certissima, *inquit*, sanctitatis sanctorum argumenta sunt eorum miracula, maximè cum in eius testimonium patrata sunt: plura equidem hodierna die S. Patriarchæ Nostri sanctitatem patefacere nobis possent: verum vnum nobis erit instar omnium, id est Societas IESV, quam in Ecclesia Dei instituit, cuius amplitudo Mardochæi somno mihi præsignata videtur: in quo cum sibi Reginæ Esther

Societas maius Ignatij miraculum.

Fuit in Mardochæi somno figurata.

Esther felicitas exhiberetur, fonticulum vidit, ex quo magnus quidem & altissimus fluuius emanabat, qui in solem transformatus, in plurimos riuulos deriuabatur. Paruulus fons, qui creuit in fluuium, & in lucem, solemque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit. Iure optimo (*inquit fol.* 2.) omnes Religiosi Ordines, magni Ecclesiæ Fontes appellari possunt, cum salutaribus zeli sui aquis illam fecundarint: inter eos Societas IESV parua quidem (*paruus fons*) & natu minima, sed Ecclesiæ Beniamin in eum excreuit fluuium, qui totum per Orbem sese effuderit. Qui fieri potuit? aperiam: quia scilicet eius aquæ solis omnia perlustrantis radios referunt, & in lucem, solemque, *&c.* Vnde minimè vulgares Societatis IESV virtutes enitescunt duæ, lux, & puritas, aqua ex sole manans, sol ex aqua Oriens, & in aquas plurimas redundauit; id est in plures fluuios, quorum vnus fluxit ad Germaniam, alius vero in Angliam, vnus ad Iaponiam, alius ad Indos occidentales: vnus ad conciones, ad Confessiones alius mirabiliter illuminando, & purificando permanauit. *Et postea fol.* 11. *subdit*: O Sancta Societas IESV Candelabrum diuina manu elaboratum, atque de industria efformatum, vt luceat in Ecclesia tot Solaribus radijs, quot te circumuestiuit: quisnam poterit explicare lucem doctrinæ, & Sanctitatis, qua in medijs mundi huius tenebris hodiesna die præfulges: Seraphica certe lingua opus est: ne cadas animo Religio Sancta, propterea quod Deus ad Aquilonarem portam te collocauit, vt ventis infernalibus agiteris; hoc enim data opera fecit, vt magis ac magis accendatur lux illa magna, & splendor, quo Te decorauit, & vt oculis æmulorum tuorum patefiant altissimi gradus & talenta ditissima doctrinæ & Sanctitatis, quibus te locupletauit, quo tandem pudore suffusi obmutescant, & oblatrare & obstrepere desinant. *Et rursus fol.* 12. *subiungit.* Dicite mihi, amabo Vos, quisnam Ecclesiam Iaponum, Sinarum, & fere totius Orientis (quo vix vllus Apostolorum penetrauit, aut vestigium reliquit, quod statim non dele-

Esther 10. 6.

Ecclesiæ Beniamin.

Paruus Fōs qui creuit in fluuium totum per orbem sese effundentem.

Ecclesiæ Beniamin.

Candelabrū diuinæ manu elaboratum. Exod. 25. 31.

Doctrinæ, & sanctitatis luce in Ecclesia præfulgēs.

Quæ ingruentibus persecutionum Aquilonibus magis accenditur.

Orientis Ecclesiam laborum expensis erexit.

deleretur) à fundamentis erexit? quis alius Idololatriam immensis propemodum laborum, famis, persecutionum, Martyriorum, & miraculorum expensis illinc ablegauit, ac expulit, quàm Societas IESV? quibusnam alijs aquæ-ductibus in terras illas inuias & inaquosas, gratiæ suæ Euangelicæ aquas, ab Anglis, & cæteris Hæreticis repulsas, induxit, & inuexit Deus, ita vt lætetur deserta & inuia, & exultet solitudo, & floreat sicut lilium, quàm Societatis hominibus? Eius industria & sapientia (*addit fol.*18.) duo Ecclesiæ fontes scientiæ, & Sacramentorum iam pene turbidi, & penè guttatim stillantes, clarificati sunt, & velut primis Ecclesiæ temporibus plenis canalibus iterum cœpetunt fluere. De fonte scientiæ dicant totius Orbis Academiæ, in quibus ferè soli Societatis IESV Scriptores præleguntur: dicant innumera propemodum eorumdem Scriptorum doctissima volumina: dicant totius Ecclesiæ Pulpita: dicant Ædes Collegiatæ ac Cathedrales: dicant omnes Religiosi Cœtus; dicat Christiana iuuentus: dicant & ipsi hostes Hæretici, Societatis IESV scientiam deprædicent, & reformident. Dicant Æthiopica, Sinica, & Iaponica Imperia: dicant Cambaya, Monomotapa, Brasilia, & India Vniuersa, *&c.* De secundo fonte Sacramentorum (*concludit tandem*) quis eorum iam pridem exulantem frequentiam, & per Societatem IESV reuocatam satis ponderare possit? Testes appello exomologeseos tribunalia, dicam ne pharmacorum omnium ad curandos animi morbos officinas? Testes appello sacræ synaxeos paratas mensas, & frequentissima, vt in Ecclesiæ primordijs, conuiuia: testes appello tot Sodalitia mira animorum retia; ô quanta bona nobis pariter venerunt tecum ô Societas IESV! Dicamus ergo, & iure optimo, in diebus eius remanauerunt putei aquarum, *&c. Hactenus inter alia innumera ex tanto Doctore prælibasse sufficiat.*

Scientiæ, & Sacramentorum fontes iam pene turbidos clarificauit. Isai. 35 1.

Primum; Academijs, scriptis, pulpitis, collegijs, & Cathedris.

Secundum; exomologeseos, & synaxeos frequentia.

66. * AB ALFONSO VILLEGAS *Scriptore notissimo Capellano S. Ecclesiæ Toletanæ Tom.*1. *de Sanctis Extrauagantibus sub*

sub finem folij mihi 479. col. 2. Dauid Rex, *(inquit)* Christi Domini typus fuit, vxores vero illius plurimæ, quibuscum inijt matrimonium, Sacras Religiones adumbrarunt, quas habuit, ac habet Deus in Ecclesia sua. Abisac virgo, quam duxit Dauid iam senex, vt corpus suum frigidum foueret, & calefaceret, Sacram Societatis IESV Religionem significat; quæ senescente & frigescente, & iam pene delirante Mundo Instituta est, vt habetur in Pontificis Pauli V. diplomate ad eius confirmationem edito ann. 1543. Præcipuus eius finis est exaltatio fidei, & salus animarum: vnde eius exercitia sunt, concionari & iuuentutem instituere, fidei rudimenta edocere, Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ administrare, quibus quidem Corpus Christi mysticum, fideles scilicet fouentur & amore Dei exardent longe felicius, quàm frigidum Dauid calore Sulamitis, *&c. Et fol.* 484. *Concludit.* Dico denique Ecclesiam sanctam à spiritu S. Sponso suo Aciei Castrorum bene ordinatæ comparari. In exercitu bellico pedites & equites sunt: in Ecclesiæ autem exercitu Religiosi sunt Equites, verum Societas IESV est Acies Peditum bombardis armata: sunt enim bombardæ non pridem inuentæ: fuit etiam Societas IESV nuper Instituta, Bombardæ eminus feriunt; haud aliter isti Religiosi ex Vrbe Indias, ex occidente Orientem quasi vibratis pilis percusserunt, expugnarunt, superbas Idololatriæ Turres subruerunt, & innumeras nationes Christiano Imperio adiunxerunt: bombardæ non nisi tormentario puluere accenso disploduntur: Ita & hi Religiosi diuini amoris Igne inflammati maiorem Dei gloriam anhelant, & proximi salutem. *Hæc ille.*

3.Reg.1.2 *Abisac sulamitis Mundum frigidum calefaciens.*

Eius finis fidei exaltatio, & animarum salus.

Cant.6.9.

Est pedestris Ecclesiæ acies bombardis armata.

67. * A CONGREGATIONE CLERICORVM *Virginis Assumptæ in Collegio Neapolitano Nostræ Societatis erectâ, in Compendio vitæ S. Ignatij Italicè scripto, & Hispanicè reddito, & Limæ typis excuso, anno* 1628. *fol.* 9. *vbi illa præclaram Societatis famam, & heroica gesta sequenti testimonio commendat æternitati.* Quamquam *(inquit)* supradicta omnia maximam S. Ignatij sancti-

De toto terrarum orbe benemerita mirabili animarum fructu.

sanctitatem satis superque comprobant; nihilominus tamen multo magis eam commendant Sacri Ordinis ab ipso Instituti, de toto terrarum Orbe benemeriti præclaræ res gestæ fructusque mirabiles, quos è Filiorum eius laboribus toto Orbe circunfusa, Sacrosancta percepit Ecclesia: scilicet, ex fructibus eorum cognoscetis eos: qui enim fieri possit, vt bona non sit arbor quæ bonos fructus facit? Quomodo Fons ille supereffluens non sit & Deo acceptissimus, ex quo tam breui temporis interuallo, omnium virtutum, & scientiarum salutaria flumina, ad irrigandam aridæ desertæque terræ faciem emanarunt? Habet enim Sacra Societatis IESV Religio (ex quo primum Instituta fuit ad hunc vsque diem, octoginta sex annorum spatio) sex supra triginta Prouincias, in quibus octingentas domos & Collegia habet. Religiosos autem toto Orbe, terra, marique dispersos, quindecies mille & quingentos. Habet Doctores quàm plurimos. Habet & in omni scientiarum & facultatum genere scriptores egregios. Habet in vna Europa viginti quatuor minimum Academias sibi concreditas, amica Principum, Regumque voluntate benè firmatas; vbi Societas sola Doctoris lauream impertitur. Habet amplius ducentos Martyres, qui tum ab Hæreticis, tum ab Ethnicis trucidati, pro fide Catholica vitam & sanguinem profudere. Innumeros verò, qui peste infectis inseruientes, & ipsi grassante pestilentia sublati sunt. Habet duos in Sanctorum albo, sex autem in Beatorum numero conscriptos: multos etiam in Sacra Rota inter diuos breui referendos: multos præterea vitæ sanctitate & miraculis clarissimos, de quibus perquiritur, vt & ipsi suo tempore in sanctorum Catalogo inscribantur. Iam verò quàm copiosam piscium multitudinem concluserint, hi fideles Christi Piscatores; quot animas in rete Petri contruserint, quis suppetet? cum vnus Xauerius, Ignatio Parente digna proles, ducenta supra decies centena millia infidelium manu sua baptizauit? Nuper autem anno 1626. iussu Imperatoris pernumeratis qua-

Scatens salutaribus virtutum, & scientiarum fluminibus irrigantibus.

Commendatur ex Prouinciarum multitudine.

Ex Collegijs, scriptoribus, Academijs, Martyribus, &c.

Ex copiosa animarum piscatura.

Gentilium in Oriente, ac hæreticorum in Germania.

quarumdam Germaniæ Prouinciarum Hæreticis, qui ex adulterinis Lutheri plantarijs euulsi, in sanctæ Romanæ Ecclesiæ pomario Filiorum Sancti huius Patriarchæ consiti sunt manu, inuenta sunt quingenta supra decies centena millia. Accedit quod in tredecim Prouincijs, quas obtinet Societas Iesv inter Hæreticos, magnum certè Scholasticorum numerum in scholis suis docet, & optimis artibus, omnique virtutum genere instituit, magno labori fructu pari respondente: hac enim ratione ab ipsa pueritia veram & sanctam fidem Catholicam imbibunt, & in ea reluctantibus licet Hæreticis conseruantur. Anno præterea 1610. sibi credita quinquaginta supra decies centena millia Neophitorum à suis baptizatorum Societas in India Orientali Christianæ fidei præceptis informabat: exclusis ab hoc numero tum ijs, qui ad illum vsque annum obierant: tum ijs etiam qui postmodum è tenebricosa infidelitatis nocte, ad clarissimam fidei lucem emersere. Taceo infinitos prope quos in vastissimo Æthiopum Imperio tum schismaticos tum Ethnicos Christo adiunxere: prætermitto quos in Orbe nouo apud Indos Occidentis in Peruanis ac Mexicanis Imperijs, in Insulis Philippinis, in immenso propemodum Sinarum Imperio, in Mogor, in Africa, in Belgio, in Hollandia, & Zelandia, in Anglia, in Dania, & apud Turcas, è Dæmonum castris ad Christi copias traduxêre. Hi enim proculdubio quemlibet numerum superant: quapropter Clemens VIII. Pontifex Maximus, Dextrum Ecclesiæ Brachium Societatem Iesv appellauit. *Hæc Congregatio Neapolitana Clericorum nobilissima.*

Schismaticorum in Æthiopia, & Indorum in Occidente.

68. Ab Alberto Stanislao Radivilio: *S.R. Imperij Principe Duce in Olyka Cancellario magni Ducatus Lituaniæ antiquæ pietatis, & sapientiæ Heroe, & sanctæ Ecclesiæ inexpugnabili defensore, ac bonorum Patrono.* Mensis (*inquit*) Iulius copiosam messem adulta segete declinantis sæculi per Ignatium Loyolam Societatis Iesv Parentem collegit, qui tam vetus quam recens zizanium à Luthero, & Caluino prosemi-

Societas vigens incorruptione morum.

Speculum integerrimæ Sanctitatis politissimum.

natùm euellere nititur, Christique, ac Ecclesiæ agrum lolio, ac tribulis expurgare. Viget Religio ab ipso fundata incorruptione morum, integerrimæ sanctitatis speculum politissimum, iuuentuti excolendæ, & erudiendæ addicta pro gloria summi Numinis (quod vnicum in votis semper fuerat Ignatio,) spiritualium bonorum incrementis Ecclesiæ horreum locupletans. Nec immerito veste nigra hæc dilecta IESV Societas tegitur: excipit nimirum liuidæ ictus inuidiæ, maleuolorumque persecutionibus impetitur absque vlla integritatis ingenitæ iactura. Ipsi sese denigrant aduersarij, suisque telis conficiunt, immersi scelerum fœculentiæ. Potest libere illud sapientissimi Regum Societas vsurpare effatum: Nigra sum, sed formosa; etiam fructuosa & cælo & Ecclesiæ, & Orbi Vniuerso, laboriosa meritis, formidolosa hostibus. *Hæc ille apud P. Nicolaum Lancicium Tom. 2. Opuscul. spirituali 17. de præstantia Instituti Societatis num. 255.*

Spiritualibus incrementis Ecclesiæ horreum locupletans

Cælo, & Orbi fructuosa, ac hostibus formidolosa. Cant. 1. 5.

Laudatur cum suo fundatore.

69. A NICOLAO ZAMBECCARIO *Secretario Sacræ Congregat. in Oratione coram S. D. Greg. XV. supra Canonizat. S. P. Ignatij, de quo postquam dixisset,* Hominem esse iuuandis hominibus vere natum, *addit*, Qui Societate, quam IESV Nomine appellauit, institutâ, atque à Paulo III. confirmata, id efficere conatus est, vt in peculiari Obedientia Sedi Apostolicæ præstanda, in pueris Christiana doctrina imbuendis, in Missionibus per omnes terrarum partes obeundis, nulla esset ætas, nulla hominum conditio, nulla vbique natio, quam homo in omnium salutem intentus, huius institutione familiæ non complecteretur. *Et postea*: Itaque cum ex varijs Orbis terræ locis, Ciuitatum, Regumque inuitatu homines Societatis expeterentur, ipse ductis Colonijs, domibus, Collegijsque fundatis, ex hac Vrbe varijs expeditionibus ad ignotas, nec vnquam auditas, nedum aditas nationes, Euangelij lucem inferre, fidei desertores ad Ecclesiam reuocare, orthodoxos in Religionis cultu stabilire, ita perpetuo studuit, vt tamen interea huius curam Vrbis non omitteret, *&c. Hæc ille.*

Ex Missionibus, & alijs ministerijs.

70. A

70. A PETRO HARISIO: Cum nefas sane (*inquit*) meo quidem iudicio fuerit, posteritatem tam illustrium gestorum Societatis, facinorumque tam inclytorum, quæ in bello hoc spirituali contigêre, cognitione fraudare, est quodammodo furtum, ac sacrilegium potius, honorem supremæ bonitati, à qua omne emanat bonum, & Iesu Christo summo nostro Capiti, cuius gloria imprimis spectatur, debitum quadantenus subripere, & Ecclesiæ gaudium subtrahere, iuxta id 4. Reg.7. Si tacuerimus, & noluerimus nunciare, sceleris arguemur. *Hæc ille apud Fr. Ioan. Ponce in Approb. ad lib. de Triumphis fidei P. And. Perez.*

Eius facinora non recensere, furtis, ac sacrilegijs annumerandum.

4.Reg.7. 9.

71. A BELGIS *Sapientibus, quorum vox erat*: Si præter gymnasia nil foret, quo Reipublicæ prodesset Societas, merito fuisse in Belgium aduocandam, & quibus gaudet tectis, fortunisque omnibus dotandam. *Ita in Imag.1. sæc. Soc. lib.6. fol.772.*

Illius Scholæ quàm Vtiles.

72. AB AVLÂ HISPANICÂ *Sub Philippo II. Cum aut nomen adhuc Societatis* IESV, *aut Instituta illa non nouisset satis, socios tamen, alij* Papistas, *titulo quàm odioso Hæreticis, tam Catholicis glorioso: alij* Apostolos magni Dei; Homines *alij*, sed humanæ carnis expertes, *nominabant. Sic Ibidem lib.5.c.10.fol.668.*

Socij Apostoli magni Dei, & homines humanæ carnis expertes.

73. A GASPARE RADINO *Prope Cracouiam Parocho: qui cum domi suæ haberet conuiuas celebris cuiusdam Ordinis Religiosos, & multa contra Societatem diu effutientes audiret, tandem Christiana charitate motus, maledicis hospitibus dixit.* ô mei Patres, ego iam quadraginta annis cum Patribus Societatis familiarissimè ago, & nunquam vllum eorum vlli religioso detrahentem audiui, vti vos audio detrahentes viris de Ecclesia Dei, & Republica Christiana, ac de omnibus Religiosis Ordinibus optime meritis, quorum & exemplis templa vestra ad hunc splendorem reformata, & Institutione iuuentutis vestra Monasteria ante eorum aduentum vacua, modo sunt plena viris egregijs ex Scholis eorum suppeditatis. *Ita apud Nicol. Lancicium Tom.2. Opusc.17.n.173.*

Viri sunt de Christiana Rep. ac Relig. Ordinibus optimè meriti?

Quorum industria vacua Monasteria, plena sunt viris egregijs.

Apostolinostri sæculi, & Cathol. fidei defensores acerrimi.

74. * A IOAN. BAPT. GALLO *Scriptore graui, qui tanti faciebat Societatis homines, vt eos non vereretur vocitare,* Apostolos nostri sæculi, & fidei Catholicæ defensores. *Ita apud Euseb. in vita parua S. Ign. cap. 22. fol. 115.*

Charitate pleni, magna doctrina exornati, &c.

75. * A IOAN. PETRO GVISANO *Historiographo notissimo, Societatis homines appellante,* Charitate plenos, magna doctrina, prudentiaque exornatos, ardentissimos in Confessionibus audiendis, ac in omni Ecclesiastico ministerio efficaces. *Sic Ibid. cap. 40.*

Quàm grata Deo Iesuitici Collegij fundatio.

76. A DOMINICO LEITANO *Viro nobili ac pio Lusitano, qui Burdigalæ Infantis Cardinalis Henrici negotia procurabat : is cum perfamiliariter vteretur Francisco Baulono Burdigalensi Senatore, nulla sobole prædito, auctor ei fuit, vt Collegium Societatis Burdigalæ fundaret, asserens,* Non posse gratius Deo rerum, quas vellet, nollet, abiens è vita relicturus esset, Sacrificium facere; neque posse solertius in sempiternum sibi quæstum peritura vertere : nec denique aliter posse melius in omnem posteritatem de Patria sua mereri, ijs præsertim temporibus, quæ Religiosorum talium auxilia flagitarent. *Ita Par. 3. Hist. Soc. lib. 8. n. 239.*

Societas sub IESV Nomine prædestinata.

77. AB AND. SEMPLE DE TOBAR *Nobili Matritensi, ac scriptore in vulgari idiomate non vulgari, qui in suo Tomo de Aduent. & de sanctis in sermone vltimo Circuncisionis, agens de* IESV *Nominis impositione in Societatis* IESV *laudes quàm fusissime discurrit in toto* §. 5. Et inprimis (*ait*) IESV Nomen stemma electorum, ac prædestinatorum est, secundum illud Bedæ, Huius autem Nominis etiam electi in sua spirituali circumcisione participes existere gaudent. Erunt ergo electi, ac prædestinati à Deo Iesuitæ : quorum glorioſam familiam è fortibus militibus, & sub IESV signo, pro Dei gloria contra Satanam debellantem describit prophetice Nahum Propheta cap. 2.

Fortibus militibus gloriosa.

Nah. 2. 1. & 3.

1. Ascendit, qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem, clypeus fortium ignitus. Vbi Rupert. Horum fortium Clypeus verbi Dei, verbum Dei est, & clypeus vtique ignitus.

tus. Contra quos ignitus iste Clypeus, nisi contra Draconem? IESVS Clypeus horum militum inclytorum est, contra Dæmonem pugnantium: IESVS Stemma glorioſæ Societatis, & ignitus Clypeus decantatur à Propheta. Et postea addit Rup. Ascendit Euangelizans contra Draconem: & quę signa magis nota Societatis contra Draconem Dęmonem Euangelizantis, non qualitercumque, sed fortissimo IESV armatæ Clypeo. Hunc illi tanquam sponsæ sponsus IESVS offert, dum alteri sponsæ suo nomine dixit: Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Guerricus: Non est cur timeas integritati, IESVS quippe impressus in corde, expressus in opere, hoc est in brachio munimentum est Castitatis. Hæc quæ de Maria dixit Guerricus, de Societate, quæ IESV sponsa est, intelligo. Quasi diceret, ô mea Societas, quo plura tua decora, plura facinora, plures habebis inimicos, ideo Ego tuum scutum: cui sponsa Societas respondit, quod Dauid aduersus Gigantem: Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo, ego autem venio ad Te in Nomine Domini. Hoc Nomine IESV, hoc scuto vel aduersarios gigantes Societas ridet: non lapidibus armatur, sed Nomine, sed IESV ad triumphum, ad victoriam. Quia vt bene dicitur Prou.30. 5. Clypeus est omnibus inuocantibus eum. Melius autem Societatis, & Iesuitarum. Illi his armis induti, hoc IESV scuto protecti valenter contra propugnarunt: id dicat manifestus fructus animarum, frequentes ac mirabiles Vniuersi Conuersiones: id prædicent Indiæ, vbi idola muta & destructa, fundata per Societatem Catholica fide, conculcato satana, victo Dracone sub tanto clypeo. Quid mirum? Sanctum, & terribile Nomen eius Ps. 110. 10. & vt Euthymius ait: Christi quidem Nomen terribile est, quia Dæmones expellit, Clypeus enim omnibus inuocantibus eum. De Iesuitis hoc plane dictum. Hos autem fortes milites, sanctos, & doctos esse homines Societatis hoc scuto Nominis IESV munitos, ac scutulatos, plane vel ipse Christus Dominus

Eius ignitus Clypeus contra Dæmonem IESVS est.

Cuius ipsa sponsa, ipse Scutum. Cant.8.6.

Quo armata aduersarios gigantes prosternit. 1.Reg.17 43. Prou. 30. 15.

Siue idola destruens, siue satanam conculcans ingenti animarum fructu. Psal. 110. 10.

Mar. 16. 17. per Marcum ediſſerit, cum ait, In Nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, &c. De Apoſtolis id effatum, ſed de Ieſuitis intellige. Illi enim ſunt qui hoc clypeo Nominis IESV protecti proſternunt Dæmones, linguis loquuntur nouis: illi primi ſunt qui pro armis IESVM habent, cuius protectione ac munimine, de Dæmonibus, de aduerſarijs triumphant. Hoc ſcuto triumphat Societas, hoc vincit, hoc creſcit. *Sic ille.*

Quo ſcuto triumphat, vincit, & creſcit.

Ignatius Apoſtolici auctor inſtituti, & nouorum Apoſtolorum Caput.

78. * AB ALVARO PIZAÑO *Doctore Canonico Corduben ſi eximio Concionatore, ac ſacrarum literarum profeſſore ſapientiſſimo, in ſerm. de Beatificat. S. Ignatij longum, & honorificum valde de Socijs, ac Societate teſtimonium dedit, quod latine redditum ſic ſe habet.* Fuit (*inquit fol.* 4. *cap.* 2.) Ignatius illuſtriſſimi, atque adeo Euangelici Auctor Inſtituti, nouorum Apoſtolorum Caput: Magnorum Fons fluuiorum, qui totum orbem inundantes ſteriliſcentem iam, ac prope marcidum, irriguis ſuis, tum virtutum, tum literarum aquis impinguarunt. Tenella quidem, ac cæleſtis propago, quæ in Eccleſiaſtico conſita nemore; breuiſſimo temporis ſpatio, ipſaſmet Libani ſupereminentes cedros ſuperauit, in cuius vmbroſis frondibus cæleſtes auiculæ æſtus meridianos declinantes acquieſcunt. *Et poſtea fol.* 9. *col.* 1. Conflauit (*inquit*) Ignatius Religioſum exercitum hominum accinctorum, Doctorum prudentium, impigrorum in docendo, qui varijs victorijs & triumphis Eccleſiam locupletant. Sunt enim in ancipiti huius ſæculi via velut in triuio Hermæ conſtituti ad cæleſtem Patriam iter indigitantes, conſilio indigentibus cæleſtia ſunt Oracula: in tenebris verſantibus Soles: paruulis adultiſque Chriſtianæ doctrinæ Adminiſtri: frequentem Sacramentorum vſum edocent vitæ recte inſtituendæ ſapientiſſimas Nationes; Confeſſionum generalium præſtantiſſima pharmaca, tum aduerſus peccati luem, tum ad vitam immortalem conſequendam, Euangelij Præcones eximij & Tubæ Cæleſtes tradunt. Doctiſſimorum virorum Collegia omnium facultatum

Magnorum fluuiorum fons pene marcidum orbem virtute, ac literis inundantium.

Societas cæleſtis propago Eccleſiæ nemori inſita.

Exercitus hominum accinctorũ Eccleſiam triumphis locupletantium.

Ij Mercurij cæleſtes, Oracula, Soles.

Euangelij Præcones eximij tubæ cæleſtes.

tatum genere prælucentia constabiliunt, adeò vt quod de Simone Oniæ filio Sacræ paginę, de Ignatio affirmari possit, in diebus ipsius emanauerunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum. Primis enim Ignatij temporibus, omnia fere Germaniæ flumina, omnesque Belgici, & Anglici fontes exaruerant. In diebus ipsius remanauerunt putei aquarum, fundatis Collegijs, omniumque artium & Grammaticæ, & Rethoricæ, & Logicæ, & Philosophiæ, & Theologiæ, & Sacræ scripturæ Institutis Professoribus: longius profecto excurreret oratio, si fructus recensêre vellem, quos hi salutares Ignatij Fontes Ecclesiæ Dei pepererunt, riuulorum suorum inductionibus fecunditatem illi dantes, illamque in hortum cæleſtem superis & mortalibus periucundum conuertentes, quibus Ignatianis Riuulis tanta paucis in diebus aquarum accessio facta est, vt in mare prope immensum exundarint, ita vt illud Isaiæ Societati Iesv probe quadret: Repleta est terra scientia Domini, quasi aquis maris operientis 11.9. Quæ nam enim Nationum segetes? quæ Prouinciarum arua? qui Regnorum campi? quænam Insularum messes glorioſi Ignatij, eiusque Sacri Ordinis epota doctrina non lætantur? non luxuriant? & æternæ lætitiæ fructibus non abundant? *Et tandem fol* 31. *col.* 2. *Fundatori Optimo, & eius Societati non tam coronidem, quàm coronam imponit eloquentissima hac peroratione.* Te (*inquit*) pactionis Turrim, & Arcem cælo structiorem, ad Ecclesiæ munimentum Christianus Orbis pronunciabit Ignati, aduersus nocturna terriculamenta, splendidam facem, & ad depellendas in mortalis huius vitæ pelago ignorantiæ tenebras Pharum incensam, Altarium Templorumque concinnitatem ipsam, & elegantiam luculentis sin minus verbis, certe obsequijs proclamabit, & occinet in Catholicæ Ecclesiæ summo vertice speculam collocatam, & vigilum, excubitorumque stationes ad detegendos propulsandosque Tartari insultus & insidias, strenuum Curatorem. Secundum ab Apostolis Ecclesiasticæ Classis mundiali

Eccli. 50. 1. *Ignatius, & Societas in Simone Oniæ filio figurati.*

Eius Collegia salutares sapientiæ fontes, ac Riuuli.

In Mare prope immensum exundantes,

Isai. 11.9.

Multiplex Ignatij elogium.

diali hoc Oceano Gubernatorem, quo Rectore dixerim an directore inacceſſa hactenus, eaque propemodum infinita emenſa maria, & ſuauiter adſpirante implenteque vela diuini ſpiritus aura ad portus appulſum nullo hactenus Euangelicæ lucis veſtigio nobiles, nullis probatæ fidei fulgoribus illuſtratos, in quibus per vnum Ignatium, eiuſque Agmen egregium, dum placida velut in ſtatione pietas accubaret, vna verè in portu naufragium fecit impietas, & inde in confertiſſimas populis Nationes, dum Idolorum ſpectra ſubduxit, vexilla Crucis induxit, intulitque, vnde gemmarum immane pondus, & pretioſiſſimarum glebarum theſauros auferre, & abſtrahere ſolent in dies exaggeratas iam in Europa merces, & opes pretioſiſſimum cæleſtis beneficentiæ opus, diuinæ lumen fidei, æterni Numinis claritatem, lucra animarum immenſa, quibus Tyrani Dæmonis debilitatæ vires, auctæ ſupremi Principis rationes, totque nationum miriades à teterrimi hoſtis iniuſto emancipatæ ſeruitio, ad regalem deductæ amantiſſimi Numinis ſeruitutem, vt quando cæteris ducibus ad cæleſtem Imperatorem ex Angeli in Apocalypſi præſcripto certa quædam agmina ſignarentur adducta, vni Ignatio, eiuſque florentiſſimo Ordini conſignari poſſe cenſendum, omnem excedentes numerum turmas effuſas: vidi turbam multam, quam dinumerare nemo poterat: cum vel perdifficile ſit experimento probantibus non ſingulorum nomenclaturam, vel reſtitutarum quaquauerſus terrarum Orbem inſpicias apud Sinenſes, Iapones, Æthiopas, Braſilios, Americanos, Afros, Germanos, Belgas, & toto diuiſos Orbe Britanos, nomina recenſere. *Hæc ille in ſummam Sociorum ac Societatis laudem.*

Societas Agmen egregium.

Crucis vexilla in remotiſſimas nationes inducens,

Apoc. 7. 9. *Innumeras Prouincias diuino cultui, aut inſtituit, aut reſtituit.*

79. A PETRO VERSORIO *Regio Aduocato Pariſienſi aduerſus numeroſam, & potentem Magiſtratuum aciem, & præcipue Paſchaſij contra Parienſe Collegium acriter perorantis, cui Verſorius, qui inter doctiſſimos religioſiſſimus habebatur, & vnus pro* SOCIETATE *ſtabat, Senatu iterum conuocato, cum ſe humillimè inclinaſſet, quaſi*

Defenditur acriter in Senatu Pariſienſi.

quasi humi repens, respondere exorsus argumentis in contrarium à Paschasio propositis, longam, disertamque Orationem habuit pro Collegio, & SOCIETATE in hanc sententiam. Haud nouum, (*inquit*) Viri Amplissimi, SOCIETATIS IESV Patribus, neque ab vitæ genere, quod profitentur, alienum est, maledicta hominum de Ordine suo minus recte opinantium tacite, ac patienter ferre. Quod si maximè vellent in respondendo esse turbulenti; cohibet eos, at coërcet sacrosanctum illud eorum Ordini à Sede Apostolicâ inditum Nomen. Quod cum in memoriam assiduè reuocet auctorem, ac principem humanæ salutis Dei Filium, multis contumelijs & probrijs appetitum, in his quæ humanam solùm, non etiam diuinam attingebant naturam, mirum adamasse silentium; nequaquam sinit eos de sua solicitos ignominia esse, nisi cum diuinæ gloriæ defensione coniuncta sit. Quare eodem animo in hac controuersia sunt. Quicquid ad suam contumeliam declamatum est amicè condonant: si qua in re diuina laus violata est, in hac vestram, Senatores, implorant fidem. Tametsi enim tandem se ipsa defendit veritas; tamen cuiusuis Christiani est arcere ab innocente iniuriam, nec obmutescere, cum id in discrimen vocatur, quo ius, fasque continentur: palamque & publicè confusis, ac permutatis recti prauique vocabulis totius honesti natura corrumpitur. Igitur neque ego de mirâ illa Hypocrisi, quæ obiecta est, quicquam dicam. Criminatio hæc est quæ sola cadit in bonum virum: vltima obtrectatori materia, vbi & vitia & vitiorum species defecerunt. Quæ cum iam diu sola obijciatur, nihilque magis pugnet, quàm cum simulatione constantia; satis videri potest ipsamet ea diuturnitas refutasse: & non adumbratas, quas incessebat, sed solidas probasse virtutes. Quod autem SOCIETAS hæc damnata, ac nefaria secta, quod Protestantium, quod Donatistarum, Arrianorum, & Fraticellorum similis dicitur; ad id necessariò, sed paucis est respondendum. Ignatium Loyolam perhonesto genere Cantabrum,

Et laudatur ex patientia in iniurijs.

Et ex IESV nomine à Sede Apost. indito.

Mat.26. 63.

Aliqua in illâ obiecta diluuntur.

sunt multi in hac Vrbe, in Academia, in confessu opinor vestro, Patres, qui de facie nouerunt, cum inter nos, in hac regia sapientiæ, ingenti cum fama sanctitatis, iam grandis natu, & militaribus factis inclytus transtulit se ad studia literarum, vt ad salutem hominum procurandam, ad quod militiæ genus diuino quodam incitabatur classico, necessaria sibi doctrinæ compararet arma. Is ex hac ipsa Academia lectissimos iuuenes, cunctisque notæ, ac probatæ virtutis iuxta, atque doctrinæ, ijsdemque præditos animis aggregauit sibi: cum quibus inita præclari Societate operis, cum Christianam Rempublicam, & corruptis passim moribus, & suborientibus erroribus laborare cerneret; ad eam pro virili iuuandam, conatum omnem, & impetum vertit. Nec modo notas nobis amplitudine animi complexus prouincias est; sed parte sociorum ad vltimos Orientis nuper aperti oras missa, plurimos mortales, nationesque integras ad signa compulit Saluatoris. Itaque non obscuro in angulo, sed in huius clarissimæ Vrbis luce, in ipso Academiæ sinu exorta primùm hæc SOCIETAS est: nec ad serendos, sed ad extirpandos errores. Quam ad rem cum intelligerent in teneræ institutione ætatis momentum inesse maximum, quamuis arduam, indiuisamque prouinciam, summo consilio cunctis viribus susceperunt: vt sinceras adolescentium mentes contra hæreticorum præmunirent virus, ac nouis existentibus errorum magistris, nequaquam deessent in Ecclesia Dei noui veritatis Doctores. Hæc instituta Paulus III. Pontifex Maximus cum primùm nouit, ab doctissimis & clarissimis viris inspici expendique iussa, de eorum sententia ornatissimè comprobauit. Idem fecere, qui deinceps consecuti sunt summi Sacrorum Antistites, ac modo Synodus Tridentina. IESVITARVM nomen quid cuipiam negotij faceſſat, equidem nescio, præsertim cum aduersarij fateantur idem esse, ac Christianorum. Quid enim modestius facere poterant, cum propriam certorum hominum

Eius conatus pro animarum salute, & errorum extirpatione.

Approbata à Summis Pontif. & à Trid. Synodo sub IESV Nomine.

num SOCIETATEM, non communem omnibus conderent, eamque nomine distingui aliquo oporteret; quid, inquam, modestius facere poterant, quàm vt id ei nomen imponerent, quod re commune, vocis duntaxat sono proprium esset? Neque vt nouum criminari possunt: quia fuisse olim quendam eiusmodi Ordinem constat, eiusque meminit multis in locis Panormitanus. Quamobrem per vestram fidem, Senatores, quænam est vel inscitia rerum, vel peruersitas animi, hunc Ordinem reiectum, ac nefarium dicere, cum eum primùm quidem Christi Vicarius Paulus III. deinde Iulius III. post hunc Paulus IV. post Paulum Pius, qui nunc supereſt IV. ac proximè ipsummet Tridentinum Concilium (in quo & Legati, & Episcopi, & Doctores multi ex Gallia interfuerunt) receperint, comprobarint, ornarint? Hæc qui nescit, audet de rebus publicis, de iure, deque iniuria hoc in consessu verba facere? Qui autem perspecta habet, & tamen criminatur, is permittitur impunè inter Christianos loqui? Quid, quod multi in Italia Reguli, in Germania, & Vngaria Episcopi, liberæ Ciuitates, ac Ferdinandus Imperator: in Hispania, Flandria, Brabantia Philippus Rex: in Lusitania, & in Indijs Lusitani Reges: in Gallia multis locis Rex ipse Christianissimus hos viros quasi in stationibus collocarunt ad propugnandam Religionem, & propagandam? Tamenne erit, qui hoc in conuentu, tanquam nouum & pernitiosum genus hominum audeat deformare, & propulsare, quod Christianarum gentium cuncti Principes firmissimum à Deo Præsidium, miseris hisce temporibus oppositum contra Hæreticos, & Ethnicos arbitrantur & complectuntur? At enim verendum est ne peruetustam, atque clarissimam huius Vrbis, atque adeo totius terrarum Orbis Academiam noua hæc natio euertat. Equidem semper Sacrum hoc Athenæum pro parente colui, colamque dum viuam, ex quo quicquid sum, quanquam agnosco tenuitatem meam, profectus sum: neque vllo modo eius commoda

Quanta de Socijs Principum æstimatio?

Eos firmissimum à Deo præsidium contra hæreticos oppositum conclamantium.

mihi oppugnare animus est, sed tueri, & augere vel vita, & sanguine. Sed tamen hoc velim persuaderi sibi Domini mei sinant, IESVITAS eodem, quo nos omnes sumus, animo esse, & Academiam venerari quasi parentem: neque conari irrumpere ad euertendam, sed dignam existimare, ad quam stabiliendam, atque (si fieri queat) illustrandam, suos ipsi quoque qualescumque conatus conferant: ac demum rogare suppliciter, vt, quod naturæ iure permissum est omnibus, vt lumen de suo accendant lumine, & comiter erranti viam monstrent; id sibi interdictum ne velint. Nam, quod aiunt aduersarij, nullis deuinctos esse legibus; perinde vt alia, apertius est falsum crimen, quàm vt debeat, vel à mediocriter callido calumniatore obijci. Habent enim moderatores suos, habent instituta, quibus regantur: verentur pro summo Capite Romanum Pontificem: & in hac Vrbe Episcopum Parisiensem, & Rectorem Academiæ perofficiosè obseruant, & quibus in rebus æquum est, libenter vtrisque parent. Doctrina vero non alia est, quam quæ ab integerrimis Academiæ huius manauit fontibus, illimis, ac salutaris. Euolue, Paschasi, euolue catechismos ab his Magistris editos, tum tu, ab infamibus illis hæreticis, quorum ad contumeliam abs te coacernata sunt nomina, quantùm distent, intelliges. Si docent gratuito; id profecto faciunt, quod Euangelium monet, Gratis accepistis, gratis date. Si dona accipiunt; an quisquam adeò sit inhumanus, qui, quæ liberaliter deferuntur, accipi vetet ab ijs, quibus minus suppetat, vnde vitam sustentent? Oro vos, Viri clarissimi, reputate hoc cum animis vestris. Si alijs honestum est cum auditoribus suis de mercede pacisci, vnde locupletes, & opulenti fiant; quamobrem his nefas erit vel Euangelium sequi consilium, vel id accipere, quod nequissimis mendiculis non negatur. Nam quod additum de causa est pauperum; pudet me (meam fidem testor) pudet, pigetque attingere, adeò vanum est. Aliquot iam annis Claromontanum Collegium habent Iesuitæ,

Eorum doctrina illimis, ac salutaris,

Gratis iuxta Euangelium docent.

Matt. 10. 8

quæro,

quæro, & quod incommodum quisquam inde senserit? & quod sensurus vnquam sit, si clarissima Antistitis permittantur benignitate vti? Quid inde? Eo ne reductæ Parisiensium fortunæ sunt, vt paucorum hominum Collegium, penuriam, inopiam, famem allaturum sit terrarum Principi Ciuitati? Fac quadraginta cœci è vagis mendicabulorum quisquilijs, vel alia eiusmodi ignaua corpora huc ad nos immigrent, hi tua sententia, capient propemodum, vastabuntque hanc Vrbem, adeoque exhaurient, conficientque rem, ac pietatem ciuium, vt religiosissimis mendicantium Ordinibus pereundum fame sit? ô præclara regendarum consilia Ciuitatum? Nunquam Senatores, nunquam bonorum atque doctorum hominum vlla in vrbe abunde est, neque vlla melior est annona Reipublicæ, quam horum copia. *Hæc Versorius ad repellendas Societatis calumnias liberè, & accurate dixit. Ita Par. 3. Hist. Soc. lib. 1. num. 10.*

Defenduntur Patres Societ.

80 A NICOLAO ZIEMECKI *Archidiacono Pezeuensi in responsione ad famosum Annonymi cuiusdam calumniatoris libellum contra patres Societatis* IESV *in Polonia, in qua ille mirè eos defendit per plura Capita, & præcipuè Cap. 27. ex iuuentutis educatione, quam calumniatur Annonymus.* Ego, *inquit*, præterea his duobus te mentiri ostendo. Primò experientia, quæ præcipuè docet Patres Societatis studia humi vbique depressa, & derelicta excitasse: & ad tantum culmen, fastigium, & perfectionem, in qua nunc ea videmus, extulisse ac perduxisse: quod etiam viri doctissimi, ex quorum numero aliquos ego supra produxi, agnoscunt, affirmant, & prædicant. Testatur & hoc aliud eâdem experientia eosdem Patres à Deo immortali insigni quadam industria ad educandam excolendamque iuuentutem in literis & moribus donatos esse, plurimosque ex scholis illorum Viros illustres, & in omni genere scientiarum, quod ab illis tractatur, & in omni genere virtutum Christianarum exercitatissimos euasisse, & tanquam miracula aliqua sæculi prodijsse. Secundò vniuersi Orbis Chri-

Illi vbique studia humi depressa excitant.

A Deo immortali, ac insigni quadam industria ad educandam iuuentutem donati.

ſtiani teſtimonio, qui contrarium tuis dictis clamat, omnium Ciuitatum, omnium Prouinciarum, Regnorum, Regum, Orbis ipſius denique terrarum tripartiti. Hæc eſt ſententia, hoc iudicium, hic communis ſenſus & conſenſus, Ieſuitas miro artificio ad excolendam iuuentutem è cælis donatos, ad hoc præcipuè mundo iam ſeneſcenti & vitijs repleto, & in eiſdem inueterato, eoſdem à Deo miſſos eſſe, vt iuuentutem ſaluberrimis præceptis inſtituant. Illorum denique diſciplinam, diuinam eſſe quamdam ingeniorum inſtitutionem. Nega ſi potes: quid enim tibi poſt tot mendacia, quæ fœdiſſimo ore euomiſti, illicitum eſt. Ne tamen hoc vniuerſi populi Chriſtiani teſtimonium negare audeas, cum voces illius exaudiri non poſſint; en habes vnde omnia ita ſe habere intelligas, contentiones Orbis totius videlicet de tradenda Ieſuitis ſua iuuentute, ſuis dulciſſimis iucundiſſimiſque pignoribus committendis, ſtudia concertantia & tam importuna Ieſuitas in ſuis Prouincijs habendi: ſumptus, quos in extruendis Collegijs, & inſtruendis neceſſarijs, faciunt. Iam vides vter hic mentiatur; fallat, aut fallatur, tune ſcilicet vnus, an vniuerſus orbis Chriſtianus, qui Ieſuitas propter inſtituendam iuuentutem accerſit, ornat, amat, & commendat? *Hæc Archidianus inter alia multa, quibus Socios ac Societatem in citata ſua contra Annonymum reſponſione defendit, impreſſa Cracouiæ in officina Andreæ Petricouij anno* 1610.

Eorum diſciplina eſt diuina quædam ingeniorum inſtitutio.

Defenditur contra Annonymum Ieſuitarum doctrina moralis.

81. AB AMADÆO GVIMENIO *Lomarenſi olim Primario Sacræ Theologiæ Profeſſore in Opuſculo ſuo verè aureo, cuius titulus eſt*, Aduerſus quorumdam expoſtulationes contra nonnullas Ieſuitarum opiniones morales. *Vbi in Præfatione Dedicatoria ad Lectorem inter alia multa hæc in Ieſuitarum doctrinæ laudem, ac defenſionem ſcribit.* Contra Societatis IESV Scriptores in dies augetur inuidia, crudelitas inualeſcit, & de victoria ſibi blanditur, licet per latus hoſtile in ſuamet ferrum viſcera conuertat. Annonymus (neſcio quis) contra moralem Ieſuitarum doctrinam annis elapſis famoſum libellum quàm pluri-

plurimis probris, & contumelijs contextum per Germaniam sparsit, &c. Simpliciter fateor prædicto Annonymo, primum idcirco (cum Louanij, anno 1646. euulgauit) respondere nolui, quia libellum à viro Theologo elaboratum liquido non credebam, vtpote qui opiniones non tam vnius, vel alterius Iesuitæ, quàm aliorum Doctorum communes, infamiæ nota aspergeret, impiaque censura damnaret. Deinde calamum aptare hæsitaueram: tum quia Iesuitæ silentio spreuerant, calumnianti, vel sic exprobrantes, quod firmissimum doctrinæ murum, adamantinis opinionibus, ab antiquis, & peritissimis Magistris constructum arietasse attentauerit. Tum quia Louanij eodem anno 1646. reiecerat acutissimus Ioannes Caramuel in Theologia Morali lib.2. disp.12. num. 1311. ibi. [Nescio quis Annonymus contra Iesuitas virus euomit, &c.]

Quæ firmissimus murus est adamantinis opinionibus constructus.

Hæc, inquam, ab Opusculo exarando retardarunt. Sed proh dolor! Vix quinque Propositiones Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis damnatæ fuerunt vt hæreticæ ab Innocentio X. anno 1653. in Bulla, quæ incipit, Cum occasione, expedita die 31. Maij (quam contra nonnullos ex discipulis pertinaciter in eadem hæresi, varijs quæsitis coloribus, persistentes innouauit Alexander VII. anno 1656.) Quando libellum penè extinctum, & ad fauillas redactum, quidam ex Iansenistis, à quibus promanauit, in Societatis, inquam, odium suscitatum, in varioque tractatus, & epistolas, non vno idiomate digestum, dissectumque, per vniuersum fere Orbem, rabido furore correptus dispersit, &c. Et cum Iesuitarum moralis doctrinæ lacte omnes fere Theologiæ Professores à tyrocinio mulceantur in omnes iacula contorsit Annonymus: omnes vno ictu ferimur. Quem propterea refellere tenemur, vt cum D. Thoma, & Magno Gregorio tradit Syluester verb. Contumelia. n.5 &c. Sanctorum ergo Patrum vestigijs insistens, pensum soluens, (quia Iesuitæ doctrinæ addictissimus) opusculum hoc apologeticum communi luci dare

Iesuitarum doctrinæ lacte omnes fere Theologiæ professores mulcentur.

Ij animarum profectui toto nixu dediti sunt.

dare decreui, non ad reprimendam Annonymi audaciam, vt consulit Sylvester supra, sed ne animarum profectus, cui toto nixu Iesuitæ omnes dediti sunt, ex his, quæ contra eorum moralem doctrinam obijciuntur, ne in pusillis quidem, & ignorantibus impediri posse videatur: tum vt à calumnijs vindicata inimicorum etiam calculo firmetur, & possit cum Augustino epist. 15. exclamare vniuersa Societas. [Hoc est quod acute vidit, qui dixit, vtiliores esse plerumque inimicos iurgantes, quàm amicos obiurgare metuentes.]

Prodijt etiam Groningæ, anno 1654. libellus alter famosus contra Scholasticam Iesuitarum doctrinam cum hac impudentissima inscriptione. [Apologia nouissima pro sancto Augustino, Ianseno, & Ianseniſtis contra Pontificem, & Iesuitas, Auctore Samuele Maresio. Nimirum aduersus nuperam Constitutionem Innocentij X. qua in gratiam Iesuitarum, & Pelagianorum contra Augustini, & Ianseni sequaces declarantur, & definiuntur quinque Propositiones in materia fidei.] Sic ibi. Sed quænam maior Societatis laus, quàm eandem cum Ecclesiæ Capite in materia fidei subijsse fortunam? quinam glorioſior contra hæreticos doctrinæ triumphus, quàm eisdem calumniantium telis impetiti, hostemque habere communem? Maresio modo parcam, quia hæretica perfricatæ frontis libelli inscriptio, maxima Iesuitarum doctrinæ commendatio est, *&c. Hactenus Amadæus in citato Opusculo Valentiæ Typis edito anno* 1661.

Ingens Societatis laus, eamdem cum Ecclesiæ Capite in materia fidei subire, fortunam.

Hostemque habere communem,

82. A CÆNOBIARCHA *Sanctissimo ex rigidissimo æquè ac clarissimo Ordine, qui morti iam proximus iubet vocari ad se Barcinonensis Proregis Confessarium P. Matrezium è Societate nostra Sacerdotem, cui vixdum ingresso in conclaue decumbentis æger ipse magna alacrique voce quasi gratulabundus aggreditur*: Felicem te (*inquit*) ô Pater, cui contingit socium esse eius Ordinis, in quo quicumque decedit, vita fruitur sempiterna. Hæc mihi iam nunc Deus ostendit, hæc palam omnibus nunciare mandauit. *Hærebat hic noster admiratione defixus, cumque tam singulare visum,*

Singulare Societatis elogium.

visum, prohibente verecundia, non auderet admittere, & parem minimum felicitatem datam auguraretur ipsius ægri Instituto, quod erat rigidissimæ etiam tum, & incorruptissimæ disciplinæ, addidit ægrotus, dixitque cum gemitu, Saluari quidem ex suo Ordine quam plurimos, sed non omnes: ipsius autem Societatis omnes omnino, ac singulos ad mortem vsque, in ea si constiterint, esse saluandos. *Sic ille, vt refertur in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 8. fol. 650. Cui nam ergo Sociorum hacce cogitatione imbuto ac tanta spe nixo, vita sua quantumuis molesta ac longissima, possit esse non iucunda.*

Et spiritualium Exercitiorum.

83. Ab Altero *eximio Cœnobiarcha, qui postquam à nobis exercitatos aliquot è suis longe meliores, quàm miserat, recepisset, ad Collegij Rectorem extat Epistola, quæ inter alia sic habet:* Omnes Religiosi iam inde ab exercitijs spiritualibus reuertentes, adeo confratres suos humilitate, obedientia, alijsque virtutibus ædificarunt, vt omnes alij nihil charius habere videantur, quam vestræ sanctæ Societati decem, aut duodecim diebus adesse. Impleri apud vos videmus illud Cant. 1. Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. *Ita ille Ibid. lib. 6. cap. 3. sect. 1. fol. mihi 790. Quæ duo testimonia licet ad Religiosorum Classes pertineant, hic tamen apponenda duximus, & quia annonymi sunt Auctores, & cui Familiæ nomen dederint, non declaro.*

Societas Agmen Ecclesiæ fortissimum.

Quæ toto terrarum Orbe suas stationes habet.

Et pro Ecclesia passim excubat.

84. Ab Avberto Miræo *Celeberrimo Decano Antuerpiensi, qui reddens rationem cur adiunxerit Societatis Collegia ad Ecclesiæ Breuiarium continens Archiepiscopales Prouincias, Episcopales Diœceses, & Vrbes, vti in Breuiario Imperij Romani descriptæ extabant Prouinciæ, Ciuitates, ac Legiones, ait in Epistola Nuncupatoria Geographiæ Ecclesiasticæ,* Legionum Romanarum loco fortissimum Societatis Iesv Agmen collocare visum fuit, quæ toto terrarum Orbe suas stationes habet, & pro Ecclesia passim excubat. *Hactenus ille apud P. Gabrielem de Henao Par. 2. de sacrificio Missæ disputat. 27. sect. 12. num. 127.*

In Hispania Prouincias 5. habet, quæ præcones Euangelicos dant ad utramque Indiam.

85. Ab Alberto Miræo, *In libello Politiæ Christianæ lib.1.cap.19.pag.77.* In vniuersis (*inquit*) Hispaniarum Regnis Societas Iesv quinque Prouincias habet, quas vna cum singularum Collegijs operæ pretium hic fuerit ob oculos ponere, quod ex ijs potissimum desumpti fuerint, hodieque desumantur præcones Euangelici ad Christi doctrinam per vtramque Indiam, longè lateque disseminandam. *Hæc ille: qui Collegia recenset quæ in vnaquaque Prouincia habet Societas. Et Ibidem cap.25.pag.105.subdit:* Si vspiam alibi, in Gallia præclaram certe operam præstat Societas Iesv in seductis ad viam veritatis, gremiumque Ecclesiæ reducendis. Ipsi autem in Gallia sunt Prouinciæ quinque. *Et vniuscuiusque Collegia enumerat. Et Ibidem cap.35. pag.141.* In Germania (*inquit*) tres habent Prouincias Patres Societatis, in quarum Collegijs iuuentus optimis moribus, & literis accuratè imbuitur: vel ipsorum etiam Lutheranorum iudicio, qui non raro liberos etiam suos ad ea gymnasia erudiendos mittunt. *Sic ille: qui Auctor diuersus est à præcedenti Auberto Miræo, vt apud scriptores inuenio: fides sit penes ipsos.*

In Gallia totidē quæ præclaram operam præstant in seductis ad gremium Ecclesiæ reducendis.

Et in Germania tres: in quarum collegijs iuuentus optimis moribus, & literis imbuitur.

Societas laudatur:

Et Ignatius Parens.

Et Xauerius filius.

86. A Salvstio Germanico, *In suis Flosculis Historicis, siue Historia Vniuersali ab Orbe condito, sic ait:* Eo tempore nascebatur Societas Iesv, sancita à Paulo III. an. 1540. eo incremento, rerumque successu, quem vterque Orbis suspexit. Auctor Ignatius de Loyola, qui per tirocinium patientiæ ad sanctitatem miram euectus, prudentiæ, & humilitatis specimen fuit: cuius miraculum ingens Xauerius, sequenti anno in Indiam missus, qui terrarum tractus, & marium immensos obiens, myriadibus hominum Christo consignatis, eique aperta primum Iaponia in Sinarum aditu, raptus est febri, cum eius ignibus minor esset Orbis, quærendumque esset in ipso fonte incendij pabulum. *Hæc Auctor florentissimus fol. mihi 590.*

* 87. A Dª. Marina de Escobar, *Illa quidem Venerabili fœmina, sanctitate clarissima Virgine, tot tantisque diuinitatis*

nitatis arcanis & cælestibus illustrata mysterijs, vt & prima visa sit, nec passim habitura sequentem: adeò enim illi Deus familiariter alloquebatur indulgens, vt meritò videatur in ipsa, & suam duntaxat reperire lætitiam, & vnicè cumulasse delitias. Hæc igitur Spectabilis Virgo contemplationis dum quiescebat in ocio, hæc de sanctissimo Patre, de Societate, & Instituto mirabili, Deo reuelante, conspexit.

Visiones mirabiles de Instituto Soc. Parente, & alumnis.

Vidit, inquam, Patres è Societate quàmplurimos sanctissimum Parentem Ignatium assectantes. Inter alios è Societate, qui Parentem nostrum Ignatium ab alta cælorum arce comitabantur, ipsa singulariter illorum duos agnouit. Et rursus eidem sanctissimo Patri, dum ipsam Dominam Marinam familiariter inuisebat, suam Deus vniuersam Religionem aspiciendam proponit.

Quædam admirabilis visio, quam circa altitudinem, & Instituti nostri excellentiam (in quo sicut & in numerosa filiorum propagine animarum bono perutili, sanctissimi elucet magnitudo Parentis Ignatij) ipsamet Venerabilis Virgo conspexit; sic habetur. Vidi, *inquit,* Societatis Iesv Religiosum in quodam veluti feretro, licet vitam agentem, & quasi in contemplatione suspensum: illum plurimi ex eadem Societate religiosi portabant, quos etiam Angeli multi comitabantur: sed postquam in media cubiculi mei planicie collocarunt allatum, obseruaui, sanctissimum Iesv Nomen supra pectus habere; quod Venerabile Nomen adeo fulgentiores radios vibrabat, vt Religiosum ceu quodam gloriæ amictu circumdatum, & obuestitum corpus relinqueret. Radij autem per vniuersum terrarum ambitum ad vsque remotiora confinia portendebantur; ita tamen, vt splendidum, inflammatumque, quidquid attingerent, redderent. At postquam omnes, vt illum iterum vehe-rent, commoti fuerunt, Deo sic cuncta disponente, notaui; ipsummet feretrum dulcissimo Iesv Nomine eximiæ pulchritudinis radijs ab omni parte esse ornatum, illumque Religiosum tam in manibus quàm in pectore quosdam veluti Soles eodem Sanctissimo Nomine, claritatis plurimum emit-

tente, similiter habere. Tunc mihi cuncta hæc valde admiranti ad aurem Dominus dixit; Societatis IESV institutum, supereminentem ipsius excellentiam, & efficacitatem eximiam, vt Nomen clarissimum meum, totum per terrarum Orbem sectatores eius circumferunt, meque illis fauente, num splendore doctrinæ, tum vitæ exemplo, & fidelium mentibus ingerant, & eas benedoctas inflamment, tibi doloribus obrutæ pro voluptate haud exigua consulto volui ostendere.

Et paulo post: Angelos, *inquit*, alios aduentare conspexi, magnam & pulcherrimam capsam præstantissimis gemmis vndique perbelle insculptam, afferentes: qua per ipsos patefacta, immensum, nec ponderabilem satis thesaurum tam ex auro & argento, quàm ex nitidissimis gemmis, & omni pœnitentium vnionum genere cumulatum, intus esse notaui: tunc mihi Angeli illi dixere: Hæc Societatis sunt opera, apud Dominum, ad bonum multarum animarum quam maximum, & æstimabilia, & pretiosa.

Iterum vidit in cælo quamdam multorum è Societate Sanctorum celeberrimam Pompam, in qua quisque mirabilis insigne virtutis, qua magis claruit in terra, deferebat. Generales insuper nostros diademate veluti cidari, adnotauit ornatos. Præterea quid eidem dubitanti; alios ne è Societate obijsse; cum tot, tantosque inspectaret in cælo; sic, vt videretur negandum, in eadem plures è vita migrasse, Dominus alloquatur, & dicat. Et ad Sanctitatem sectandam quantum quisque è Societate obstringatur, præsertim, vt ipsa aiebat, cum pro exemplari sit omnibus tam admirabilis Parens, vt Sanctissimus noster Ignatius. Cum nostra Societate fraternitatis epistolam ipsa D. Marina adipiscitur, idque quantum sit placitum Deo.

Verba Christi Domini de Societate persecutionibus non obruenda.

Hæc iterum Dominus illi prædixit circa sæuientes persecutionum procellas in Societatem, & nostros; Ne plurimum afficiaris Marina, non enim demergenda; sed vt extollatur, calcanda; nec, licet extenuetur, confringetur. *A Societatis persecutoribus,*

ribus cunctis vindictam Dominum exigentem eadem Virgo conspexit. Cur ipsa auxiliares Angelos duos nigranti intueatur in nube. Inter eos è Societate, qui Parentem nostrum Ignatium comitabantur pedisequi, quatuor agnouit hæc Virgo. Et ex illis P. Christophorum à Ribera esse vnum, quem olim simili in comitatu cognouerat. Quod Dominus dixit eidem pro Societate exoranti, tunc præsertim, cum propter Auxiliorum sententiam Romæ criminaretur à multis.

Aliquos è Societate speciatim gloria esse affectos, notauit. Introeundum in Societatem Angeli patefaciunt eidem. Plures è Societate, cum Sanctissimo nostro Parente conspexit, qui omnes ipsiusmet funeri adfuturi promittunt. Illi Angeli ostendunt, quod maximum donum P. Ludouici à Ponte elargiendum à Domino, eo quod, & eiusdem direxerit mentem, & scripserit vitam. Quo pacto à Sanctissimo nostro Parente fuerit ipsa in Societatem admissa. Beatissimus Parens Ignatius inter inuisendum eamdem, suos filios, vt ad Deum pro Societate conclament, adhortatur. Conspiciendi sese offerunt illi, tam Sanctissimus Parens Ignatius, quàm Beatissimus Dominicus; quodque tunc accidit circa vtriusque Religionum consensum. Sanctissimum Patrem Ignatium sanctissimi Dominici filij assectantur, & hunc, quos Societas contulit cælo. Hæc omnia constant ex Indice verbo Societas Iesv *& insuper à Cap. 13. §. 4. Par. 1. eius vitæ à P. Ludouico à Ponte conscriptæ.*

Eadem Virgo mirabilem quamdam concionem pro Parente Sanctißimo nostro à B. Dominico factam auscultata fuit in hunc modum. Erat Sanctißimus Parens veluti in contemplatione suspensus, quem cum intueretur diuinißimus Prædicatorum Fundator, digito quasi demonstrans, sic mirabiliter orsus. Hic est Ignatius Beatissimus sacræ Societatis Iesv Religionis & Patriarcha, & Fundator. Hic est qui virtute sibi à Deo impertita, tot tantosque in spiritu spiritales edidit filios, qui præstantiori virtute, & superadmiranda doctrina, plurimum fidelium mentibus in Ecclesia profuêre. Hic est illa fœcundissima radix,

Egregia S. Dominici concio in S. Ignatij laudem.

dix, illa pulcherrima Arbor, quæ tam eximium, & cæli sanè perutilem fructum procreauit in terra. Hic est ille, & humilis, & sui despectator egregius, qui nec sibi vsquam, nec spiritalibus filijs, honores, & magnitudines, dignitates, & Pontificatus admisit, quin potius omnia sub pedibus proterenda deiecit. Hic est ille qui inter Dei electos Primates, beatitudinis inter altiores Dynastas supremum, & excellentia conspicuum felicissimè possidet thronum. Hic est ille, in quo, & propter virtutes clarissimas, & propter beatitudinem ipsam, qua beatur eximè Deus omnium elargitor, & auctor, ab Angelorum omnibus choris magnificatur impensè. *Constant similiter hæc ab eod. cap.* 13. §. 4.

CLAS-

CLASSIS XI.

AB HÆRETICIS.

HActenus à laudatis Viris laudata Iesv *Societas: Quid ni & ab ipsis Hæreticis, Sectariisque accersamus aliquid laudis? Nec enim vlla virtutis certior est, quàm ab hoste (vtpote vi veritatis expressa) commendatio. Audiamus igitur quid hostes veræ Religionis, quid Hæretici quandoque de* Iesvitis, *ac* Societate *senserint: & imprimis exordior.*

1. A Philippo Melantone *Patriarchæ nomine ab ipsis Hæreticis proclamato: qui morti suæ infaustissimæ iam vicinus, cum forte audiret à quopiam Iesuitas peragrare terras, transmittere maria, nec quemquam fere tunc esse Orbis Angulum, quo non penetrarint, vbi non iecerint Catholicæ Religionis semen, non sudore tantum, sed etiam sanguine irrigatum; ductis ex imo corde suspiriis, penè iam animam exhalans, exclamare non vni auditus est.* Ah! quid hoc esse dicam? Video sane totum Mundum breui Iesuitis repletum iri. *Ita apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 12. fol. 680.* *Iesuitæ Melanthonis vltimus dolor.*

2. A Theodoro Beza *asserente*, Nulla se in Francia vitæ Christianæ, & integritatis vestigia, nisi in Iesuitis videre. *Sic Ibid. fol. 681. Qui rursus affirmabat*, Delphinatus Ecclesijs non posse periculum creari maius, quàm si Ministri viua voce, ac præsente plebe de Religione cum Iesuitis dissererent. *Sic in Annal. Societ. ann. 1601. fol. 453.* *Eorum vitæ integritas.* *Quantum cum illis renuant Hæretici disputare.*

3. A Martino Kemnitio *affirmante* Societatem à Romano Pontifice excogitatam, vt labentem Ecclesiam fulcire aliquomodo posset. *Ita in Imag. 1. sæc. Soc. citata fol. 681. Et item ab Eodem impie effutiente*, Iesuitarum Theologiã semel expuncta *Societas labentis Ecclesiæ fulcrum, fideique sustentaculũ.*

expuncta, Catholicam fidem expunctam iri. *Ac proinde librum, quem ille in hanc edidit, contra Theologiam Iesuitarum inscripsit, sic referente Kemnitio apud P. Gueuara Tom. 1. in Matth. cap. 1. v. 1. obser. 16. num. 14.*

Iuuentutis instituendæ disciplina à Iesuitis reuocata.

4. A FRANCISCO VERVLANO *Angliæ Cancellario agente de Institutione iuuentutis:* Quæ (*inquit*) nobilissima pars priscæ disciplinæ reuocata est aliquatenus quasi postliminio in Iesuitarum Collegijs: quorum cum intueor industriam, solertiamque tam in doctrina excolenda, quàm moribus informandis, illud occurrit Agesilai de Pharnabazo: Talis cum sis, vtinam noster esses. *Ita ille apud Imag. Societ. sup. fol.* 681.

Eorum solertia in doctrina excolenda, & moribus informãdis.

Cum illis, tormentis, non argumentis certandum.

5. AB ANGLICANIS, *Quorum argumentationes tam facile Maldonatus noster in quodam cum Hæreticis congressu, dissoluit, vt earum futilitatem ipsi cognoscerent, cogerenturque asserere:* Cum Iesuitis in posterum tormentis potius certandum, quàm argumentis. *Ibid. lib. 3. cap. 3. fol.* 341.

Vbi ipsi dicunt hæresis stare nequit.

6. A CALVINO-BATAVIS: *Qui asserebant*, stantibus in Belgio Iesuitis stare non posse Hæresim, ne dum dominari. *Ijdemque rursus profitebantur*, Malle se quotquot Belgium habebat Hispanos, quàm bis senos dumtaxat Iesuitas. *Ingens Iesuitarum commendatio, & gloriosa, cui Batauicæ gentis odia in Hispanos non ignota: plusquam Vatiniana sunt. Tandem quod maximè Societati honorificum, ijdem Hæretici Religionem Catholicam, sæpe quidem* Romanam, *sæpius tamen* Iesuiticam *appellant. Probrum nobis dicere se putant, & præconium dicunt. Ita Ibidem lib. 6. fol.* 890.

Hæreticorũ cum Iesuitis odium implacabile.

Religio Catholica, iam Romana, iã Iesuitica vocatur.

Pro maleficijs beneficia rependunt Iesuitæ.

7. A LIBERIO WIGART. *Asserente*, Homines Societatis suorum inimicorum amatores adeo, vt beneficia pro maleficijs rependant. *Sic in Annalib. Societ. ann.* 1604. *fol.* 648.

Sine illis nihil Rex Hispaniæ attentaret.

8. * AB ELISABETHÂ *Angliæ Regina, Catholicæ Religionis immani peste, crudelique Societatis aduersaria.* Videtur (*asserebat illa*) quod sine Iesuitis Rex Hispaniæ nihil hoc tempore atten-

attentaret. *Sic apud P. Fran. Aguado Tomo suarum exhortationum, exhortat. 34. §. 3.*

9. A MARCO ANTONIO ARNALDO *Elisabethæ sensum egregie in summam Societatis laudem confirmante.* Societas (*inquit*) probata est in Hispania videturque nata ad Imperium Hispanorum promouendum: vocant Regem Philippum, Maximam Potentiam, Murum, & Antemurale Domus Dei: eorum dictum est, vnus Deus, vnus Papa, vnus Rex Christianismi, Magnus Rex Catholicus, & vniuersalis Rex Hispaniæ: omnia eorum acta, omnes eorum cogitationes eò spectant, vt Regem Hispaniarum Europæ Monarcham constituant. *Hæc ille, de quibus non parum nos, qui Hispani sumus gloriamur. Ita ibidem.* *Societas Nata ad illius Imperium promouendũ.*

10. A DAVIDE PERÆO *Caluinista in orat. de strephis Iesuitarum, vbi suos contra Nostros excitat dicens:* Nunc communia arma, signa, & acies excitandæ sunt in Antichristum Romanum, eiusque Primipilares Iesuitas, qui ante fores commune exitium omnibus Ecclesijs reformatis machinantur. *Ita apud P. Henricum Fitzimon in sua Britono-machia ministrorum in Proœmio ad lectorem pag. 17. Haud parum Hæreticus Iesuitas extollit, cum illos Romani Pontificis Primipilares constituit.* *Iesuitæ Pontificis Romani Primipilares.*

11. A CONSTANTINO *Canonico Hispalensi occulto Hæretico, cui venit in mentem Sociorum mores interius explorare. Quod, ni fallor, voluit Deus vt testimonium innocentiæ nostræ ab ipsomet inimico exprimeret. Namque submissi exploratores postquam intentis auribus, oculisque obseruauerant omnia, cum referrent, deprehendisse se homines proximorum saluti cupidos, orationi deditos, procul à fœminarum commercio, interfatus hîc Constantinus*, Hactenus (*inquit*) sat est. Si dediti orationi sunt, & à mulieribus cauent, perseueraturos ne dubita. *Sic ille Par. 2. Hist. Soc. lib. 2. num. 128.* *Eorum oratio & Castitas commendantur.*

12. AB HILDESHEMIO *Luterano, vel coram ipso suo Prædicante, asserente*, Iesuitarum dictione se ad pietatem moueri *Et locutio mouens ad pietatem.*

summópere, apud suos nullam guttulam hauriri posse pietatis. *In Annal. Soc. ann.* 1613. *fol.* 203.

Sunt ad iuuentutem instituendam prompti, & omnigena sapientia ornati,

13. A MINISTRO *Auenionensi* : Docti sunt (*inquit*) Iesuitæ, fateor : ad pueriles animos imbuendos prompti, & parati, non negarim. Ab his cognitio antiquitatis, & Historiarum petenda, verissime dictum est : ab his poetices, & eloquentiæ præceptorum docta, & subtilis explicatio, non inficior, non negabo. *Ita in Annalib. Societ. ann.* 1600. *fol.* 283.

Et Concionatores, quos hæresis trepidat.

14. A CALVINISTIS *Gallicis, Ecclesiasticos & sæculares in partem Vrbis Arauicæ admitti Henrico IV. permittentibus, conditione hac tantum addita*, Ne Iesuitæ Concionatores accederent. *Ibidem fol.* 289. *Sic ad eorum conspectum pauent Hæretici.*

Satius cum Dæmone, quam cum illis congredi.

15. A LVTHERANIS *ex Prouincia Germaniæ superioris palam asserentibus*, Satius esse cum Caco-dæmone, quàm cum Iesuitarum Cætu congredi. *Quod de Societatis doctrina luculentius testimonium. Ita in Annalib. Societ. citat. ann.* 1600. *fol.* 346.

Eorum vita laudata.

16. A CALVINISTIS *ex Prouincia Rhenana testantibus*, Se non difficulter fore Romanos, si vt Iesuitæ omnes Sacerdotes viuerent. *Ibidem fol.* 399. *Paucis sane verbis grande præconium.*

Quorum opera fit, ne hæreticorum fluctibus Anglia, & Gallia restagnet.

17. A GALLIS, ET ANGLICANIS *P. Petrum Diazium, & socios iuxta Insulas fortunatas immaniter occidentibus : nec tanta diritate exaturari potuit horum Hæreticorum rabies, nostros, iam* Seductores *appellantium, & magnis clamoribus conquerentium*, Eorum opera veluti obiectis molibus fieri, ne hæreticorum fluctibus tota Anglia, & Gallia restagnaret, futurumque, vt sublatis Iesuitis fieret non vnus Pastor, & ouile, sed vna hara, & suile. *Ita apud P. Vasconcellos in descript. Regni Lusitani, siue in sua Anacephaleos fol.* 504.

Quantū ab Hæreticis timeantur.

18. A LVGDVNENSI *Moderatore Conciliabuli Hæreticorum: in quo dum Minister quidam non satis tolerabiliter insolescit, nullum*

aptius

aptius reprimendo homini frænum ille censuit, quàm publicè proclamando: Ni quiesceret, sciri viam, quâ adducerentur Iesuitæ. *Ita in Annal. Soc. ann.* 1601. *fol.* 419.

19. A MASPVRGENSI *Doctore celebri Academiæ Maspurgensis in Epist. ad quemdam è Nostris Collegij Moguntini*, Exercitia (*inquit*) Vestra Scholastica ad summam fidem, & diligentiam, summam etiam apud hostes merentur laudem: & si per sumptus saluaque existimatione mea liceret, nullibi quàm apud vos filios meos liberalibus studijs operam nauare vellem: sed isto beneficio mihi frui non licet, qui vix etiam absque calumnijs cum viris doctis per litteras colloqui possum. *Ita Ibid. fol.* 579.

Ob Summam in literis, diligentiam summam apud hostes merentur laudem.

20. A RHENANIS *Vallium Montis-vogesi de Societatis hominibus sic affirmantibus*; Si talis semper dicendi faciendique Magistros habuissent, se numquam non Catholicos fuisse futuros. *Ibid. fol.* 606.

Eorũ Magisterium hæreticorũ Magisterio præponitur.

21. AB HILDESIENSI *Prædicante ex Eadem Phenana Prouincia asserente*, Extra controuersiam esse maiores adolescentes in nostris, quàm in suis Scholis in literis progressus facturos: & si vlla vspiam viros doctos alat disciplina, vel Iesuitarum esse, vel nullam. *Ibid. fol.* 614.

Eorũ Scholæ laudantur ex iuuenum profectu.

22. A NEVMASENSI. *Ex Prouincia Lugdunensi: qui cum accusaretur à suis, quod cum Iesuitis familiarius ageret, crebroque ipsos ad Philosophicas concertationes inuitaret, respondit*; se Catholicum haud quidem esse, plus tamen apud se ponderis habere Iesuitæ cuiuslibet etiam vulgarem doctrinam, quam omnium Ministellorum pronunciata, qui ad proposita conticescerent, & nulla de re perite philosopharentur. *Ita in Annal. Soc. ann.* 1602. *fol.* 325.

Iesuitarum doctrina antelata Hæreticorũ doctrinæ.

23. A MARTINO LVTHERO *Eiusdem planè nominis cum notissimo illo Germaniæ Hæresiarcha, qui tanti à Prædicantibus fiebat, vt dicerent, per illum Lutheranismum iterum instaurandum, & tamen conuictus à Nostro est. Cumque nil possent sui ab eo extorquere, negant suppellectilem se restituturos, nisi chirographo testetur*

A quorum doctrina nequit reuocari Hæreticus.

se apud maledictos Iesuitas literis operam non daturum. Non equidem (*respondit adolescens*) apud maledictos Iesuitas in studio literarum incumbam, sed apud Benedictos, ac proinde haud inuitus tale chirographum ipsis relinquam. *Sic in Annal. Soc. ann.* 1603. *fol.*55.

Vbi ipsi sunt Lutheranismus subsistere non potest.

24. A PADERBONENSI *Consule Lutherano ex Phenana Prouincia palam in Senatu, foro, compitis de Nostrorum exilio agente, imo de nostra nece,* Iesuitæ (*dicebat ille*) dum vna secum commorarentur, Lutherum in Vrbe, & patria tota, quod portendebat, ægre sedem firmam, stabilemque habiturum. *In Annal. Soc. ann.* 1604. *fol.*644.

Publicæ contra illos Hæreticorum preces.

25. A MINISTRIS *Lutheranis, & Caluinistis ex eadem Prouincia publicas preces pro Concionibus indicentibus ad Nostrorum conatus euertendos.* Ne Papistica (*vt loquebantur*) Religio pristinæ vnquam dignitati redderetur. *Ibid. fol.*689.

Sunt viri honestissimi.

26. A TRANSYLVANO *Lutherano Primario, qui cum prohiberetur à Iudice Hæretico, ne Iesuitas hospitio reciperet,* Ergo ne (*inquit*) quod omnibus præstare possum, Societati præstare nequeam? Et solis viris hisce honestissimis hospitalitatis iura denegem? *Ita in Annal. Soc. ann.* 1606. *fol.* 552.

E quorum Scholis Hæreticorum filij ad fidem reducuntur.

27. A VALINIANO *Ex Poloniæ nobilioribus in publico conuentu*: Nullus (*inquit*) filiorum nostrorum è Scholis Patrum Societatis prodijt, qui Ecclesiæ Romanæ, relicta Parentum suorum fide, non sit aggregatus. Ego aliquot filios tradideram ad scholas illorum erudiendos; & omnes iam à mea fide diuersam fidem profitentur. *Sic in Annal. Soc. ann.* 1608. *fol.*716.

Quantum in illos Hæreticorum modium.

28. A TVRONENSI *Ex Hæreticorum præcipuis, quem cum rogaret Catholicus Sacerdos, cur in sua Bibliotheca imagines Luthers, Melantonis, aliquorumque Diuorum, quos vera veneratur Ecclesia, essent depictæ, sed B. Ignatij non sic, respondit*: Nunquam enimuero vllus hic depingetur Iesuita: ille præsertim qui cum suis discipulis noster est hostis capitalis: cum Monachis conuenit nobis, non perinde cum Iesuitis. *Ita in Annal. Soc. ann.* 1609. *fol.*427.

29. A

29. A BORCORENSI *Hæreticorum Coriphæo ex Prouincia Franciæ in foro Borcori publicè asserente:* Ex quo Iesuitæ eò venissent, se vt pestem, aut Diabolum aliquem fugitari, nec cuiusquam amplius salutationem mereri. *In Annal. Soc. ann.* 1610. *Eorum pestis Iesuitæ.*

30. A BRVGENSIBVS *In Belgio:* Cetera omnia (*dicebant*) se ferre posse, mores, literas, Scholas, sed adeo Pontifici Romano esse addictos Iesuitas, id vero vnum præcipuè intolerabile sibi videri: Iesuitisque omnibus è medio sublatis, haud factu difficile, ceteros omnes fidei Catholicæ propugnatores expugnare. *Ibid. fol.* 262. *Quibus ablatis, facile alij fidei propugnatores expugnarentur,*

31. AB HELVETIIS *Lutheranis è Saxonia, Geneua, & Zurichio vociferantibus*, Nullam esse Euangelio suo capitaliorem pestem, quàm Iesuitas: hos & sophismatibus adultos irretire, & pueros illecebris circumuenire, ac demum omnes sub Papæ dominatum trahere: & vbi illi sint, stare Lutheri disciplinam, Euangelium stare non posse. *Sic Par. 2. Hist. Soc. lib. 5. num.* 97. *Sunt Capitalior Euãgelij Lutherani pestis.*

32. A GANDAVENSI: *Et quidem Gandaui attributa Socijs domus Hæretici olim, & illis infensissimi hostis. Ædes, & hortum studiosè dum excolit, rogatur ab familiarium aliquo, eccui laboraret opere tanto?* Liberis, *inquit*; Ne Iesuitis quàm vereor, *alter subiunxit*: At Ego: *respondit Hæreticus*, iam nunc Ædes incendo, Hortum euerto, si id vel suspicer. *Et quidem miser paulo post carnificis manu perijt, funduſque omnis ille Socijs euênit. Sic in Synopsi Soc. lib. 5. cap. 8. fol.* 219. *Non minus vel ad Iesuitarum nomen pauent Hæretici: qui timor non modica Societatis laus est.* *Inde in illos extinguibile eorum odium.*

33. AB HIDELSIENSI *Prædicante Lutherano in Prouincia Rhenana: qui ab alio rogatus Prædicante libro aduersus Societatem mille impostoris pleno subscribere, respondit*: Scio omnium eorum criminationum, quibus tu tuum illud librarium refersisti expertes esse, eas si sustuleris haud grauatè subscribam. Tu vero vide quid suscipias, neque enim tua doctrina, neque scribendi facultas tanta est, vt possit vlla ex parte cum Iesuitarum *Quantum Iesuitarum doctrina Hæreticorũ doctrina præstet.*

doctrina comparari, esque multò imbecillior, quàm vt possis tantum certamen cum tam potentibus aduersarijs sustinere: vnum lacesseris, mille contra te armaueris, qui te voluminibus obruent suis: neque immeritò in concione maledictis in illos abstineo. *Ita ille in Annal. Soc. ann. 1596. fol. 308.*

Eorum eiectio soluendæ obsidionis conditio.

34. AB ANGLICANIS, *qui obsidionem Anglicanam acriter perurgentes ad cetera hostilia; etiam illud addiderunt*: Nullam esse aliam deditionis conditionem, nisi Iesuitis deditis. *Idque iterum ac tertio præconis voce pronunciare iusserunt; vt vel hinc appareat, quàm inuisum sit Religionis hostibus Societatis nomen. Ita in Annal. Soc. ann. 1596. fol. 492.*

Ij aut necandi, aut calumnijs opprimendi.

35. A CALVINISTIS, *qui inter sua dogmata ad suam Sectam propagandam, sequens enumerant: estque in Ordine 15.* Iesuitæ, qui se maximè nobis opponunt, aut necandi, aut si id commode fieri non potest, mendacijs, & calumnijs opprimendi. *Hæc illi dogmate 15. apud Becan. Tom. 1. opuscul. Theologic.*

Sedem Pontificiam fulciunt, ac sustentant.

36. A LVTHERANIS *Doctoribus, qui in Schola sua picturam monstrabant Pontificis è sede sua ruentis, quem cum alij quidem, tum vero Iesuitæ tibicinibus seu sustentaculis nescio quibus fulcirent: quam cum illam ostendissent Catholico cuiquam, ille pro hac Diabolum Luthero arridentem, & congratulantem monstrauit. Sic apud Serarium in calce opuscul. de Luthero Magistro ad lectorem.*

Moribus sunt integerrimi.

37. A GALLICANIS *Ministris Hæreticorum à quibus cum quæsitum fuisset de vita Iesuitarum, respondisse fertur*, De moribus Iesuitarum nihil esse, quod obloqui quisquam posset. *Sic Tom. 3. opuscul. P. Becani quæst. Batauic. num. 13. & in Apolog. Henrici IV. pro Societ.*

Varia de illis encomia.

38. A FEDERICO BALDVINO *appellante* Iesuitas subtilissimæ subtilitatis homines, Papicolas, Romanos asellos: Fulcra Cathedræ Pontificiæ, Lutheri, ac Lutheranorum Flagella vocalia. Cuius (*ideſt Societatis*) Dux, & Coriphæus Ignatius Loyola prima Germaniæ labes, atque fax Sacra.

Ita

Ita apud Serar. Tom. 3. Opuscul. de Lutheri Magistro lib. 2. cap. 11.

39. A CONRADO GRATSERO *Insigni Hæresiarcha:* Iesuitæ (*inquit*) subtilitate, & acumine plus alijs valent: & sunt quasi extraordinarij, & Priuilegiati Papæ defensores. *Sic apud P. Becan. Tom. 3. Opuscul. Theolog. in examine Plagæ Regum cap. 4. num. 41.*

Extraordinarij Papæ defensores.

40. AB AVGVSTANO, *Qui inter varias sectas adscripsit,* Canissianos, *siue* Iesuitas: *Hosque* (*aiebat*) inuento quorumdam Cardinalium editos ad excitandum Regnum Papisticum, alioqui iam penè collapsum. *Sic Par. 2. Hist. Societ. lib. 1. n. 108.*

Editi ad excitandũ Regnum Papisticum.

41. A VALLIS TELLINÆ *Hæreticis Nostrorum expulsionem inde statuentibus sequenti decreto*: Iesuitæ ex vniuersa Grisonum ditione, vt qui hostes Euangelij nostri sint, quàm primum pedem efferant. *Ibid. lib. 5. n. 103. Et lib. 7. n. 54. Alios video Hæreticos palam profitentes* Pati non posse Euangelij sui cursum Iesuitarum obiectu retardari.

Hæretici Euangelij pestis.

42. A IACOBO *Britaniæ Rege Hæretico Schismatico, qui Societatis Alumnos dicebat esse* Ranunculas pro Pontifice coaxantes. *Probrum satis nobis perhonorificum. Ita apud Suar. Tom. de defensione fidei lib. 5. cap. 20. n. 7.*

Ranunculæ pro Pontifice coaxantes. Apoc. 16. 13.

43. A DORDRACENO *Consule Siluaducensi, qui postquam interfuit Nostrorum Catechismo palam professus est,* Societatem docendæ iuuentuti natam esse, & per solas Patriæ leges stare, quo minus suos ipse liberos in disciplinam nostram traderet. *Ita apud Imag. 1. sæc. Soc. lib. 6. fol. 770.*

Societas docendæ iuuentuti nata.

44. A LVCÂ GORÇÂ *Palatino, qui homo erat extra hæresim minime malus: hic dum Hæreticum Ministrum adhortatur ad vitam componendam, quo posset non industria solum, verum etiam auctoritate sustinere Iesuitarum impetus: ac leuiter increpat, ipsorum iubens imitari Iesuitarum exemplum, asserens,* illos Angelicam vitam in terris ducere. *Sic Par. 3. Hist. Soc. lib. 7. n. 48.*

Socij Angelicam vitam in terris ducunt.

45. A

In ijs, & Bellarmino est Papismi medulla.

45. A WITACKERO *Insigni Hæretico Anglicano in Epist. Dedicatoria ad librum de Verbo Dei, inter plura, & magna Bellarmini nostri, Ecclesiæque Cardinalis, encomia concludit:* Nunc edito Bellarmino, melius, & certius cognoscimus, quid illi in quacumque causa teneant, quibus potissimum argumentis nitantur: & quæ sit ipsa quodammodo Papismi medulla, quæ non magis in Papa ipso, quam in Iesuitis inesse creditur. *Ita apud P. Ramirez in vita Bellarmini. lib. 2. cap. 3. fin.*

Sunt Papæ Mancipia, & Venaticæ Canes.

46. AB ALIJS *Hæreticis, Qui Societatis filios, iam* Papæ Mancipia, *iam* Canes venaticos *passim proclamant, in summum nostrum decus, & gloriam illud refertur apud Fr. Christoph. Auendaño Carmel. in ser. de Beatif. SS. Ignat. & Xauer. discurs. 3. fol. mihi 85. Istud in lectione Sacra pro anno sæculari Societ. typis edita Hispal. ann. 1640. fol. 11. Et Tom. 2. vir. Illust. Societ. in vit. P. Canisij §. 4.*

Cum illis nec ipsi Caluino disputandum.

47. A CALVINISTA *Quodam in Consistorio suo Caluinistico asseueranter affirmante,* Ne Caluino quidem ab inferis excitato disputandi cum Iesuitis facultatem esse concedendam. *Ita in Annal. Soc. ann. 1601. fol. 453.*

Ij ex virtutibus commendantur.

48. A GASPARE SCIOPPIO *Sub ouina pelle lupo, ac occulto Hæretico, cuius hæreses P. Albertus ab Albertis recensét in Tomo illo suo, cuius est Titulus, Generales vinditiæ aduersus famosos Gasparis Scioppij libellos. Is in Iesuitarum virtutes falcem mittens sic ait:* Talis etiam in eis est charitas, qui omnia sua relinquunt, & sequuntur Christum, siue paupertatem, & obedientiam alicui alteri, vel Christi Vicario vouent: & non modo bonorum externorum dominium seu proprietatem, neque modo corporis sui potestatem in perpetuum eiurant, sed etiam voluntatem suam, & quod omnium est potentissimum, mentem, & intelligentiam, Præposito seu superiori suo subiiciunt, ita vt nihil quicquam velint, nisi quod Præpositus iusserit, neque nisi quod eidem visum fuerit, verum esse censeant. Prorsus denique propter Christum se ipsos abnegant, & corpus, animumque in captiuitatem, & seruitutem alterius redigunt in obse-

Præcipue ex obedientia Pontifici, & Generali.

obsequium Christi, &c. *Et subdit*, Societatem esse adeo deuotam, & operosam in obediendo, vt merito pro Digito Dei, siue pro opere omnipotentiæ diuinæ, & miraculo habeatur. *Ita ille in sua Thaumatologia pag.* 47. *apud Albert. cit. cap.* 14. §. 7. *num.* 98. *Et in sua Ecclesiast. pag.* 551. *addit:* Haud vidi magis obedientes, quam Iesuitas: cum obedientia sit illud, quo plerique Societatis eius Institutum, præ ceteris Religiosorum, & Monachorum Sodalitatibus alioquin adamantes, ab eius ingressu abstinere solent: eamque rem lippi, & tonsores norunt: neque ipse Rex Angliæ nescit, si quis Iesuita, siue à Pontifice, siue à Præposito suo in Angliam proficisci iubeatur, eum ex voto, quo se parendum obstrinxit, ac veluti Sacramento dicto auctorauit, confestim illuc ad paratam sibi necem mortemque perspicuam abiturum. *Sic apud cit. Albert. supra num.* 90. *Et in suo Scaligero Hypobolimæo pag.* 247. Hoc certe (*inquit*) toto illo tempore, quo Catholicis sum aggregatus, in Patribus Societatis illius animaduerti, quod quo quisque doctior, & vsu rerum instructior, eo sit melior, & humanior. *Sic ap. cit. Alber. num.* 100.

In qua pro Digito Dei, & opere Omnipotentiæ diuinæ habentur.

Quo quis eorum doctior, eo melior & humanior.

Celebratur etiam ab Eodem Scioppio Institutum Societatis in suo Libro Amphotidum Scippianarum in editione Parisiensi ann. 1611. *pag.* 129. *his verbis;* Vniuersæ Societatis IESV Institutum ab ipso Deo Auctore profectum, totique Reipublicæ Christianæ, non modo summopere vtile, sed omnino etiam necessarium esse credit, *&c. Et in suo Arcanorum Dadalo pag.* 204. & 205. *subdit idem Scioppius.* Si quisquam est, qui Societatem IESV à Diuo Ignigo, siue Ignatio Loyola conditam, & constitutam, & Apostolicæ Sedis auctoritate confirmatam, ingentes Ecclesiæ Dei, omnique generi humano vtilitates attulisse, eaque re optimi ac maximi cuiuscumque beneuolentia, fauore, & auxilio dignissimam censet. In his Ego nomen profiteor meum. *Sic apud cit. Alber. num.* 101. *Nec sunt inferioris Ordinis elogia, quæ idem Scioppius prædicat de Societate in suo Syntagmate pag.* 18. & 19. Vidi (*inquit*) Dilingæ magnum Mona-

Societatis Institutũ à Deo Auctore profectũ.

Reip. non solum vtile, sed necessarium.

Ingentes Ecclesiæ Dei, omnique generi humano vtiles affert fructus.

Ideo ab omnibus beneuolentia, fauore, & auxilio dignißima Societas.

Excitata diuinitus ad tutandã Catholicæ fidei veritatem.

chorum numerum ex varijs Sueciæ Monasterijs ad Academiam illam missorum, qui auspicijs, atque ductu Societatis IESV, ad tutandam Catholicæ fidei veritatem, & Religionum instaurationem diuinitus exercitæ humanioribus literis, & Philosophiæ, ac Theologiæ strenuè operantur: quos vbi confecto studiorum curriculo, Antistites sui reuocauerint, alios in eorum locum submittent, quibus similiter alij Deo iuuante deinceps succedent, vt vsque in hortos Dei, siue Magisteria, ligna felicia & fructifera transferantur, quæ dent fructum in tempore suo Ps. 1. quæ per singulos menses afferant primitiua, quorumque fructus sint in cibum, & folia ad medicinam Ezech. 37. *Et in Epist. quam Augustæ Vindelicorum* 11. *Idus Julij ann.* 1630. *ad Illustriss. Mottmannum Romæ Rotæ tunc Auditorem, totaque Germania notum scripsit, hoc de nobis celebre testimonium dedit.* Negare tamen (*inquit*) nec velim, nec audeam ipsis (*scilicet Iesuitis*) post Deum hanc deberi gratiam, quod Catholica Religio ex Vniuersa Germania exulatum non iuerit. *Hactenus Scioppius Hæreticus licet apud P. Alber. supra pag. 475. num. 102.*

Et Religionum instaurationem.

Iesuitis debet Cathol. Religio quod ex tota Germania non exulauerit.

49. A CASSIODORO REINIO *In descriptione Regni Congi, & Africani, quam olim fecerat Philippus Piga Fecta in 2. Par. Indiæ Orientalis cap. 28. pag. mihi 68. qui loquens de Iaponum conuersione*; Multi (*inquit*) post aduentum Iesuitarum baptizati, & ad Christianorum Religionem animos applicuerunt: & in dies plures ad eam accedunt: quin tres Reges ex ipsis baptizati sunt videlicet Rex de Bungo, qui inter reliquos summus est, per totam Iaponiam, *&c.* Baptizatus est Rex Arima, atque Rex de Omura. Tres modo dicti Reges filios suos, & consanguineos cum Iesuitis in Indiam mittebant, vt in Portugalliam nauigarent, & tandem Romam vsque deuenirent, vbi se sub Pontificis potestatem traderent, obedientiamque sponderent, *&c.* Quæ quidem omnia facta sunt à Iesuitis, vt eo plures ad Christianam fidem conuerterent, vti dictitabant illi, vtque apud Iaponenses auctoritatem habe-

Et quod Iapones & Iaponiæ Reges baptizati sint.

Romanoq; Pontifici obedientiam sponderent.

haberent, atque fidem in prædicanda Europæ magnificentia, aliter enim ægrè persuadendi Iaponij, &c. *Hæc Cassiodorus. Qui cum plures de eisdem Iesuitis calumnias spargeret, quas hæreticale suppeditabat odium, non potuit eorum apud Iaponiæ incolas opinionem summam reticere, dum dicit*: Quantum ad fidem accessit, obtinent Magistratum non in Ecclesiasticos tantum, sed etiam in politicos: persuadent enim Iapones sibi quæ volunt, vnde pro Dijs fermè coluntur, tantamque apud Iapones habent auctoritatem, vt parum absit, quin adorentur pro sanctis. *Hactenus de Iesuitis homo Hæreticus.*

Socij apud Iapones pro Dijs fermè coluntur.

Ac pro Sanctis adorantur.

50. A LVTHERANIS: *Fuldæ in Germania anno Christi* 1585. *fuit Sacerdos magni nominis Concionator, ad quem tota fermè Ciuitas confluebat; quod & spem faceret Communionis Dominicæ sub vtraque specie restituendæ (eam enim sub initium Collegij nostri sustulerat Teuthonici Ordinis Magister, & Abbas probitate præstans fundator noster) & familiam nostram insectaretur; vt tantum non ad hæresim vergere eius mens, & Oratio videretur. Hic dum de Sacrilegis nuptijs, magnorum virorum patrocinio nixus, non minus libere, quam impudenter agit, repente æquissimo Dei iudicio, mortifero correptus est morbo. Nostri vt suas iniurias benefactis remunerarentur, ægro corpori, animoque succurrendum putarunt; hortantur vt se ipse respiciat, & meditatum facinus detestetur: Quod ille & fecit, & qui tandem sinceri amici numerarentur, agnouit. Agenti quoque animam præsto fuerunt, funus curarunt, oratione funebri mortuum, vt solet, ornarunt, vt admirari se vehementer dicerent Lutherani,* Quod Iesuitæ & viuis nossent inimicis benefacere, & vita extinctis. *Ita apud P. Anton. Dauroultium in Flor. exemplor. siue in Catechismo suo Historiali cap. 7. Tract. 92. n. 8.*

Eorum charitas erga aduersarios Lutheranis admirationi.

51. A MORAVIÆ PRÆSIDE: *Cui, cum lege municipali præciperetur, belli tempore, omnes etiam Dynastas, & ipsum Olomusiensem Episcopum ad Prouinciæ fines hostili excursione prohibendos proficisci, placuit tamen homini licet Hæretico, hoc onere P. Rectorem Brunensem liberare. Adiecit etiam verborum honorem*: Non esse apud Iesuitas cessationi locum; (*de Scholis loquebatur ille*) ne-

Honorificum de Societatis Scholis testimonium.

que esse dubitandum, quin quotidie tum suorum alumnorum, tum discipulorum cuneos in preces propitiando Deo missuri sint, his enim armis certius à finibus pericula auerti, quam ferro, & militibus : proinde non esse à tam pio opere abducendos, neque Prouinciam tam firmo præsidio spoliandam. *Hactenus ille in Annal. Soc. ann. 1596. fol. mihi 90.*

Alterum.

AB ANNONYMIS HÆRETICIS, *Qui licet æmuli Societatis, de eius eruditione, & doctrina ita detrahunt, vt tamen fateantur, quorsum enim quorundam accusationes vergunt, qui aiunt*, fore, vt si Societas in suo territorio pedem figat, aut publicè docere permittatur, corona discipulorum, quæ gloria est Magistri, ad Societatem deflectat. *Ita apud P. Adamum Contzen Polit. lib. 4. cap. 6. §. 14.*

ELO-

ELOGIA SOCIETATIS IESV.

PARS TERTIA,

SIVE

CÆLESTIS, ET INFERA,

IN

QVINQVE CLASSES

DIVISA.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ELOGIA SOCIETATIS IESV.

PArùm erat, fateor, humanæ ſapientiæ verbis Societatem commendari, niſi diuinis etiam extolleretur laudibus: parum ab hominibus honorari, niſi ab ipſo Chriſto Domino, Deipara, Angelis, Cælitibus (imò vel ipſo Dæmone) honoraretur. Ideo in hac Tertia Parte, ad teſtimonia humana, in duabus præcedentibus relata (quæ Terreſtria vocari poſſunt) accedent alia Superioris Ordinis, vt ſicut in Nomine IESV omne genu flectitur, Cæleſtium, Terreſtrium, & Infernorum, *ſic etiam in extollenda Minima eius Societate, Cæleſtium, & Infernorum non deſiderentur. Igitur vt bonis auſpicibus hanc Partem abſoluam, exordior.*

A CÆ-

A CÆLESTIBVS

CLASSIS I.

A CHRISTO DOMINO.

1. IBat Romam Ignatius cum Socijs omnino duobus: hisce non nihil interquiescentibus ab eundi contentione, ipse in ædiculam sacram haud procul à via tantisper interea precaturus abcessit. Hic vbi vehementius incaluerat orando, de more raptus à se (imò sibi præsens, & Deo) vidit, quin & audiuit, hinc Deum Patrem suo se, & illi quidem adstanti cum sua Cruce Filio commendantem; inde ipsum Dei Filium spondentem sibi omne præsidium, additis, expressisque verbis hisce suauissimis: Ego vobis Romæ propitius ero. *Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 1. fol. 585.*

Pater Æternus Ignatium Filio suo commendat.

Filius Ignatio & Socijs se propitium pollicetur.

Ab Eodem. *Qui sanctissimæ cuidam fœminæ admirandæ Virginis Theresiæ imitatrici, post communionem ita locutus est.* O Filia, quantum mihi places cum communicas. Considera nullum aliud leuamentum ex hominibus mihi esse nisi istud. Idcirco mansi in Eucharistia, in qua sunt Paradisi meæ. Hic habeo clausas delicias meas, hic habeo flores animarum, quæ cum amore me suscipiunt. Deplora pro me obliuionem hominum. Nam cum mansissem in pane, vt me recipiant, vix est qui velit. Quidam recedunt per timorem, alij per amorem rerum terrenarum; & denique omnes excusantur, & manet irritum beneficium meum propter defectum suscipientium illud, vt vix inueniam qui me velit admittere. Et ideo illum, qui me recipit habeo hic in corde meo, ne recedat à me. Hei, quia non reperio, qui leuet, & recreet amorem meum. Si aliqui sunt, sunt Religiosi Societatis. Hi sunt qui

Quantum sunt illi grati ob Eucharistiæ administrationem.

qui liberaliter dispensant, & administrant Sacramenta: Hi sunt qui festum Dei agunt mihi, & recreant amorem Cordis mei. Ac tanta est malitia mundi, & virtus est adeo humiliata, vt quoniam me delectant, persequantur illos omnes. Verum parum hoc refert, quia illos habeo custoditos in Diuinitate mea. *Hæc Christus Dominus in summum Societatis encomium, apud Eusebium in Doctrin. Ascetic lib.1.doct.6.cap.60. Nec tamen propterea negatur, quin aliæ Religiones Sacratissimæ etiam summopere placeant Deo, & compensent sanctis suis exercitijs obliuionem sæcularium, & cor diuinum delectent, & plurimum recreent.*

Illos habet Christus in Diuinitate sua custoditos.

Cuius Oculi pupilla Societas est.

Eius Institutum ab Æterno Patre prodyt.

Ab Eodem, *Mulierem quamdam aduersus Societatem obstinatissimam his vocibus increpante*: Qui tangit Societatem, Pupillam oculi mei tangit: nam à Patre meo huiusmodi prodiit Institutum. *Sic in Annal. Soc. ann. 1612 fol. 366. Quamuis hæc, & similia elogia commemorare erubesco, tamen ad nostrum solamen, & ad inimicorum impetus refrænandos, non omitto.*

Ab Eodem: *Quem sub Infantili* Iesv *forma vidit cum Deipara aliquando quædam Virgo ex Regno Neapolitano: vidit & longam simul supplicantium seriem Ordinum omnium, & ætatum; antesignanus cum eleganti vexillo è Nostris erat, cui sydus in fronte ipso sole lucidius micabat: multi præterea de Societate in illa multitudine permixti incedebant, agmen velut instruentes, qui ex sydere, quod fixum frontibus erat, facilè dignosci poterant. Virgo quid id spectaculi vellet, Christum interrogat: Is,* Beatorum esse, *respondit,* manum, vnaque ad cælestes illas domos contendere: viros autem illos astris notatos, palliisque vestibus gradientes Iesvitas esse, quorum labore, & industria totali ad cælum deducantur, eaque propter primipilorum, ductorumque in eo Ordine Officio fungi. *Hæc Christus Dominus, & quidem nunquam antea Nostros viderat hæc Virgo: sed vbi primum deinde ad ædem nostram vnum offendit, ad Comitem conuersa,* En, *inquit,* agnosco habitum, Societatis est. *Ita in Annal. Soc. ann. 1610. fol. 44.*

Socij frontibus sydere ornatis aliorum primipili ad cælum ascendunt.

Ab

Multi à Christo Domino vocantur ad Societatem.

AB EODEM: *Cuius multiplicis erga Societatem nostram fauoris hoc quoque argumentum clarissimum est, quod aliquos modis extraordinarijs ad eam miraculosè vocare dignatus sit. Sic vocauit Adalbertum Bausech, qui cum anno* 1556. *in Templo Collegij Pragensis preces ad Deum funderet,* IESVS *pueri venustissimi specie in sacrosancta Hostia ei apparuit, rogantique quid ab se vellet Dominus:* Volo (*Puer respondit*) vt ibi sis, vbi es. *Quæ Adalbertus de ingredienda Societate interpretatus, receptusque diuinum visum non statim, sed paulo post consolaturus propinquos qui negotium ei facessebant aperuit, vitamque in Societate vocationi diuinæ consentaneam, vsque ad extremum peregit. Ita apud Imag.* 1. *sæc. Soc. lib.* 2. *cap.* 9. *fol.* 234.

Vt Adalbertus Pragæ.

Sic vocauit Didacum Sanchez Hispanum, ad quem potissimum Ordinem animum adijceret, fluctuantem: ei suadebat Gregor. XIII. vt Societati nomen daret: & dum certius diuinæ vocationis indicium desiderat, ad S. Petri Templum Romæ se confert, sternit se ad aram, coram Sanctissimo Sacramento, & Deum orat, ne se sinat incertum hærere: res mira. Allapsa è Tabernaculo vox: Ingredere, *ait,* Societatem IESV: *quam lætus excipiens, non amplius, aut suadentem Christi Vicarium, aut Christum vocantem cunctatus est sequi. Ibidem fol.* 235.

Didacus Sanchez Romæ.

Sic vocauit Augustinum Mendiolensem, qui cum plures annos acribus ad ineundam Societatem stimulis impulsus non pareret, in morbum incidit, oculisque in Saluatoris pendentis effigiem conuersis, & veniam rogans culpæ, & morbo leuamen: clara voce clementissimus Dominus (increpata prius tergiuersatione, & negligentia erga Societatem) si tandem obtemperare vellet, præsto fore auxilium spondet. *Obtemperauit: nec multo plus secuta mors, stadium religiosæ vitæ vix ingressum ad metam in Societate perduxit. Ita Ibidem.*

August. Mendiolensis.

Sic vocauit Guilielmum Bruslæum Anglum, qui cum in hortis quibusdam inambulans, de vitæ, quam instituere deberet genere cogitaret, manifestam Saluatoris speciem vidit, cuius & aspectu, & tacito hortatu ad humana linquenda impulsus, facile induxit in animum, vt illi

Guilielm. Bruslæus.

potissimum Cœtui se aggregaret, qui illius, quem viderat, & vitam sectaretur, & nomen gereret. Ibidem vt supra.

Anonym. Melchinensis.

Sic vocauit ancipitem quemdam ante Melchinensis Nouitiatus ingressum, quem diuturna vexabat hæsitatio, nostrum ne, an aliud amplecteretur Institutum: cum Natali nimirum B. P. Nostri Ignatij die, dum ei Sacerdos in æde Societatis sacram Hostiam porrigit, audit has clarè missas ad se voces Imperatoris IESV, eum in suam Militiam adscribentis: Horum Castra sequere: & statim secutus est. Sic in Annal. Soc. ann. 1612. fol. 385.

Aduocatus.

Sic vocauit Quemdam Aduocatum, qui cum diu penderet animi, quodnam vitæ genus tutissimum institueret, venit in mentem, si Christianæ legis præcepta rudibus, pueriscque traderet, fore, vt ipse quoque Dei docentis vocem exaudiret: nec spes eum fefellit: nam cum ad sumendum Christi corpus accederet, diuinitus est admonitus, Dei mentem, & voluntatem hanc esse, vt sese illi in Societate dicaret, quod non ita multo post fecit. Ita apud Lancicium Opuscul. Spir. Opusc. 17. num. 170.

Antonius Sardus Medicus.

Sic vocauit P. Antonium Sardum Medicinæ Doctorem, qui audiuit ab Eodem Christo Domino: Veni post me, faciam te fieri Medicum animarum? quam vocem ita generosè amplexus est, vt non modo se, suaque, animum, corpus, seruos, fortunas omnes, sed vniuersam prope familiam Domino deuouerit: filiam & vxorem adduxit, vt amplecterentur Monasterium Sacrarum mulierum suo magno ære, maiore labore exædificatum, ipse raro exemplo Societatem nostram ingressus, præmissis tribus liberis, adolescentibus tantæ indolis, quantam illorum præclarus exitus confirmauit. Obijt Panormi anno 1592. dilectus Deo, & hominibus. Ita apud citatum Lancicium, Ibidem.

Brunensis adolescens.

Sic vocauit ann. 1596. Brunæ adolescentem pietati valde deditum, sed à Societatis Instituto alienum, qui dum ipso Natiuitatis Christi pernigilio diuinum illud mysterium secum ipse meditatur, puerumque Deum in corde suo nasci attenta cogitatione postulat, repente interiore quodam monitu intelligit se ab ipso, quem tacitus Puerum vene-

venerabatur, & ad religiosam vitam, & ad Societatem nostram præcipuè vocari: Ita futurum, vt Deus Infans intra ipsius animum nasceretur, si eum sensum, quem demitti sibi cælitus sentiret, mens conciperet. Ibid. n. 170.

Sic ann. 1591. *Manillæ in Occidentalis Indiæ Prouincia Mexicana indicauit duobus viris esse sibi curæ studium Societatis: vterque enim admonitus somno est*, Vt salutem animæ quæreret eâ medicinâ, quæ à Nostris præscripta esset: *eorum alter sic vehementer incitatus est, vt donec coaptaretur in cœtum nostrum, nunquam fecerit Orandi finem. Verum fuisse visum rebus affirmauit. Sic Ibidem ex varijs Annal Soc.* *Alij duo Philippinenses.*

* *Sic tandem vocauit Doctorem Ioannem Fernandez iter suæ saluationis securius efflagitantem, cui Cælestis vox (ab ore Christi Domini, vt creditur, prolata) interius respondit*: Perge in Principem Ecclesiam, ibique *tibi meam manifestabo voluntatem: perrexit: statimque ad Ecclesiæ limina audit illa Euangelij verba*: Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea: *illicoque audiuit, alteram Domini vocem*, illam optimam partem esse Societatem IESV. *Quid hoc Cælesti præconio Societati gloriosius à Christo Domino potuit efformari? Ita Tom. 3. viror. Illust. Soc. fol.* 10. *Et Ioannes Fernandez.* *Optima Pars Ecclesiæ Societas est.*

AB EODEM: *Cum Cordubæ in Hispania degeret Carmeli splendor B. Teresia, esset que à sanctissimi Sacramenti Communione in cælum & in Deum mente suspensa, vidit è purgantibus flammis exilire animas, quæ magno numero, & gratulatione festiua ferebantur in cælum, quarum agmen ducebat vna formosior, & hanc etiam vnam præ omnibus* IESVS *Christus inter Angelicarum mentium Ordines factus obuiam suo dignabatur amplexu in signum beneuolentiæ singularis. Hærebat Virgo Teresia hinc suauissimo recreata spectaculo, inde non satis intellecto prodigio consternata, ausa tamen est animam de posterioribus vnam interpellare, & petere quæ nam ipsæ forent, at præsertim quæ ipsarum dux illa tam accepta Deo. Cui ipsa breuiter respondit*: Dux noster est è Societate IESV frater vnus (*Obierat eo ipso tempore Cordubensis Ecclesiæ nostræ ædituus Coadiu-* Luc. 10. 42. *Singulare priuilegiū in Societate morientiū.*

tor, pietatis sectator egregius) Nos duci gratulamur, cuius virtuti, ac precibus debemus, quod hodie liberemur. De omnipotentis aduentu nil mirum, nil nouum, scilicet hoc est hominum Societatis IESV priuilegium, vt mortuum IESVITAM obuius IESVS excipiat. *Hæc Anima illa incomparabili Virgini Theresiæ, vt constat ex Imag. 1. sæc. Soc. lib. 5. cap. 8. fol. 648. Dulcissimum sane amantissimi Parentis Christi Domini in charissimos sibi filios beneuolentiæ signum, obuiam ire in cælestia palatia euntibus* IESVITIS, *vt quem ducem in hac vita secuti sunt, eumdem experiantur post mortem.*

Quanto illa auxilio Ecclesiæ futura sit?

AB EODEM: *Cum Eadem Sanctissima vidisset Theresia instructissimorum in bella militum exercitum candida, in argumentum victoriæ, signa portantium (expressa hoc ostento Societas* IESV) *& cum hæreret hinc stupore defixa Theresia, inde magnis lætitijs incederet ex vehementi, quo in charissimum sibi istum Ordinem ferebatur affectu, ita exaggerantem apud se sua ostenta audijt aliquando Dominum* IESVM, *cum diceret*: Quin si scires tu, quanto olim auxilio futuri sint illi Ecclesiæ sanctæ? *Plus suspensa hac & breui, quam perfecta quauis oratione significans. Ita ibid. lib. 5. cap. 11. fol. 676.*

Visio singularis de Ignatio, & Societate.

AB EODEM: *Cuius erga Societatem suam fauorem agnouit diuinitus, nobilissima & magnæ sanctitatis laude celebris Virgo Neapolitana Ioanna ab Alexandro. Hæc dum in Templo veteri nostro Neapolitani Collegij, eiusque sacello Christo Crucifixo dicato oraret, vidit totum sacellum repente illustratum, & super eius Altare Thronum aureum, cui insidebat Christus Dominus circumdatus à quatuor Angelis: quo viso cum oculos clausisset, nihilominus tamen, hæc omnia mente videbat. Cumque se Beatissimæ Virgini & Angelo Custodi commendasset, vidit Beatissimam Virginem miro splendore radiantem, veste candidissima, auro variegata indutam, pallio coloris cærulei adamantibus pleno amictam, & prope Deiparam videbat B. Ignatium (tunc nondum in Beatorum Catalogum relatum) facie splendidissima micantem, veste candida, rubinis maximis, & perfectissimis distincta, & omni ex parte opere phrygio elaborata*

rata indutum, præcinctum cingulo coccineo adamantibus magni pretij pleno, & in medio habente ingentem Saphirum, mira sua pulchritudine recreantem, accedentem ad Christum Dominum, & prouolutum ad genua ei totam Societatem offerentem, facto initio ab eius Præposito Generali, qui tunc erat P. Claudius Aquauiua. Quorum singulos cum Christus Dominus vultu valde læto recepisset, & vulnus lateris apertũ singulis monstrasset, sic Ioannam pro Societate supplicantem colloqui dignatus est: Scias filia mea, mihi esse summè gratum hoc quod à me petis: & desidero, vt quæuis persona amet illos, & ab illis spiritualia quærat auxilia, quia mea Societas est, quam semper teneo intra Cor meum, & ferre non possum, vt in ea sit notabilibus defectibus laborans, ideo volo tales subito à mea Societate dimitti, quod pro eorum, qui in ea perseuerant bono, permitto. Scias quoque filia, me velle hanc Societatem meam sic appellari, quandiu Mundus durabit; & volo mea vt imitetur vestigia, & vt potissimum cæca Obedientia in ea vigeat. *Deinde conuersus ad suam benedictam Matrem donabat ei tanquam eius Filios omnes illos è Societate, eorum vt peculiarem curam haberet. Ita refertur apud P. Nicolaum Lancicium Tom 2. Opuscul. 17. n. 168.*

Singularissimus in Eam Christi Domini fauor.

* Ab Eodem: *Erat Minoretæ Crucifixi imago marmorea, ante quam sæpius viuens orabat Ignatius Parens sanctissimus; cum ecce in eiusdem peruigilio idem Dominus sudare cœpit: & postea sequenti die dum Missæ Sacrificium celebrabatur, sudore sanguineo suffunditur. Qui casus vt miraculosus comprobatus, & celebratus est: & quidem in signum (vt piè ab omnibus credebatur) persecutionum ac laborum, quos tunc temporis Societas patiebatur: In quo Dux eius* Iesvs *ostendebat amorem tenerum, quo erga Societatis filios afficiebatur: siquidem eorum labores, & ærumnas vel sanguineis guttis toto corpore deplorabat. Ita in Vita S. Ignatij per P. Eusebium quæ habetur in par. 3. Tom. 2. Flor. Sanctor. P. Ribaden. Matrit. typis edit. ann. 1651. fol. mihi 633.*

Cuius imago marmorea sudore sanguineo Societatis labores toto corpore deplorat.

CLASSIS II.

A DEIPARA.

Deipara Societatis nutrix, & fautrix.

2. *CIus erga Societatem patrocinium multiplex enituit. In primis dum Ignatium ad Societatem* IESV *fundandam aptauit, ei sua presentia nauseam rerum terrenarum adferendo, eum sanctioris vitæ ineundæ desideriis inflammando, Castitatisque cingulo præcingendo, augustissima enim specie ac beatissimo lumine fulgens vna cum paruulo* IESV, *non modo palam sese ei ostendit, verum etiam incredibili benignitate spectandam diu præbuit, tantumque repente odium, fastidiumque rerum terrenarum Ignatio ingessit, earum præsertim quæ cum inhonesta voluptate coniunctæ sunt, vt omnes rerum illarum imagines, ex hominis memoria confestim aspectus ille Deiparæ ac puerili* IESV *deterserit, & ex eo tempore ad extremum vsque vitæ diem Ignatius plane omni sensu libidinis caruerit, donumque altissimum eximiæ castitatis consecutus sit. Sic apud Lancicium Opuscul. spiritual. Tom. 2. opuscul. 17. num. 175. Et ita ad Societatim fundandam Ignatius aptatus à* DEIPARA.

In Ignatij conuersione.

Et in Exercitiorum Libello.

AB EADEM : *Quæ cum idem S. Ignatius ad meliorem vitam conuersus esset, eum nondum literis excultum, docuit illum Orandi, & vitam spiritualem instituendi modum, ac discretionem spirituum, qui est ab eo in libello illo aureo Exercitiorum expressus, quo & se, & primos socios ad hanc Societatem instituendam excoluit, & in cuius meditatione primo post suam conuersionem anno, ideam Societatis à se fundandæ diuinitus cognouit,* & eius Libelli se esse fundatricem, & Magistram *Deipara per Gabrielem Archangelum missum cuidam sanctissimæ Virgini, reuelauit; atque vt illa eius legationi fidem indubiam adhiberet, Deus antea illam præmonuit. Ita Ibid. n. 175.*

Cuius se fundatricem, & Magistram fatetur.

AB

AB EADEM : *Cum S. Ignatius socijs nouem auctus, eorum rogatu, Constitutiones Societatis scriberet, præter frequentissimas visiones Diuinarum Personarum, quas in confirmationem earum, quas scribebat Constitutionum pene quotidie habebat, sæpe etiam Beatissimam Dei Matrem vidit, pro se intercedentem, & Constitutiones illas confirmantem. Ibid. n.177.* *In Constitutionibus scribendis.*

AB EADEM : *Fundata iam Societate, & per Apostolicam Sedem sæpius confirmata : cui Beatissimæ Virgini quam ea sit chara, ostendit in primis P. Martino Gutierrez Hispano, viro sanctissimo, cuius mortui in carcere (in quem ab Hæreticis Gallis coniectus fuerat) animam B. Teresia vidit cum aureola Martyrij cælum intrantem, vt supra vidimus. Apparuit enim illi Virgo Sanctissima, eximia admodum specie micans, veste in magnam latitudinem expansa, ac sub ea veste Societatem totam collectam continens, quam illa materno affectu complectebatur, eoque quasi charitatis ac gratiæ tegumento, confouebat. Ita Ibid.nu.178. Et simili modo (subditur ad finem eiusdem numeri) cum Bransbergæ in Prussia Saga quædam ope Diaboli esset noctu vecta per aerem, & intra Collegium illata, & videre cuperet, quomodo Societatis homines suis in cubiculis cubarent, quamuis videret portas cubiculorum apertas, nullum tamen prorsus videre potuit iacentem, eo quod Deipara Matronæ venerandæ specie apparens, Pallio suo expanso aspectum illius omnem impediret. Quid dulcius filijs potuit pientissima Mater exhibere ?* *Et in Socijs sub eius tegumento protegendis.* *Et contra Sagam quandam occultãdis.*

AB EADEM : *Ad Cuius erga Societatem* IESV *beneuolentiam referri debet, quod multis suaserit Beatissima Dei Mater, eis manifestè apparens, vel cælesti sua voce excitans nominatim, vt eamdem* IESV *Societatem ingrederentur. Hoc modo ad Societatem traxit B. Franciscum Borgiam, & P. Ioannem Nunnium, postea Æthiopiæ Patriarcham, & P. Martinum Olauium, & P. Bartholomæum Bustamantium, & B. Stanislaum Kostkam, & B. Aloysium Gonzagam, quale par iuuenum ! in Societatem ingredi iussit. Et P. Petrum de Añasco, & P. Sebastianum Barradium, & P. Bernardinum Realinum, & P. Alexandrum Dobokay Vngarum, & Herarium Girellum, & Thomam Perusinum vtrumque laicum, & tandem alterum P. Ioan-* *Et in multis viris, quos ad Societatem vocauit.*

P. Ioannem Nunnium ex nobilissima Guzmanorum familia: omissis alijs, qui minus celebres sunt, & minus noti. Ita Ibid. num. 179. Et de prædicto P. Ioanne Nunnio id speciatim additur in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 2. cap. 9. fol. 236. quod cum is de vitæ statu dubius, Cæli Reginam, quæ fluctuantibus Cynosura est, suppliciter imploraret, illa se videndam præbens, Vis ne (*inquit*) Filio meo seruire ad defatigationem? *Cum se velle respondisset, subiunxit Virgo:* Hos ergo (*Fabrum, & Stradam, quos habebat in comitatu designabat*) nihil hæsitans sequere. *Nec multo post homines per Visum oblatos obuios habuit, & secutus in Societate est. Quantus hic Deiparæ fauor erga Societatem facile patet intuenti.*

In varijs etiam apparitionibus.

Ab Eadem: *Quæ non minorem fauorem ei præstitit, quàm plurimis apparitionibus, quibus Beatissima Virgo plurimos è Societate nostra, & Sacerdotes, & Clericos & Coadiutores nostros solari, & confortare in suscepto vitæ genere dignata est, & seculares incitauit ad quærendam spiritualem opem in nostra Societate. Plenæ sunt Annuæ literæ Societatis hisce Deiparæ Virginis fauoribus. Inter alios notabilis fuit ille Ioanni Baptistæ Coadiutori nostro exhibitus.*

Prima apparitio,

Is in Societate bimestri spatio fuerat, cum à graui quadam tentatione fere superabatur, adeo vt de abitu è Societate inter semet cogitationes volueret: & ecce vidit Beatissimam Virginem Mariam ab vno latere adstantem sibi, habere S. Petrum, ab altero S. Barbaram, Beata Virgo eum solabatur, & robur addebat, & vt vitæ suæ conditioni acquiesceret, *exhortabatur, &* vt in ea perseueraret *commonebat,* æternam quippe salutem in ea consecuturum. *Qua visione erectus firmiter in ea vocatione perstitit, & alias grauiores visibiles Diaboli tentationes superauit. Ita apud Lancicium num. 181. ex R. P. Fr. Elia à S. Teresia sic scribente in legatione Ecclesiæ triumphantis lib. 2. cap. 31. num. 43.*

Secunda.

Ab Eadem: *Anno 1584. alio mirabili, quod huc spectat, & narratur de Goana Nouitiorum domo in Orientali India in hunc modum. Miles quidam, cum diu vocanti Deo, pertinaci mente resisteret, ob eamque causam, magnis conscientiæ stimulis agitaretur,*

stratus

stratus ante venerandam Dei Matris imaginem, extrema quadam circumfusus luce, quam simul aspexere quam plures, vsque eo animatus est ad parendum, vt statim abiecto peccatorum onere per confessionem, illustriorem diuinæ voluntatis significationem non expectarit, & ita Societati nomen dedit. Ibid. num. 182.

Tertia. *Sic anno 1585. Burdegalæ cum Adolescens duodecimum annum agens, prima Societatis famâ commotus, ei se sine cunctatione dicauit, huic dormienti vox ad aures accidisse dicitur, moriturum esse breui: experrectusque cum timore, in preces flexisse genua: affuisse repente eximia pulchritudine Mulier amictu candido, quæ huiuscemodi verbis illum affata est.* Ades animo fili, & omitte timorem, non dum moriere, prius voti (*de ingressu in Societatem*) compos efficieris. *Quod visum cum die insequenti in Missæ sacrificio recurreret, penè à sensibus aberrasse: cumque Socij vt in sella paulisper requiesceret, hortarentur, nunquam de genu surgere, quo semel incubuerat, voluisse. Eidem de more precanti, & tractanti animo Christi vulnera, Christus quoque dicitur visus verberibus laniatus, eaque specie Adolescentem primo territum mirifice recreasse. Ibidem.*

Quarta. *Sic circa annum 1587. in Legionensi Ciuitate Prouinciæ Castellanæ, vnus quidam erat simplex, & minime malus, duodecimum iam annum quotidie percurrendo Rosario, preces Deiparæ persoluebat, narrabat hic postea, ipsis quindecim, seu viginti continenter noctibus, visam sibi Matronam Venerabili specie (Beatissimam Virginem Mariam sibi persuadet fuisse) à qua excitabatur his vocibus:* Legionem contende, tuorum delictorum veniam à Iesuita aliquo per integram confessionem pete. *Nec vanum fuisse visum interior animi motus ostendit. Sic Ibidem.*

Quinta. *Sic etiam huc spectat vocatio in Societatem P. Ioannis Fernandij Concionatoris Apostolici ac celebris Sacrarum literarum in Romano Collegio, & in Hispania Professoris: qui cum primos emensus annos pueritiæ à Patre, cui vnicus erat, à studijs humanitatis ad mercaturam vocaretur, cum mœrens amore studiorum, Toleti in sua Pa-*

tria ante Imaginem Beatæ Virginis fusus in preces, à cælesti Matre flagitaret, ne rei augendæ causâ à literarum studio auelleretur, aliquamdiu perstiterat in precibus, cum leui somno occupatus, sibi visus est audire Diuinam Matrem, ex ipsa Imagine loquentem, sibique perennem, quam petebat studiorum cursum pollicentem, insuper Societatis IESV alumnum futurum *prædicere, à qua tamen voluntate, erat ille in præsens alienus. Experrectus magna concepta animo lætitia, Sanctissimæ Matri perpetuam Virginitatem vouit, quam ad finem vsque, & corpore, & animo seruauit. Ita progressus in studijs, duodeuigesimo ætatis anno in Societatem est admissus, statoque tempore inchoata studia absoluit. Ibidem num.* 183.

Sexta. *Sic anno* 1591. *In Prouincia Peruana, Indus ægrotans vidit noctu Mulierem eximia pulchritudine in candenti veste prædicentem,* de aduentu Sacerdotis nostræ Societatis, auxilio multis, & solatio futuri, cum hoc ad communicandos sermones non fore opus interprete, cum illorum linguam calleret: proinde eluerent apud illum conscientiæ labes, eiusque consilio vterentur: ipsum quidem si hoc fecerit, non multo post conualiturum. *Ægroti visum probauit aduentus promissi à Virgine Maria Sacerdotis: qui auditus est (externus quamuis esset) ita intelligenter & expedite loqui, vt auditores mirarentur. Et ille æger alloquio eius firmatus, breui valetudinem recepit. Ibid. num.*184.

Septima. *Et anno* 1592. *In Gallia Adolescens Societatem nostram cogitans, vt parentum, vt domesticorum oculos vitaret, in remotissimam se ædium partem abdere consueuerat, vbi solus cum Deo sine arbitris versaretur. Huic cubitum eunti, extincto iam lumine, oblata in tenebris eximia species Virginis, quæ illum timore perterritum, ac sese auertentem, nihilo secius blandè intueretur. Hoc illo viso mirum in modum se in suscepto Consilio confirmatum sentit, nec dubitabat, quin illa Beatæ Virginis species fuisset. Sic Ibid. n.*185.

Et

Et eodem anno in Polonia, Quidam de suscipiendo Sacro vitæ Instituto (vnâ excepta Societate, à qua mirum in modum abhorrebat) dum secum deliberat, in grauem mœrorem incidit, qui illi causa adamandæ Societatis fuit. Nam cum angore animi vrgeretur, visus est sibi per quietem à B. Virgine admoneri, Vt si mœrore liberari vellet ad Christum (*qui oppressus ærumnis adesse videbatur*) consurgeret: *Hunc igitur cum afflictum, & iacentem adolescens subleuare conaretur, eius vocem audire sibi visus est*: Confide fili, quoniam me subleuasti, ipse vicissim à me subleuaberis. *Qua ille voce permotus incredibili cupiditate Societatis exarsit. Itaque contemptis solicitudinibus ac minis potentissimi viri, in cuius fide, ac tutela erat, ex Polonia Brunam ad Nouitiatum Societatis in Morauia situm profugit. Hæc Ibidem Lancicius citatus ex varijs Annalibus, & Imagine 1. sæc Soc. deprompta. Ex quibus constat multiplex patrocinium ac fauor Deiparæ erga Societatem.* Octaua.

Quanti autem fiat Ab Eadem Deiparâ *Vocatio ad Societatem, & in ea caste viuendi, ac ad mortem perseuerandi solicitudo, plus adhuc apparet in P. Iacobo Ledesma, qui cum esset ad Societatem vocatus viuente adhuc S. Ignatio, & Romæ tyrocinium inchoaturus, & de seruanda Castimonia, ac vita in Societate finienda, esset solicitus, post visum Christum Dominum, qui ei apparens, sanctissimoque suo ore illum consolans,* Æquo animo esse *iusserat*, daturumque se illi vt caste, & vsque ad extremum spiritum in Societate perseueraret, *promiserat: adfuit quoque alio tempore, & loco Virgo Deipara cum tribus Comitibus Maria Magdalena, Catharina Virg. & Mart. & Catharina Senensi, ac dulcissime eum affata, non modo* pudicitiam, & perseuerantiam in Societate *pollicita est, sed etiam rursus* ad vitæ finem se ei appariturâm: tuncque intellecturum, sibi vera pollicitam, quamque excellens donum sit cordis corporisque munditia: & quantum beneficium sit vocatio ad Societatem, & perseuerantia in illa. *Ita apud Lancicium cit. Opusc. spirit. Tom. 1. Opusc. 1. cap. 19.* Nona.

Exercitia spiritualia quam grata Deipara.

AB EADEM : *Vni cuidam Exercitia Spiritualia Societatis iam aggredienti, cuius explorata sanctitas omnem fidem meretur, ipsa Deipara significante,* Gratum sibi esse has meditationes, vtpote quas, & ipsa dum vixit, semperque animo versasset; ac deinde Ignatium docuisset, easque scribentem plurimum iuuisset. *Hæc Beatissima Virgo in summam & Ignatij Parentis, suorumque exercitiorum commendationem. Ita refertur in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 1. cap. 5. fol. 74.*

Quæ Societate vtitur ad Hæretici conuersionem.

AB EADEM, *Lutherani Ingolstadiensis sic per nostros Conuersionem meditante. Etenim iuratus ille affirmauit, se per quietem vidisse Dei Matrem, Virginemque sanctissimam vestitu candido ornatam, ac monentem,* Vt ea via incederet, quam sibi vnus de Societate ostenderet. *Sic in Annalib. Societ. ann. 1602. fol. mihi* 444.



CLAS-

CLASSIS III.

AB ANGELIS.

Cælorum Regem, ac Reginam Sancti Angeli imitati, suo quoque patrocinio IESV *Societatem non destituêre: ab ijs enim non infimis laudibus illa extollitur, & in primis.*

Societatis Exercitia à S. Gabriele commendata.

1. AS. GABRIELE *Dei Paranimpho. Ille igitur per reuelationem in Hispania factam anno* 1600. *personæ cuidam altissimæ Orationis, & spiritualibus fauoribus cumulatæ, exercitia nostra facere curanti, his verbis allocutus est.* Exercitia quæ facere cogitasti per mentis ratiocinationes, & meditationes magnitudinum Dei, & infinitorum bonorum, quæ per Christum vobis communicantur (in eum fere modum, quo fiunt in Societate) singulare obsequium Reginæ nostræ præstabis. Significat enim tibi, se fuisse, & esse tanquam Patronam, & Fundatricem illorum Societatis exercitiorum: seque adiuuisse, ac docuisse S. P. Ignatium, vt ita fierent: ideoque hoc nomine initium se dedisse huic operi: imo & se toto tempore vitæ suæ in sanctis huiusmodi exercitijs fuisse occupatam. *Ita ab Angelo Gabriele pronunciatum in summam Ignatij Parentis, & Societatis laudem apud P. Nigron. Tract.* 6. *de Exercitijs spiritual. cap.* 4. *fol. mihi* 247.

Vtpote à B. Virgine eorum Patrona, & fundatrice orta.

Et à S. Michaele Sociorum aduentus prædictus.

2. AS. MICHAELE: *Cum anno* 1591. *in Mexicana Prouincia Occidentalis Indiæ in Sede Pascuarensi Indus rerum diuinarum vsui deditus, mira tenebatur cupiditate nostros videndi: hoc maximum ipsius votum, ac postulatum erat, vt veniret ad oppidum. Cum in ea cogitatione versaretur noctu tres iuuenes secundum quietem*

tem vidit diuina ſpecie, è quibus vnus aureum vas eleganti elaboratum artificio ferebat. Tum quale hoc eſſet ſpectaculum, & quid portenderet, cum ſcire cuperet tacitus occupauit alter Comitum, qui nihil ferebant. Num illum noſti? neganti ſubiecit. Michael eſt. In eo Vaſe eſt medicina, qua Patres Societatis IESV *poſt tertium diem venturi ad vos, Indorum ægritudines ſanabunt. Viſum comprobauit euentus. Ita apud P. Lancicium Tom. 2. Opuſcul. ſpiritual. opuſ 17. num. 194. cap. 2.*

Aliqui ab Angelo Cuſtode expiandi animi gratia ad Societatem miſſi.

3. AB ANGELO CVSTODE: *Narratur in Peruana Prouincia Cuſalei quamdam mulierem vidiſſe virum (Angelum crede Cuſtodem) decora facie, demiſſo capite, ingenti, & cana barba, conformatis dexteræ digitis in ſpeciem benedicentis, qui hæc ei locutus.* Quo te is perditum, niſi bene peragas confeſſionem? Adi ad Societatem IESV, quære Sacerdotem (*eumque nominabat*) hic tibi rite recteque confeſſæ plenam dabit veniam peccatorum. *Sic Ibid. num* 181.

4. AB ALTERO *Mexici ann.* 1591. *Iuuenis profligatus, ac perditus, cum nec parentum, nec vxoris admonitu innouare ſe vellet ad honeſtatem vitæ, in nocturnis tenebris, poſt ſtrepitum, & fragorem ingentem, videre viſus Draconem horribili ſpecie, & ſtatim perterritus exclamat ad coniugem. Fer opem vxor. Draco diductis faucibus mihi interitum minatur. At mulier nihilo audacior, Cruce frontem muni (inquit, & Mariam Dei Matrem voca. Hoc facto diffugit ſpectrum: & audita vox (Cuſtodis ſane Angeli) abiiceret* Sarcinam peccatorum, adiret Societatis IESV Patres de tota vita Conſilium daturos. *Ita Ibid. n* 184.

Alius vt eius Inſtitutum amplecteretur.

AB ALTERO: *Cum anno* 1592. *In Morauia quidam diuinis myſterijs perceptis Deum obſecraret, vt ſibi aliquo indicio declararet, quid à ſe fieri vellet, viſus eſt ſibi hominem è Societate videre, & ſimul hanc audire miſſam è Cælo vocem (Cuſtodis credit Angeli)* Hunc ſequere. *Ergo ingenti perfuſus animi gaudio diuinam voluntatem exequi ſtatuit. E veſtigio Canonicatum ſatis opulentum quo fruebatur Epiſcopo reddit: honeſtiſſimam nuptiarum conditionem vltro delatam*

latam repudiat, ad Societatem nostram aduolat, paupertatem diuitijs, Castitatem connubio præferens. Sic Ibid. n. 170.

6. AB ALTERO, *Vt constat in vita P. Caroli Garnier, qui aiebat se à Beata Virgine collocatum in Societate: & anno* 1636. *In Nouam Franciam vela fecit: nullum istic ærumnarum, aut expeditionum genus fuit, in quo Carolus non fuerit apprimè versatus. Eorum, quos morti proximos iuuabat, Angelis Custodibus omne illud negotium impensius commendabat: & visus illi adesse aliquando fuit Angelus, cum ægro ipse adesset, id quod æger de illo narrans*: Vidi (*aiebat*) iuuenem pellucentem lateris P. Caroli stipatorem: hic mihi hortator fuit, vt P. Caroli monitis parerem promptus: atque illius ductu proficere impense contenderem. *Ita refertur in libello, Cuius est Titulus, Annus dierum Illustrium Societatis* IESV *fol. mihi* 386. *Romæ typis edito: ann.* 1657. *Alter, vt vnius è nostris ductum sequeretur, & monita.*

7. A DVOBVS ANGELIS: *Quorum specie Hæretico viro nobili, per quietem oblata est, præcisse iubentium, vti* Socios vel adiret, vel euocaret, eorumque vsus operâ plane discisceret ab Hæresi: *Cuius visi non est veritus omnem rationem euulgare, seque obsecuturum polliceri. Ita in Annal. Soc. ann.* 1613. *fol. mihi* 101. *Et alius, vt expiaret hæresim.*

8. AB ANGELORVM CHORIS: *In visu quodam mirabili, quem refert P. Iacobus Lobbetius Tom.* 1. *Quæst. in Domin. & festa totius anni, q.* 4. *in Domin.* 3. *post Pentecost. super illa verba,* Gaudium erit in cælo super vno peccatore, *&c. Acciditque die* 30. *Nouemb. ann.* 1650. *in Ciuitate Perpinianensi: in qua tempore belli, famis ac pestis Instituta Societatis Missio ad placandam iram diuinam, & cum in regali Parochia præsente populo Virgineæ recitarentur litaniæ, ab vno è Missionarijs Virgo sanctissima visa est in altari principe insidere cælesti luce circumfusa, & diuina quadam Maiestate veneranda, hinc inde S. Ignatius, & S. Xauerius, & longe lateque diffusa Angelorum corona cantantium, ac dicentium:* Gaude, atque exulta Augusta Cæli, Angelorum Regina, gaude & tu ô Ignati, gaude & tu ô Xaueri! hæc enim tua laus *Mira Angelorum visio canentium gloriam Ignatio, Xauerio, & Missionarijs Societatis?*

laus, tua gloria, O suprema Paradisi Imperatrix: & vestra quoque laus, vestra gloria ô Ignati, ô Xaueri! qui Reginæ nostræ amore gaudetis, & fauore. ô te Beate Ignati, qui eos nactus es filios, qui tot animas à peccati vinculis, infamique seruitute eripiunt, & laboribus suis vere Apostolicis, Cælum implent tot tantisque animarum manipulis. Quæ porro felicitas? quæ beatitas ex illa esse Societate? quæ adeo constanter, atque operosè hominum saluti, ac perfectioni incumbit, vnde tantam in Deum gloriam, tantam in sanctissimam eius Matrem necesse est deriuari. ô generosi Societatis illius Missionarij! Ite læti, ite alacres, vel hac vna spe læti, cum vobis aderit vltima breuis æui meta, cum mors in oculis, aderunt à cælesti Curia tot Angeli, quot animas cælo, Deoque dedistis: aderuntque, & potenti præsidio vos munient, inducentque in possessionem gloriæ æternitatis. Quoties enim vel vnicam animam Deo per gratiam reconciliatis, toties sanctissimam Trinitatem ineffabili gaudio afficitis, & Virginem Matrem maxima gloria, & vniuersam cæli Curiam inenarrabili lætitia cumulatis. Et hinc Pater Æternus singulari cura, studioque vos protegit, & Deus Filius oculo aspicit, aspectuque benigniore, & ipse gloriosus S. Spiritus vos amore, ac charitate prosequitur singulari: & ipsa Maria Augusta nostrûm omnium Regina sub sua vos habet protectione, velut eductos è materno suo sinu filios, velut alumnos suos, ac nutricios, velut illustriora suæ Coronæ decora, atque ornamenta. Quod autem ad nos attinet, qui Cæli sumus Incolæ, & summi Numinis Angeli, & vobis in primis amici sumus, & semper expediti, vt & aduersus hostes tueamur, & omnia à Capitibus vestris mala propulsemus. ô glorioſe Ignati gaude, enim vero gaude, qui filios habes, quibus vel maxime fauet cælestis Pater, quos amplectitur Deus Filius, quos impensius amat spiritus sanctus, & potentissima nostrorumque Regina. Et tu gaude ô glorioſe noster Seraphim Xaueri, enim vero

Hi laboribus Apostolicis cælum implent multis animarum manipulis.

Quibus SS. Trinitatem ineffabili gaudio afficiunt.

A quâ illi singulari cura, studioque protecti.

Et velut nutritij Mariæ sunt, ac illustriora suæ Coronæ ornamenta.

Angelos habent amicos, à quibus aduersus hostes tuentur.

vero gaude, qui ad diuina illa animarum lucra, & dux fuisti, & lumen ipse prætulisti; tibi debetur illa laus, illa gloria, qui alijs ad Sacras illas expeditiones exemplo illustriore præfuisti. Gaude ergo, gaude magne Seraphim Xaueri, Gaude. Mariæ vero sua gloria, quæ ad pios illos ausa animos fecit, & Consilia saniora suggessit. Gloria quoque & Ignatio eiusmodi Missionariorum Apostolicorum Parenti. Gloria & Xauerio fortissimorum istorum pugilum Duci, atque antesignano. Gloria Mariæ, Gloria Ignatio, Gloria Xauerio; Gloria, Gloria, Gloria in æternum, in æternum. *Hæc (Concludit Auctor) Inter plausus, & gaudia Cælestes Genij, quorum aspectu, cantuque per mediam horam recreatus ille, de quo supervius.*

CLASSIS IV.

A CÆLITIBVS.

ANgelos Sanctos, Angelorum & Cælorum Reginam secuti sunt Cælites, à quibus suo quoque patrocinio Societas IESV *in eius Parente Sanctissimo, ac filijs, quàm maximè illustratur, ac honoratur: & in primis,*

B. Petrus Ignatium sanat, vt surgat Societas.

1. AS. PETRO *Apostolorum Principe, qui iam Ignatij Parentis pedes consolidauit, vt Societas surgeret, quæ vbique terrarum in dilatandis sanctæ suæ Ecclesiæ finibus, & Romani Pontificis imperio ex voto se totam impensura erat? iam P. Doctori Ioanni Fernandez viro sanctissimo, scriptorique doctissimo vilissimis induto vestibus Religiones omnes ad Cæli valuas contemplanti dixit:* Benè potes ingredi sine metu. Paupertas enim tua testatur te de IESV Societate esse, nostræque dignum. *Ita Cælestis ianitor Tom. 3. Viror. Illustr. Soc. fol. 10. Et cui nisi Petro id ex officio competit.*

Cuius paupertas cælo digna.

Et cuius Nomen aureis notatum literis à Ioan. Euang.

2 AS. IOANNE EVANG. *Cuius singularis in hoc genere erga Societatem memoratur fauor. Fuit Parisijs adolescens qui vitæ liberioris pertæsus, cum meliorem instituisset, nocte quadam, quæ diem Dominicum sequebatur, percepit vocem ad perseuerantiam se adhortantis. Post octiduum similiter monitus, quis esset qui loqueretur, interrogat.* Sum (*inquit ille*) tui cognominis Ioannes Euangelista: *& vicissim, Capuccinus ne (forte de ineunda Religione cogitabat) an Carthusianus fieri velit, interrogat. Vt Deo visum, respondit adolescens. Nec id temporis plura. Tertio Dominico die, nocturno item tempore redit Apostolus, dataque in manus schedula,* En, *inquit,* tres tibi offeruntur Ordines: quem voles, elige: Ego amplius non reuertar. *Duorum nomina argenteæ literæ, Nostrum (is erat Tertius) aureæ*

Vt adolescentem ad Eam adduceret.

aureæ exhibebant. Quod augustissimo IESV *Nomini datum, adolescens sic interpretatus est, vt qui aureis designaretur literis, eum sibi optimum, suisque accommodatissimum rationibus crederet. Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 2. cap. 9. fol. 236.*

Societas ab Apost. Thoma in Paraquaria, prædicta.

3. A S. THOMA *Apostolo Societatem in vastissimis hisce Paraquariæ nostræ Regionibus similiter prænuntiante. Tantam vbique inter barbaros incolas memoriam, vestigiaque sanctissimi Apostoli Thomæ inuenêre Socij, vt dubitari non possit eum isthic olim fuisse. Sed nihil Christianæ Religionis in hisce regionibus durauerat præter famam eius, & vaticinationis ab eo prolatæ memoriam. Prædixerat iam tunc,* Post multa sæcula Sacerdotes sibi in Apostolico munere aliquando successuros, qui eadem, quæ tum ipse, posteros docerent, quique vt ipse Cruces manu gestarent. *Visa in manibus Nostrorum Crux, quam horum ignari pro scipione gestabant, & subsecuta Euangelij explicatio, barbaris fidem fecit Nostros esse eos, quos Apostolus olim venturos promiserat. Sic Ibidem lib. 1. c. 2. f. 63.*

Et in Orientali India.

AB EODEM: *Cum illis in regionibus Occidentalibus quasi antiqua tanti Apostoli Thomæ vestigia lustraret ac subsequeretur Xauerius noster sanctissimus, fidem primoribus sæculis ab eo fundatam instaurauit, impleuitque illius antiquum Oraculum, quo præcinuerat,* ventura ea tempora, cum Oceanus paulatim erosis, laxatisque littoribus Crucem quamdam ibi à se statutam, fluctuum appulsu inceptaret alluere, tuncque ab extremis Europæ finibus in Indiam mari aduehendos diuini verbi præcones, qui sibi in officio, studijsque succederent. *Et quidem vtriusque euentus coniunctio fidem oraculi affirmauit. Simul ad Crucem vndæ littorales, simul Crucis prædicatores Nostri ad Indicum littus acceßere. Ita in Panegyrica Epitome Xauerij, Insulis typis edita ann. 1649. fol. mihi 33.*

Et à S. Felice, ebulliente manna Nolæ excepta.

4. A S. FELICE *Nolanorum Patrono. Ea ipsa nocte, qua Nostri magna gratulatione excepti Nolæ Patres, manna è Corpore S. Felicis manauit: quod persuasum est ciuibus, vbi manat, felicitatem portendere: obseruata res est, & tanquam vetus Patronus nouos hospites lætus, ac fauens exciperet, cumulauit gratulatio-*

nem, & spes omnium confirmauit. Ita Par. 2. Hist. Societ. lib. 2. num. 78.

A Cælite quodam veræ fidei ductrix asseritur.

5. A CÆLITE *Anonymo: Dum in Belgium Pseudo-Apostoli duodecim nauigarent, vt prauum ibi spargerent semen, prope aberant à Portu Dunkercano, cum fecere naufragium: nonnullos tabula seruauit, & omnium primarium, quem Dunkerkæ littus iam tenentem, subit cogitatio, diuinitus vtique iniecta, Deum forsitan eo naufragio ingratam sibi profectionem illam damnare. Hæc cogitanti repente vir adstat (è Cælitibus vnus) candido habitu, eoque Monastico:* Et quod tu (*inquit*) amice animo versas, id verum puta, ingratum hoc iter Deo est. Hæc tibi indicasse sit satis. Perge porro Antuerpiam ad Societatis IESV Patres, illos interroga, & sequere, ad veram enim te ducent fidem. *Ergo Antuerpiam ille delatus, nihil quidquam prius habuit, quàm diuertere ad Societatis domum: vbi succedente mox graui morbo, ad extrema perductus, baptismum cum fletu flagitat, & ablutus sacro fonte, & quasi iam vita dignus conualescit: moxque ad exemplum Pauli, Socios illos suos, aliosque eiusdem sectæ asseclas oppugnare aggressus, & fidem prædicare Romanam, præterita animorum damna lucro maiore pensauit. Ita apud Imag. citat. 1. sæc. Soc. lib. 6. fol. 794.*

Et à proximorum cura, laudatur.

6. AB ALTERO: *Qui clausis cubiculi ianuis, cuidam de Societate Carthusiane deliberanti apparens, dixit:* Tu quidem Carthusianus si eris, saluti tuæ consules, sed vbi futurus est proximus? *Sic in Annal. Societ. anno* 1604. *fol. mihi* 435.

CLAS-

CLASSIS V.

AB INFERIS:

SIVE

A DÆMONE.

ERgo: ad Operis calcem, ad cursus metam: ad nostræ nauigationis portum appulimus: ad Infera tandem descendit exigua huius discursus nauicula, nec ideo submergenda, imò magnis Encomiorum spolijs onusta, tarda, grauisque venit. Sed an speciosa sit laus in ore Inferorum, siue Dæmonis fortè quis ambigat? cum legamus plurimos ab illaudatis noluisse laudari, quales Antisthenes, Plutarchus, Agesilaus, pluresque alij fuisse dicuntur. Fateor: sed etiam ab hoste laudari, non inutile est. Veritatis namque *(vt inquit S. Chrysost. hom. 28. in Ioan.)* maximum argumentum est, cum quis inimicos in testimonium adducit. *Et cum Diabolum video eximium Christi Domini Encomiastem Marc. 1. 24. Bedam etiam Venerabilem audio:* Non est hæc voluntatis confessio, sed necessitatis extorsio. *ap. Gloss. Sic ego in Societatis laudes non accipio à Dæmone testimonium, sed confessionem: inuitus ille dixit, sed exactus, & tortus. Iam ergo hisce Iesuanis Elogijs non tam coronidem, quam coronam Inferi imponant, siue ab ipso tenebrarum Principe lumen accipiant.* Marc. 1. 24.

Ignatius, & Socij excellentes virtute, at admirabili doctrina prædicantur à Dæmone.

1. A Dæmone, *Inquam, Qui intra mulieris corpus carceratus Venetijs, videns S. Ignatium, ac socios, magnis vocibus non semel exclamauit*: Vos (*ad adstantes dicebat*) nescitis qui sint isti Clerici, sunt viri excellentes, magna virtute, & admirabili doctrina præditi. Ego meique socij quidquid potuimus fecimus ad eorum Consilia disturbanda, ne huc venirent, sed frustra. *Hoc Parens mendatij testimonium pro Societate, eius Parente, ac filijs edidit honorificentissimum. Ita apud Euseb. in vita S. Ignat. cap. 9. in fine Tom. 1. viror. Illust. Soc.*

Qui magnis promissis educere eos è Societate tentat.

* Ab Eodem: *Qui P. Ioannem del Castillo egregium eius inimicum importunis hisce vocibus aliquando alloquebatur.* Egredere de Societate, & te faciam hominem totius mundi præstantissimum: totius scripturæ notitiam dabo, ac supra dignitatem, quam malueris sustollam. Quod si nolueris, aliam adminus Religionem elige, & ne sis cum his Societatis hominibus, ex toto quidem Orbe pessimis. Quid tibi cum istis? potens ad tuum libitum vitam ducere. *Hæc Tom. 2. viror. Illustr. Soc. fol. mihi 774. in vita Eiusdem.*

Gens illi magis odiosa Iesuitæ.

Ab Eodem: Nullam (*aliàs dicebat miser*) fore gentem in Mundo sibi magis odiosam, *quam Societatis homines: ideoque plus aduersus ipsos, quam contra vllum alium perpetuo se dimicare: vnumque Dæmonem persequi vnum ex alijs Religionibus, decem vero Dæmones vnum è Societate, quam conabatur* destruere, & in omnibus partibus extinguere. *Sic Ibidem fol 779. Et quantopere hic Tenebrarum Princeps Societatis viros prosequatur odio, iterum declarauit, cum in Energumena quadam exorcismis adigeretur, Confessus est inter cætera*, Nullam se gentem acerbius odisse, quàm Iesuitas. *Ita apud P. Plati de bono statvs Religion. lib. 2. cap. 30.*

Eorum aduentum ad Mixicanũ Regnũ lamentabundus conqueritur.

Ab Eodem: *Qui cum Nostri in Mexicanam Prouinciam appulissent, infremens, atque horrendis implens vllulatibus montem, vbi pro Deo colebatur, quàm sibi dolori, atque horrori esset nouorum Sacerdotum aduentus, non dubitauit cuidam, quem sibi deuotione obstri-*

obstrictum habebat, lamentabundus aperire. Ita in Imag. 1. sæc. Soc. lib. 2. cap. 8. fol. 234.

AB EODEM : *Quem Panormi fœmina quædam velut intemperijs quibusdam excitata prouocarat : & illi facta sui corporis ad libidinem copia ad Inferendam Octauio Nostro Caietano necem, quam ipsa cum maxime vellet, non posset, opem deposcit : sed demum coactus est ipse quoque hostis infernus fateri imbecillitatem suam, cum diceret,* Ignatium non permittere, vt suis filijs quidquam noxæ infligat. *Sic refertur apud P. Alegambe in sua Bibliotheca scriptor. Soc. fol. mihi 358. in vita Eiusdem Octauij Caietani.*

Contra quos se imbecillem Panormi fatetur.

AB EODEM : *Qui consultus ab Indis Tepeguanis super bello, quod cum Hispanis gerebant, obtulit omnibus se Indis in illo bello discessuris vitam intra septiduum restituturum : cui promisso cum non stetisset, post complures dies mendacij accusatus ab Indis, respondit :* Incepto bello insisterent, alioqui perituri; quod tamen ad ipsum spectabat, non posse vlterius ipsis opem ferre, siquidem à Coronatis illis (*sic Nostros vocabat*) prohibebatur. *Ita lib. 9. Hist. Mission. Sinaloensium cap. 23. fol. mihi 617.*

Quantum Socij Dæmonis conatibus resistant?

AB EODEM, *Cum Hæreticis Caluinistis conspirante, in eijcienda è Gallico Regno Societate. Nam per id tempus, quo Caluinistæ eiectionem Societatis è Gallia procurandam decernunt, Augi Energumenæ ore acriter Dæmones minitari cæpere,* Se non quieturos, quoad ex Gallia IESVITAS exterminarent. *Quod vt multis post annis, & quidem (Deo cuncta in melius vertente) quanto suo cum damno consecuti sint, ex nostris, & exteris Annalibus satis liquido constat. Sic Par. 5. Histor. Societ. Tom. 1. lib. 4. numer. 109.*

Ideo è Gallia exterminantur. Eodem cum Hæreticis conspirante.

AB EODEM, *Vel potius à Dæmonum legione, vt constat ex memorabili casu, quem in Annal. Soc. ann. 1583. belle delineatum inuenio, & ijsdem verbis referre opere pretium duxi, ne incompto mei calami delineamento sordescat.* In pago, quod Vienna distat passuum millibus octo, Virgo erat Anna nomine, hæretica illa quidem, & ab hæreticis alta parentibus, sed tamen simplex, &

Et Vienna cum tota legione in puellæ corpus ingreditur.

& recta, & suorum imperio obsequens. Huic auia venefica erat, quæ se malo Dæmoni multis iam annis ante deuouerat. Hæc neptem suam Annam vt adoleuit, eidem humani generis hosti pro veteri sua coniunctione despondit. Eo non contenta, poma ad aspectum pulchra, plena tamen cantionibus, ac veneficijs puellæ offert, simulque astanti cuidam vt fidem daret (Dæmon is erat) hortatur, cum illa initio recusaret, diris eam verberibus ad id compulit. Haustis ijs, quas dixi rebus, vniuersum puellæ corpus intumuit. Hinc vehemens orta suspicio puellam Dæmonis obsidione teneri, id quod postea declarauit euentus. Distorquebat Dæmon ora puellæ, oculorum inuertebat aspectum, cumque aqua benedicta oris tumoribus aspergeretur, in alias partes corporis emigrabat. Cum caput occupauerat, lumen rationis sic obscurabat, vt ea redderetur insana; cum in oculis sedem ceperat, nouo illi fulgore lucis ardebant; vbi os, & labra obsederat, nigræ aut rubicundæ fabæ instar apparebant. Venitur ad fugandos Dæmones, venitur ad exorcismos: qui cum initio nihil proficerent, permotus parentis precibus Imperator filiam Viennam iubet adduci, Episcopique curæ committi. Episcopus cum literis Imperatoris ad Collegij Rectorem venit, egitque non modo precibus, verum etiam imperio, vt id oneris nostri susciperent: felicem enim rei exitum se sperare. Nostri etsi ægrè admodum rem tantam suis humeris imparem susceperunt; Episcopi tamen precibus auctoritateque compulsi xv. Kalend. Iulij ad expiandum Spiritus Sancti Templum aggrediuntur. Initio cum paucis acta res est. Placuit postea diuinæ sapientiæ, vt ad aures, oculosque multitudinis peueniret. Nam Dæmonum vlulatibus, & inconditis vocibus, quibus modo porcorum grunnitus, modo ranarum coaxationes, modo vitulorum boatus, modo alias aliarum bestiarum voces imitabantur, est factum, vt res diutius latêre non posset.

set. Itaque tantus fuit repente concursus, quantus ad celeberrima quæque spectacula, vt necesse fuerit sacelli fores ad arcendam vim multitudinis obsidere. Hic cum Dæmonum turba confligitur, hic ad infirmandas callidi hostis vires Christi Cruce, alijsque Ecclesiæ Catholicæ armis incumbitur. Inuidus hostis abstinere maledictis non poterat, ac præter cetera maledicta quibus nostros homines onerabat, eos murium Capita, & nigros arietes appellabat; querebaturque, quod vbi vbi nostri essent, suis conatibus, artibusque resisterent, ideoque nihil sibi fore gratius, quam si IESVITAS omnes, quotquot terrarum Orbe dispersi sunt, ex vno patibulo pendentes aspiceret. Iubebatur Crucem osculari puella, frementibus hostibus, atque horrendum in modum rugientibus: Ea ratione fugabantur quotidie multi, & certis signis coactus exorcismis Diabolus indicabat, *&c.* Pridie itaque eius diei, qui assumptæ in Cælum Deiparæ festus est, post horrendos clamores, & horribiles eiulatus, tandem Dux ipse legionis excessit. Puellamque ita reliquit afflictam, atque exanimatam, vulgo vt mortua putaretur: Iacuit enim vitæ vsibus destituta horas circiter quatuor: consequenti vero nocte recreata, postridie, qui dies fuit B. Mariæ Sacer à suis expiata peccatis, ab Episcopo Viennensi, qui in æde nostra vniuerso populo rem omnem exposuit, Christi corpus accepit. *Hîc casus est vel æterna hominum memoria dignus: hic timor Dæmonis, hoc odium contra Iesuitas verbis adeo ingentibus expressum, vt nil sibi gratius, quam omnes in* vno patibulo *suspensos aspicere, inuidus hostis plene ac plane coram omni populo fateri non dubitet. Quæ rogo, maior Societatis, ac sociorum gloria? Quare hic Ego etiam calamum suspendo: & Doctioribus lampadem trado pro discutienda hac Encomiastica palæstra.*

Ex quo Nostros murium capita, & nigros arietes appellabat:

Et vbi illi essent suis conatibus resistere querebatur

Ideo nil sibi gratius, quam si Iesuitas omnes ex vno patibulo pendentes aspiceret.

Huc vsque me deduxit, qui me duxit in vehementer amatam IESV *Societatem, Matrem mihi colendissimam: quo beneficio con-*

ſtrictus dum Societatis emolumenta non oſtendunt mei mores, vtinam vel prædicem calamo. Portum attigimus. Hîc fixa ſit vltima periodus Operis. Abſoluimus in Collegio S. Michaelis apud Tucumanos die 27. Septemb. ann. 1665. die, inquam, SS. Martyrum Coſmæ, & Damiani venerationi Sacra, & fauſto Societatis natalitio veneranda: quæ Gemino hoc ſub ſigno, tam fortunatoque Sidere nata, haud mirum tot meruerit Elogijs coronari.

Omnia ad minimas vſque Syllabas, ad Iota, & Apicem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Correctioni Subijcio.

A. M. D. G.

PRO-

PROTESTATIO.

LEctor aduerte in ELOGIIS Virorum Illustrium, quos hoc Libro complexus sum nonnulla me obiter attingere, quæ sanctitatem ipsis videantur adscribere: perstringo nonnumquam aliqua ab ijs gesta, quæ cum vires humanas superent, miracula videri possunt: præsagia futurorum, Arcanorum manifestationes, reuelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia huiusmodi: beneficia item in miseros mortales eorum intercessione collocata diuinitus; demum nonnullis sanctimoniæ, vel Martyrij videor appellationem tribuere. Verum hæc omnia ita meis Lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apostolica Sede examinata, atque approbata, sed tanquam quæ à sola suorum Auctorum fide pondus obtineant, atque adeo non aliter, quam humanam Historiam. Proinde Apostolicum S. Congregationis S. R. & Vniuersalis Inquisitionis Decretum Anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum integrè, atque inuiolatè, iuxta declarationem eiusdem Decreti à Sanctiss. D. N. D. Vrbano Papa VIII. anno 1631. factam seruari à me omnes intelligant: nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare; vel famam, & opinionem sanctitatis, aut Martyrij inducere, seu augere; nec quidquam eius existimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius Beatificationem, vel Canonizationem,

aut miraculi comprobationem ; sed omnia in eo statu à me relinqui , quem secluſa hac mea lucubratione obtinerent, non obſtante quocumque longiſſimi temporis curſu. Hoc tam ſanctè profiteor, quam decet eum, qui ſanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione, & actione dirigi,

EGO

CHRISTOPHORVS GOMEZ.

Soc. Iesv.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

QVI IN HOC OPERE,

Siue in Societatis IESV, siue Diui Ignatij Protoparentis Optimi, Filiorumque commendationem, obiter explicantur.

P. Partem: C. Classem: N. Numerum indicat:

GENESIS.

Ap. 1. Fiant luminaria in firmamento cæli. p.1.c.7.n.111

Fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti. Ibidem n.103.

Faciamus Hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris &c. Ibid. n.94.

2. Lignum etiam vitæ in medio Paradisi. Ibid.c.4.n.72

Appellaberis Abraham, quia Patrem multarum gentium constitui te. Ibid.c.7.n.116

Faciam illum in gentem magnam. Ibid.

27. Fuge ad Labam fratrem meum. Ibid.n.102

28. Vidit in somnis scalam, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes per eam. Ibid.n.1. & 102.

32. Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Ibid.n.75

37. Ecce somniator venit, venite occidamus eum. Ibidem n.43.

EXODVS.

Cap. 13. Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis. p.1. c.7.n.45

15. Dixit inimicus persequar, & comprehendam, &c. Ibidem n.43

25. Facies & Candelabrum ductile ex auro mundissimo. p.2. c.10.n.65

31. Arcam Testimonij, & Propitiatorium. Ibid.n.56

38. Et in introitu eius opere plumario fecit tentorium. Ibid. n.107

NVMERI.

Cap. 11. Quid æmularis pro me? quis tribuat, vt omnis populus prophetet. p.1.c.4.n.4

IOSVE.

Cap. 15. Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath, id est Ciuitas literarum. Ibid. c.7. n.107

LIB. I. REG.

Cap. 17. Prævaluitque Dauid aduersum Philisthæum in funda, & lapide. Ibid.n.94

Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo, ego autem venio ad te in Nomine Domini. p.2.c.10.n.77

19. Qui cum vidissent cuneum Prophetarum vaticinantium. p.1.c.7.n.113

LIB. III. REG.

Cap. 1. Quæramus Domino nostro Regi adolescentulam Virginem, & stet coram Rege, & foueat eum. p.2.c.10.n.66

17. Et expandit se, atq; mensus est super puerum. p.1.c.7. n.45

18. Ascendit Achab, vt comederet, & biberet: Elias autem ascendit in verticem Carmeli. Ibid.n.107

LIB. IV. REG.

Cap. 2. Egressus ad fontem aquarum misit in illum Sal. Ibid. n.43

7. Si tacuerimus, & noluerimus nunciare, sceleris arguemur. p.2.c.10.n.70

20. Afferte massam ficorum: quam cum attulissent, & posuissent super hulcus eius curatus est. p.1.c.7.n.43

LIB. II. PARALIP.

Cap. 9. Et duos leones stantes iuxta brachiola. p.2.c.10.n.56

17. Misit Iosaphat de Principibus suis Belhail, & Abdiam, &c. Vt docerent in ciuitatibus Iuda. p.1.c.7.n.52

ESTHER.

Cap 10. Paruus fons qui creuit in fluuium, & in lucem, solemque conuersus est. p.2.c.10.n.65

IOB.

Cap. 19. Vsque quo affligitis animam meam, & atteritis me Sermonibus. p.1.c.7.n.44

28. Qui fecit ventis pondus. Ibid.n.43

PSALMI.

Cap. 17. Deus, qui doces manus meas ad prælium, & posuisti vt arcum æreum brachia mea. Ad Lector.

18. In omnem terram exiuit sonus eorum. p.1.c.4.n.60

Exultauit vt gigas ad currendam viam. Ibid.c.7.n.78

44. Intende, prospere, procede, & regna. p.2.c.10.n.35

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum Regis. p.1.c.7.n.52

Myrrha, & gutta, & Cassia à vestimentis tuis à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo Ibid.

51. Ego autem sicut oliua fructifera in Domo Dei. Ibid.

71. Et dominabitur à mari vsque ad mare, &c. Ibid.n.1

79. Vineam de Ægypto transtulisti. Ibid.c.4.n.16

Exterminauit eã aper de sylua. Ibid.

Ibidem n. 71

88. Tuum brachium cum potentia. Ad Lector.

110. Sanctum, & terribile Nomen eius. p.2.c.10.n.77

PROVERBIA.

Cap. 27. Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. Ad Lector.

30. Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se. p.2.c.10.n.77

CANTICA,

Cap. 1. Nigra sum, sed formosa. ibid.n.68

4. Sicut Turris Dauid Collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. ibid.n.56.& p.1. c.4.n.60

Hortus conclusus soror mea sponsa: fons signatus. ibid.n.72

6. Pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. ibid.c.7.n.78.& p.2. c.10.n.66

7. Venter tuus sicut aceruus tritici. p.1.c.4.n.81. Vallatus lilijs. ibid.c.7.n.62

Statura tua assimilata est Palmæ, & vbera tua botris. ibid.n.75 & p.2.c.10.n.10

8. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. p.2.c.10. n.77

9. Si murus est ædificemus super eam propugnacula argentea. Ad Lector.

SAPIENTIA.

Cap. 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. p.1.c.7. n.109

ECCLESIASTICVS.

Cap. 49. Memoria Iosiæ in compositionem odoris &c. In diebus ipsius emanauerunt putei aquarum. p.2.c.10.n.78

ISAIAS.

Cap. 1. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. p.1.c.7. n.27

6. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri. p.2.c.10.n.56

11. Repleta est terra scientia Domini, quasi aquæ maris inundantes. ibid.n.78

18. Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam, &c. ibid.c.6.n.17.& c.10. n.64

19. Ecce ascendit Dominus super nubem leuem, & egredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra Ægypti. p.1.c.7. n.1.

33. Vbi est literatus? Vbi legis verba ponderans? vbi Doctor paruulorum? ibid.n.51

35. Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. p.2.c.10.n.65

51. Attendite ad Petram, vnde excisi estis. ibid.c.5.n.10

60. Qui sunt isti qui vt nubes volant, & quasi columbæ, &c. ibid.c.6.n.17.& c.10.n.64

Ponam te in superbiam sæculorum. p.1.c.7.n.110

66. Et ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui saluati fuerint ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes sagittas. ibid.n.52

IE-

IEREMIAS.

*Cap.*2. Ego autem plantaui te vineam electam. p.1 c.4.n.75

13. Tu enim docuisti me aduersum te & erudisti in caput tuum. ibid.c.7.n.69.fin.

15. Non fæneraui, nec fænerabit mihi quisquam. ibid.n.1

16. Et cum annunciaueritis populo huic. ibid.

18. Descendi in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam. ibid.n.52

21. Verbum, quod factum est ad Ieremiam à Domino filium Melchiæ. ibid.n.1

EZECHIEL.

*Cap.*3. Comede volumen istud. p.1.c.7.n.75

DANIEL.

*Cap.*12. Qui ad iustitiam eruditunt multos, fulgebunt sicut stellæ. ibid.c.4.n.81

OSEAS.

*Cap.*14. Ibunt rami eius, & erit quasi oliua gloria eius, & odor eius vt libani. ibid.c.7.n.52. & 83

IOEL.

*Cap.*3. Concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas. ibid.c.7.n.51

NAHVN.

*Cap.*2. Ascendit qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem. p.2.c.10.n.77

Clypeus fortium eius ignitus. ibid.

ZACHARIAS.

*Cap.*2. Audi Iesvs Sacerdos magne, tu, & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt. p.1.c.7.n.113

4. Et ecce Candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud. ibid.n.62

MALACHIAS.

*Cap.*4. Orietur vobis timentibus Nomen meum Sol iustitiæ. ibid.c.4.n.81

EX NOVO TESTAMEN.

MATTHÆVS.

*Cap.*4. Vidit duos fratres: & ait illis: venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. p.1.c.7.n.53

9. Messis quidem multa, operarij autem pauci. ibid.c.4.n.2

10. Gratis accepistis, gratis date. p.2.c.10.n.79

11. Venit Ioannes Baptista neque manducans, neque bibens, & dicunt Dæmonium habet. p.1.c.7.n.44

Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini. ibid.

13. Venit inimicus homo, & superseminauit zizania in medio tritici. ibid.c.4.n.4

Grano synapis, quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creuerit, &c. ibid.c.7.n.27

16. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam. ibid.n.28

20. Dixit Dominus vineæ procuratori suo, voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouissimis, vsq; ad primos. ib.n.52

22. Diliges proximum tuum sicut teipsum. p.2.c.10.n.2

24. Quo-

24. Quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. p.1.c.4.n.3

Surgent enim pseudo Christi, & pseudo-Prophetæ,& dabunt signa magna, & prodigia. ibid.c.7. n.44

25. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. ibid.n.52

Domine quinque talenta tradidisti mihi. ibid.c.3.n.1

26. Iesus autem tacebat.p.2. c.10.n.79

27.Et ecce velum Templi scissum est in duas partes. p.1.c.7. n.55

MARCVS.

*Cap.*1. Quid nobis, & tibi IESV Nazarene ? venisti perdere nos? scio qui sis sanctus Dei. p.3. c.5. initio ante n.1

9. Qui enim non est aduersum vos, pro vobis est. p.1.c.4 n.4

16. In Nomine meo Dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis. p.2.c.10.n.77

LVCAS.

*Cap.*1. Ipse præcedet ante illum in spiritu.& virtute Eliæ.ibid.

2. Nunc dimittis seruum tuũ, Domine. ibid.

10. Misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum. p.1.c.7.n.28

Mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suã: & huic erat soror nomine Maria. ibid.n.107

Optimam partem elegit sibi Maria. p.3.c.1.n.1.ad fin.

12. Et lucernæ ardentes in manibus vestris. p.1.c.7.n.94

Ignem veni mittere in terram. ibid.n.103

22. Ego autem rogaui pro te, vtnon deficiat fides tua.ibid.n.76

IOANNES.

*Cap.*1. Rabbi vbi habitas? dicit eis, venite, & videte. p.1.c.7. n.113

9. Fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius. ibid.n.43

10. Vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi filius Dei sum. ibid.n.44

13. Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. p.2.c.10.n.2

Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. ibid.

19. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum : dixerunt ergo ad inuicem : non scindamus eam p.1.c.7.n.53

ACTA APOSTOLORVM.

Cap. 2. Cum complerentur dies Pentecostes erant omnes pariter in eodem loco. ibid.n.111

AD ROMANOS.

Cap. 10. Quam speciosi pedes Euangelizantium pacẽ. ibid.n.78

I. AD CORINTH.

*Cap.*1. Fidelis Deus, per quem vocati estis in Societatem filij eius Iesu Christi. p.2.c.10.n.55

3. Cum sit inter vos zelus, & contentio : nonne carnales estis. p.1.c.4.n.4

Ego plantaui, Apollo rigauit ; sed Deus incrementum dedit. ibid.c.7.n.28

15. Abundantius illis omnibus laboraui. ibid.n.94.& ibid. c.4.n.71

II. AD CORINTH.

Cap 8. Cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. p.1. c.7.n.127

12. Datus est mihi stimulus carnis meæ. ibid.n.43

AD GALATAS.

Cap. 6. Ego autem stigmata Domini in corpore meo porto. ibid.n.29

AD EPHESIOS.

Cap. 6. Et gladium spiritus, quod est verbum Dei. ibid.n.11

AD PHILIP.

Cap. 1. Siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur,& in hoc gaudeo.ibid. c.4.n.4

AD HEBRÆOS.

Cap. 10. Cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam. p.2.c.10.n.56

APOCALYPSIS.

Cap. 1. Vidi septem candelabra aurea, &c. p.1.c.7.n.62

Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat. ibid.n.75.& 114

3. Et Angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe. Hæc dicit sanctus, & verax, qui habet clauem Dauid. ibid.n.1. & p.2 c.10. n.49

Ecce dedi coram te ostium apertum. p.1.c.7.n.1

Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis. ibid.n.1

Qui vicerit faciam illum Columnam in Templo Dei mei.ibid.

Cap. 4. Et in circuitu Sedis viginti quatuor seniores sedentes. p.2.c.10.n.56

7. Vidi turbam magnam,quam dinumerare nemo poterat. ibid. n.78.& p.1.c.7.n.95

9. Et quintus Angelus tuba cecinit, & vidi stellam de cælo cecidisse in terram. p.1.c.7.n.94

Et de fumo putei exierunt locustæ in terram. ibid.n.1

10. Accipe librum, & deuora illum. ibid.n.75

12. Mulier amicta sole,& luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.ibid. c.4.n.81.& p.2.c.10.n.62

Et in vtero habens clamabat parturiens. p.1.c.4.n.81

14. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt : hi sequuntur agnum quocumque ierit. ibid.c.7. n.77

Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem filio hominis. ibid.n.1

16. Et vidi de ore Draconis, & de ore bestiæ spiritus tres immundos in modum ranarum.p.2. c.10.n.42

21. Vidi sanctam Ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo. p.1.c.7.n.111

Et lucerna eius est Agnus.p.2. c.10.n.56

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX RERVM:

Cuius prior numerus, & P. Partem: Secundus, & C. Classem: Tertius, & N. Numerum indicat.

A.

ALEXANDER VII. *Vix tenuerat totius Ecclesiæ clauum, & aureâ amoris sui clauе Societati portam in Serenissimam Ditionem Venetam aperit. Constat ex literis ad ipsam peregregijs* p.1.c.1.n.15. *Constitutionem edidit reuocatoriam alterius ab Innocentio X. editæ super regimine Triennali Societatis.* ibid.

ANGELI, *Aliquos ad Societatem vocant, iam peccatorum expiandi, iam consilij petendi gratia; alios ad illam mittunt.* p.3.c.3.n.3. *ad 7. Mirabilis eorum visio canentium gloriam S. Ignatio, Xauerio, & Missionarijs Societatis.* ibid.n.8

APOLOGIA. *Vide verb.* Literę in defensionem Societatis *& præcipuè* p.2.c.10.n.10. ibid. n.15. *&* 42. *&* 80. *&* 81.

B.

BELLARMIN. *Cardinalis laudatur.* p.1.c.7.n.52. *&* 77. *&* 92. *Et ab Hæreticis.* p.2. c.11.n.45

BORGIA *Romam à Pio IV. auocatur diplomate perhonorifico ipsius, & Societatis.* p.1.c.1.n.5. *Benignum se illi præbet Pius V.* ibid.n.6. *Gratulatio Stanislai Hosij Cardin. de eius in Generalem electione.* ibid.c.3.n.16. *Et Joannis de Ribera Archiep. Valentini.* ibid.c.4 n.18. *Quantum Borgia à Cæsare Carolo V. æstimatus.* p.2.c.1.n.1

BVLLÆ *Apostolicæ: Vide* Literæ.

C.

S. CAROL. BORROM. *Societatem satis commendat ex Collegiorum vtilitate, & ex filiorum erga proximos charitate.* p.1.c.3.n.1. *Eius in Societa-*

tem beneuolentiæ signa: & exercitiorum existimatio. ibid.

CAROL. V. *Imperator cum Borgia de rebus Societatis discutit: & de calumnijs contra ipsam: quibus discussis calumniatores sibi mentitos tandem exclamat: & Societatis se adiutorem fore pollicetur: & in morte Borgiam testamentarium adscribit.* p. 2. c. 1. n. 1

CASTITAS: *Societatis commendatur.* p. 1. c. 1. n. 5. *Vnum in ea singulare, & quid?* ibid. n. 7. *Et vel ab Hæretico quantum laudata.* p. 2. c. 11. n. 11. & 26. & 44

CHRISTVS DOMINVS *se Ignatio, & Socijs propitium Romæ pollicetur.* p. 3 c. 1. n. 1. *Eosque festum sibi agere in Eucharistiæ administratione, testatur: & vt pupillam oculi amat Societatem: & ad eam multos vocat. In ea morientes obuius in cælo excipit* IESVS: *quod singulare Iesuitarum priuilegium est: singularissimus alter erga Societatem Christi Domini fauor: nec minor fuit quod eius imago marmorea Societatis labores toto corpore deplorauit.* ibid.

CLEMENS VIII. *Societatis Homines Euangelium in Iaponiam intulisse, fideique amplectendæ Auctores extitisse, asserit.* p. 1. c. 1. n. 10. *Et cum aliqui euulgarent, se Societati contrarium, respondit, mentiri plane, semper enim existimauit, Societatem esse Brachium Dextrum Ecclesiæ. Eam in Polonia restitui curauit; existimans murum opponi firmiorem pro domo Dei non posse: quod idem curari iussit in Gallia.* ibid.

CLEMENS IX. *S. P. Ignatium colit, ac veneratur: Societatem fouet, ac fauet.* ibid. n. 16

COLLEGIA SOCIETATIS.

Acies sunt ad Hæreticorum ausus retundendos. p. 2. c. 5. n. 6

Arces contra Hæresim. p. 1. c. 3. n. 20

Decus Ciuitatum. ibid. n. 23

Examina eruditorum virorum. ibid. c. 4. n. 31

Firmamenta Religionis per Italiæ oras. ibid. c. 3. n. 1

Fontes Sapientiæ. p. 2. c. 10. n. 78

Lumina doctrinæ, & sapientiæ lucidissima. p. 1. c. 7. n. 28

Mare literarum prope immensum. p. 2. c. 10. n. 78

Necessaria ad Religionem Catholicam conseruandam, ac restituendam. ibid. c. 5. n. 1

Præsidia Ciuitatum. ibid.c.4. n.5

Propugnacula fidei firmissima. p.1.c.3.n.18

Riuuli salutares aquarum doctrina Ecclesiam fœcundantes. p.2.c.10.n.78

Seminaria iuuandæ Ecclesiæ præstantia. p.1.c.1.n.15

Vtilia magnopere animarum saluti, fideique Catholicæ propagandæ. ibid.n.6

Vtilissima vrbibus præsertim hæresum peste infectis. ibid.

COLVMNA *Parisiaca in Societatis infamiam erecta, in maius eius decus destructa.* p.1.c.1. n.13.& c.7.n.95

CONCEPTIO B.V. *immaculata quàm acriter à Societate propugnata.* p.1.c.7.n.100.& 112. & 117. & p.2.c.10.n. 48

CONCILIVM *Tridentinum laudat Institutum Societatis:* & IESV *Nomine insigniri voluit.* p.1.c.2.n.1. *Tarraconense eamdem, & Ignatium miris laudibus extollit.* ibid.n.2

CONGREGATIO *Societatis Generalis XI. gratias agit, Alexandro VII. ob reditum Societatis in Statum Venetum.* p.1.c.1. n.15. *Gratias agit Congregationi Cassinensi, & Lusitanæ Benedictinæ pro decreto contra Constantinum Caietanum in fauorem Societatis.* ibid.c.7.n.10. *Gratias etiam agit R.P.Fr. Ioanni Baptistæ Marinis Mag. Gener. Ord. Prædicator. Super aliqua decreta ad suum præclarissimum Ordinem, in nostri maximam beneuolentiam, & existimationem.* ibid.n.53. ad finem.

CONGREGATIONES *Sodalium commendantur.* p. 2. c. 8. n.6.

D.

DEIPARA: *Societatis nutrix in D. Ignatij conuersione: Aurei Exercitiorum libelli Magistra, & Constitutionum Societatis. Socios sub eius tegumento protegit, & contra sagam: Multos ad Societatem vocat variis apparitionibus: cuius ope vtitur ad Hæretici conuersionem.* p.3.c.2.per totam.

DIABOLVS: *Societatis homines miris laudibus extollit: & quantum illos & Ignatium Parentem timeat?* ibid. c.5. per totam.

E.

ECCLESIA *laudatur in Dedicatoria, per totam.*

ELOGIVM: *singulare Societatis est, omnes in ea morientes saluari; sic reuelatum, Cœnobiarchæ sanctissimo.* p.2.c.10.n.82

EVANGELIVM: *Quantum à Societatis hominibus vbique gentium propagatum. Vide verb.* Iesuitæ, Societas, Collegia.

EVCHARISTIA: *Est Paradisus delitiarum Dei: & quantum Socij in liberali eius administratione cor Christi Domini recreent, ipso attestante.* p.3.c.1. n.1

EXERCITIA *Spiritualia S. Ignatij commendantur.* p.1.c.1. n.1.ibid.c.3.n.1. ibid.c.4.n.23. p.2.c.10.n.83. *Vide etiam verb.* S.Gabriel.

F.

S. FELIX *Nolanorum Patronus Socios ebuliente sanguine (siue manna è corpore) excipit.* p.3.c.4 n.4

FERDIN. II. *Imperator se Societatis filium semper appellabat: erga illam eius largitas, amor, & beneuolentia eximia: benignissimis testata literis: in Societatem ingredi optabat Cæsar: cuius puritatis famam à calumnijs vendicat: & illius amorem filijs hæredibus verbis perhonorificis testamento legat.* p.2. c.1.n.6. *& plura ibi.*

FRANC. *Rex Bungi literas ad Pontificem dat Societatis commendatitias: & obstat ne nostri à Regni sui finibus amandentur: nec prius quidquam aduersus eos, quam contra seipsum tentaturos aduersarios dicebat.* ibid.c.2. n.17

FRAN. TOLETVS *S.R.E. Cardinalis, quàm æstimatus à Pontificibus.* p.1.c.1.n.7. *& commendatus.* ibid.c.7. n.52. *& 77*

G.

S. GABRIEL. *Exercitia spiritualia S.P.Ignatij maximè commendat. Et B. Virginem eorum Magistram extitisse testatur.* p.3.c.3.n.1

GREGOR.XIII. *Varijs Bullis Societatem commendat, & Socios, quos iam Vineæ Domini palmites, iam Ecclesiæ nauiculæ validos remiges appellat. In Societate tria singularia obseruat, animi demissionem, Vnionem, & Castitatem. Mira eius in Societatem beneuolentia; & præcipuè in Collegij Romani institutione: Toletum, & Palmium sibi Concionatores eligit; De Societate præclarè*

præclarè sentit, ac loquitur: & dolet Collegiorum paucitatem. Pœnitentiariam à Societate relinqui non patitur: Corsicam Socios destinat: Collegium Illyricum Societati tradit: & Lauretanam Domum: ac Socios filiorum loco habet. p.1.c.1.n.7. *Et plura ibi.*

GREGOR. XIV. *Societatem diuina prouidentia excitatam sentit; adeo vt eius turbatio ad commune Ecclesiæ damnum, pax, & integritas ad eiusdem vtilitatem pertineat. Eam pro Apostolicæ Sedis præsidio, contra eius impugnatores habet. Institutum laudat, & Priuilegia confirmat: Et* IESV *Nomen perpetuò retinendum decernit.* ibid.n.9.per totum.

GREGOR. XV. *Quanti Societatem fecerit constat ex Bulla ann.*1622. *Et ex literis ad Carolum Lotharingum Episcopum Dirdunensem, cum hic facultatem ineundæ Societatis fieri sibi ab Apostolica Sede postularet: & ex eis, quæ publico Consistorio de Ignatio Parente Sanctissimo, & de Xauerio Indiarum Apostolo, dixit, priusquam Catholicis aris, Templis colendos admouerit.* ibid. n.12.per totum.

GYMNASIA. *Vide verb.* Collegia, Societas: Hæretici. *qui ea, siue Societatis Scholas mire laudant.* p.2.c.xi. *præcipuè* n.4. & 13. & 19. & 20. & 21. & 27. & 33. & 43. *Vide etiam verb.* Scholæ Societatis, *infra.*

H.

HENRIC. IV. *Rex Galliæ, & insignis Societatis Encomiastes, ac defensor: quam Musarum illicium vocabat. De ea Henrici (inter alia multa) celebre dictum. Ille pro Societate in Gallias restituenda in ipso Senatu Parisiensi, militari, qua pollebat eloquentia perorat: & ad rationes contra eam adductas, egregie respondet: & tandem eius decreto restituta Societas: & Pyramis diruta, in eius infamiam erecta: & tandem Cor suum in amoris pignus Societati testamento legat.* p.2.c.2.n.8. *& plura ibi.*

HENRIC. I. *Rex Lusitaniæ & Cardinalis Societatem contra calumniatorum, defendit, & Socios per suæ Diœcesis oppida spargit: & Collegium antea Clericis destinatum tradit: duplicemque aliam domum & pluribus amplificatis, Collegium Olysipponense fundat: & Eborense sibi*

sibi in domicilium eligit: Societatem successoribus supra alios Ordines testamento commendat: & Pontifici, & Cardinali literis perhonorificis: quam vt oculi pupillam æstimabat. ibid.n.13. per totum. *Et ibi plura.*

HÆRESIS, *quàm fortiter à Iesuitis impetita.* p.1.c.1.n.5. & n.12. ibid.c.3.n.16.& 20.ibid. c.4.n.57. ibid,c.5. n.7. ibid.c. 7. n.15. & 27. & 56. & 92. & 107. & 116. p.2.c.2.n.16.ibid. c. 3. n. 1. ibid. c. 5. n. 1. & 13. ibid. c. 6. n. 15. ibid. c. 8. n. 5. ibid. c. 10. n. 5. & 9. & 10. & 11. & 12. & 21. & 22. & 29. n. 42. & 47. & 52. & 56. & 66. *Vide* Iesuitæ.

HÆRETICI. *Multi encomijs extollunt Iesuitas; mores, literas, & Scholas Societatis.* p.2.c.11. *fere* per totam.

I.

IESVITÆ *commendantur: Adiutores sunt Antistitum strenuissimi.* p.1.c.1.n.11

Æacides inuicti, & infatigabiles è cælo missi. p.2.c.10.n.12

Æstuantes cælo ardentissimo contra Lutherum. p.1.c.7.n.56

Afflati Spiritu diuino vbique terrarum. ibid.c.3.n.1

Angeli pacis. ibid.c.7.n.84

Angeli Ecclesiæ Scalam perambulantes. ibid.n.102

Angeli veloces Isaiæ. p.2.c.10. n.64

Annunciantes Euangelium eò, quò nec ipsi Apostoli peruenerunt. p.1.c.4.n.57

Antesignani veræ fidei. p.2.c.8 n.11

*Apostoli magni Dei.*p.1.c.7.n.107

Ardentes in studio Religionis propagandæ. ibid.c.1.n.15

Bellatores, quibus vtitur Pontifex. ibid.n.3

Buccinatores præclarissimi Christianæ fidei. p.2.c.10.n.29

Canes Venatici Pontificis. ibid. c.11.n.46

Coadiutores Iesu Christi. p.1.c.7. n.111

Cohortes fortes contra Hæresim. p.2.c.6.n.24

Columbæ volantes Isaiæ. ibid. c.10.n.64

Columbæ Cælestes. p.1.c.7.n.45

Columna vera Ecclesiæ. p.2. c.9.n.4

Commilitones strenui Ord. Præd. & optimè de Ecclesia meriti. p.1.c.7.n.53

Copiæ auxiliares Episcoporum, pietate, ac eruditione præstantes. ibid.n.24

Cul-

Cultores nouissimi vineæ Domini. ibid.n.52
Defensores Ecclesiæ Dei. ibid.c.5. n.8.& p.2.c.10.n.15
Defensores extraordinarij Pontificis. p.3.c.11.n.39
Dimicatores strenui pro fide propaganda, & Hæreticis conuertendis. p.1.c.1.n.6
Dispensatores fideles religionis, ac sapientiæ. ibid.c.4.n.31
Ditantes suis scriptis Ecclesiam, innumeris voluminibus plenam. ibid.c.7.n.95
Duces pro fide armati. ibid.c.4. n.60
Duces fortissimi, sub quibus, vt sub Pyrrho Troya, hæresis peritura. p.2.c.10.n.12
Examina apum, quarum aculeos hæresis trepidat. p.1.c.4.n.73
Editi ad excitandum Regnum Papisticum. p.2.c.11.n.40
Eximij vita, & exemplo. p.1.c. 4.n.60
Filij Sanctitatis. ibid.c.7.n.93
Flagella vocalia Lutheranorum. p.2.c.11.n.38
Fluuij pene marcidum orbem virtute, & literis inundantes. ibid.c.10.n.78
Fundatores fidei per Europam, & Indiam. p.1.c.7.n.45
Gens verè magna. ibid.n.116
Gladij ancipites ex ore Dei prodeuntes. ibid.n.114
Hercules sunt in rebus exequendis. ibid.n.11
Heroës sublimes, & admirabiles: p.2.c.6.n.1
Homines Catholicæ, & excellentissimæ doctrinæ. ibid.c.10.n.5
Hostes Euangelij Hæreticorum. ibid.c.11.n.41
Idæa priscorum, ac Sanctorum Patrum simillima. p.1.c.4.n. 53
Impugnatores ignorantiæ, & impietatis acerrimi. ibid.c.7.n. 50. *Et contra Antichristum in vltimo conflictu.* ibid.n.51
Incumbentes continuo ac laudabiliter verbi Dei ministerijs, ac pietatis operibus. ibid.c.1. n.7
Inserentes vberem messem in horrea Domini. ibid.c.7.n.52
Inflammati Dei zelo. p.2.c.10 n.40
Infringentes summa eruditione, ac vitæ innocentia Hæreticorum pertinaciam. ibid.c.5.n.1
Instrumenta prima diuinæ gloriæ. p.1.c.4.n.6
Leones vigiles Salomonis. p.2.c. 10.n.56
Lincei in rerum penetratione. p.1. c.7.n.11

Lumina huius sæculi. ibi.c.3.n.6
Magistri calamo, voce, & exemplo. ibid.7.n.111
Mancipia Papæ. p.2.c.11.n.46
Mercurij cælestes. ibid.c.10.n.78
Milites strenui pro religione innumeras reportantes victorias. p.1.c.4.n.73. *Et strenuissimi in Hæreticis, & infidelibus reducendis.* ibid.n.35. *Et fortissimi rediuiuam hæresim oppugnantes.* p.2.c.10.n.24. *Et quibus Pontifex debet tanquam suis militibus stipendium pendere.* p.1.c.3.n.13
Missi cælitus ad propagandam, propugnandamque labentem Ecclesiam. p.2.c.10.n.32
Mœnia Ecclesiæ vrbem excelsam ad tutelam ambientia. ib.n.56
Nubes diuinæ. p.1.c.7.n.45. *Et volantes Isaiæ.* p.2.c.10.n.64
Operarij æterna mercede digni. p.1 c.1.n.7. *Et vtiles ac fructuosi in Ecclesia Dei.* ib.n.13. *Et in vinea Christi fideles.* ib.n.15. *Et summe necessarij his temporibus Ecclesiæ Dei.* p.2.c.5.n.4
Oracula Cælestia consilio indigentibus. ibid.c.10.n.78
Orbes cælestes. p.1.c.7.n.11
Ornantes suis calamis Dei Tabernaculum. ibid.n.107
Ornati vexillis albis in cælo, ibid.n.89
Palmites veri Christo per charitatem coniuncti. ibid.c.1.n.6. *& frugiferi in vinea Domini toto Orbe diffusi in animarum salutem.* ibid.n.7
Papicolæ: vulgari paræmia. p.2. c.11.n.38
Pestis Lutheranorum Capitalior. ibid.n.29.& 31
Piscatores hominum ab Aquilone ad Austrum, retia tendentes. p.1.c.3.n.1
Præcones Euangelici. p.2.c.10. n.78
Prædicatores optimi. p.1.c.1.n.6
Præsidia contra Hæreticos firmissima. p.2.c.10.n.79
Primipilares Pontificis. ibid.c. 11.n.10
Propugnacula fortia aduersus hæreses. ibid.c.6.n.23. *Et fidei, ab Hæreticis frustra impetita.* ibid.c.10.n.29. *Et cum quibus Hæretici nunquam inducias faciunt* ibid.n.10
Prosequendi præ cæteris Ord. maioribus fauoribus, & quare? p.1.c.1.n.5
Quam simillimi Apostolis. ibid. c.4.n.29
Quorum studio, labore, ac diligentia Ecclesia Romana in septentrione nutans sustinetur. p.2.

p.2.c.10.n.15|
Quorum doctrina, & sanguine diues Oriens. ibid.n.58
Quibuscum disputare, Hæreticis interdictum. ibid.c.11.n.2
Quibuscum, tormentis potius quam argumentis certandum. ibid.n.5. *Et satius cum Dæmone, quàm cum illis congredi.* ibid.n.15
Quorum opera fit, ne Hæreticorum fluctibus Anglia, & Gallia restagnet. ibid.n.17
Quibuscum, nec ipsi Caluino ab inferis excitato disputandi facultas conceditur ab Hæreticis ibid.n.47
Ranunculæ illi sunt pro Pontifice coaxantes. ibid.n.42
Reficientes quassatos vineæ Domini muros. ibid.c.5.n.1
Refulgentes inter huius sæculi tenebras. p.1.c.7.n.18
Remiges validi Ecclesiæ. ibid.c.1.n.7
Reparatores fidei in Orientali India. ibid.c.7.n.45
Replentes sua odoris fragrantia Orbem. ibid.n.69
Restituentes florentissimam Germaniam ad antiquam religionis puritatem. p.2.c.10n.5
Sal terræ Iesuitæ sunt. p.1.c.5.n.8
Satores Germanæ doctrinæ. p.2.c.8.n.11
Seniores ante Dei Thronum armoniosis sacrarum Concionum Cytharis suauissimum diuino Agno concinentes carmen. ibid c.10.n.56
Seraphim alarum suarum tegumento fidei Arcam contegentes, ac protegentes. ibid.
Serui vtiles in Domo Domini, & imprimis opportuni augendis traditis ab eo talentis. p.1.c.1.n.15
Socij strenuissimi contra Lutherum, & sequaces. p.2.c.10.n.47
Solertes in doctrina excolenda, & moribus informandis. ibid. c.11.n.4
Soles versantibus in tenebris. ib.c.10.n.78
Spirantes inflammatum in Christi plebem amorem. ibid.n.5
Stellæ Firmamenti Societatis. p.1 c.7.n.103. *Charitatis igne Ecclesiam illustrantes.* ibid. n.11. *Et accensæ æternitati.* p.2.c.10.n.31
Sustentacula Sedis Apostolicæ. ibid.c.11.n.36
Tonitrua Cælestia. ibid.c.2.n.21. *vitijs consopitum orbem excitantia.* p.1.c.7.n.78
Tubæ cælestes. p.2.c.10.n.78

Tutelares Hominũ. p.1.c.3.n.25
Velites expediti ad lucrandas animas, vndique excurrentes. p.2.c.2.n.14
Viatores omni tempore parati vel ad extremas orbis regiones. p.1.c.1.n.7
Viri scientia ac religione perspicui. ibid. n.6. *Et virtutibus fortissimi, ac robustissimi.* ibid. n.11. *Pietate, & doctrina insignes.* ibid.n.14
Viuentes vitam exemplarem, & Apostolicam. ibid.c.7.n.64
Vtiles toti Christianæ Reip. adeò, vt nihil illis nostra ætas eruditius, aut religiosius tulerit. p.2.c.10.n.16
Zelatores indefessi Religionis propagandæ. p.1.c.1.n.5
IESVS: *Nomen est, quo Societas insignitur: & quare?* p.1.c.1.n.5. *Illo Auctore excitata.* ibid. *Eius est vexillum militare:* ibid.n.7. *& perpetuo retinendum.* n.9. *& à Tridentino confirmatum.* ibid.c.2.n.1. *Est Regium Nomen.* ibid.c.4.n.59. *Est lignum vitæ Paradisi Societatis.* ibid.n.72. *Omnes hostium cuneos territat, ac prosternit.* n.73. *sub* IESV *Nomine Societas prædicta multis retro sæculis.* ibid. c.7.n.1. *Eius nobilitatis est signum.* n.28. *Illud non superbiæ, aut arrogantiæ tribuendum, sed à Sede Apostolica datum, & confirmatum.* n.44. *& quare datum?* n.57. *Lampas est Candelabri aurei Societatis.* n.62. &sol.n.69. IESVM *Agnum Virgines sequuntur, ideo illo insignita Societas.* n.75. *supra ipsum fundata.* n.83. *A* IESV *nominatur, quia Saluatoris socia in opprobriorum tolerantia.* n.107. *Non est in Societate vacuum* IESV *Nomen, sed flores, & fructus vberrimos parturit.* n.108. *Illa ob filij Nomen excellentiam Matris sine labe concepta buccinat.* n.112. *Est Societas illa Prophetarum sub* IESV *magno Sacerdote.* n.113. *Militat sub tanto Nomine ad occurrendum Caluinistis.* p.2.c.10.n.24. *Illud ad extremum orbis diffundit.* ibid.n.29. *Est Prædestinatorum stemma.* n.77. *& Societatis clypeus contra Dæmonem: & scutum, quo armata vel gigantes aduersarios prosternit: sub hoc clypeo Societas triumphat, vincit, ac crescit.* ibid.
S. IGNATIVS *Societatis Fundator: Abrahamus est alter obedientia.* p.1.c.3.n.20 *Amplificator Christiani Imperij.* ibid.c.5.n.7

Ange-

Angelus septimus Apocalipseos diuinæ protectionis nube velatus: ibid.c.2.n.2
Antidotum contra Lutherum. p.2.c.10.n.10
Artifex sapiens Ædificij Societatis. p.1.c.7.n.83
Atlas Orbem fulciens humeris doctrinæ, & pietatis. ib.c.2.n.2
Atleta fortissimus contra Lutherum. p.2.c.10.n.47
Baptista alter pœnitentia. p.1.c.3.n.20
Caput nouorum Apostolorum. p.2.c.10.n.78
Cinosura Religiosæ Philosophiæ. p.1.c.7.n.15
Cælum quinque zonis præcinctum. ibid.n.11
Collustratus cælesti lumine ad instituendam Societatem. ibid.c.1.n.3
Columen magnum Ecclesiæ. ibid.c.7.n.6. *& firmissimum.* n.76
Datus mundo diuinitus in Caluini, & Lutheri oppositionem. n.119
Decus totius Hispaniæ. ibid.c.6.n.1
Defensor Ecclesiæ. ibid.c.5.n.7
Dux eorum qui portant Sanctiss. IESV *Nomen coram gentibus.* ibid.c.1.n.13. *Et nouæ militiæ de cælo lapsæ.* ibid.c.2.n.2. *Et Cohortis prætoriæ inter cæteras strenuissimæ.* ibid.c.7.n.8. *Et validi exercitus Hæresi bellum facientis.* p.2.c.10.n.12. *& fidei.* p.1.c.7.n.125
Ethna diuini amoris. ibid.n.69
Exemplum illustris sanctitatis. ibid.n.47
Extendens vltra vnius ævi terminos operam suæ pietatis. ibid.c.1.n.12
Franciscus alter humilitate. ibid.c.3.n.20
Fax sacra Germaniæ. p.2.c.11.n.38
Figuratus in Simone Oniæ filio. ibid.c.10.n.78
Filius dilectus, in quo Deus sibi complacuit. p.1.c.2.n.2
Fundator nouæ Ecclesiæ Apostolicæ æmulantis. ibid.c.7.n.125
Gerens animum Mundo maiorem. ibid.c.1.n.12
Gigas in fundanda Societate. p.2.c.10.n.1
Gloria Libani odore virtutis. p.1.c.7.n.52
Granum Sinapis crescens in arborem; cuius rami toto orbe diffusi. ibid.n.27
Gubernator secundus ab Apostolis Ecclesiasticæ Nauis. p.2.c.10.n.78

Habens maiorem Dei gloriam vti symbolum semper in ore. p.1. c.1.n.13
Hostis acerrimus Hæreticorum. ibid.c.5.n.7
Ignis Cælestis. ibid.c.7.n.77
Indutus cælesti clamide, militibus suis præfulget. ibid.c.3.n.6
Insignis virtutibus. p.2.c.10. n.47
Institutor diuinus operis eximij. p.1.c.1.n.3
Joannes alter Euangelista in diligendo Deo. ibid.c.7.n.90
Iosias nostri temporis. ibid. n.125
Lucifer matutinus, cuius splendoribus etiam remotissimæ Orbis Prouinciæ illuminatæ. ibid.n.8
Lumen Ecclesiæ. ibid.c.3.n.15
Luminare maius Orbis Christiani. ibid.c.7.n.103
Magister fidei. ibid.n.123
Martinus alter paupertate. p.1. c.3.n.20.
Martyr in otio. ibid.c.7.n.125
Munimen Ecclesiæ perpetuum. p.2.c.10.n.21
Natus verè hominibus iuuandis. ibid.n.69
Oliua fructifera in Domo Dei. p.1.c.7.n.52
Ornamentum Hispaniæ. ibid.c. 6.n.1
Parens felix progeniei felicis. ibid.c.7.n.71. *Et communis omnium.* ibid.n.125
Patriarcha magnus Ecclesiæ. ibid n.116
Paulus alter commutatione vitæ. ibid.c.1.n.20
Pharus accensa in huius vitæ pelago ad ignorantiæ tenebras depellendas. p.2.c.10.n.78
Plenus Spiritu Sancto in Societate instituenda. p.1.c.7.n.128
Prodigium sanctitatis. ibid.n.15
Propugnator Reip. Christianæ. ibid.c.2.n.2. *& Ecclesiæ acer propugnator, ac defensor: & sanctæ Inquisitionis affectissimus.* ibid.c.5.n.7
Restaurans in Ecclesia Dei collabentia virtutum ædificia. ibid.c.7.n.128
Sagitta è diuina pharetra emissa. ibid.n.52
Seraphicus nomine. ibid.n.69
Sol splendens inclytæ Societatis. ibid.n.121
Specula in Catholicæ Ecclesiæ summo vertice collocata. ibid. c.10.n.78
Speculum prudentiæ. ibid.c.7. n.43
Spiritus salutis. ibid.c.2.n.2
Successor Pauli. ibid.c.7.n.6
Tertius collabentis Mundi sustentator. ibid.n.52

Thau-

Thaumaturgus miraculis. ibid. c.3.n.20

Thesaurus Communis orbis terrarum. ibid.

Thomas alter Aquinas Castitate. ibid.

Turris pactionis ad Ecclesiæ munimentum. p.2.c.10.n.78

Vas electionis ad mundi conuersionem. p.1.c.7.n.6

Vexillifer Æterni Regis. ibid.c.3. n.6

Vir verè præelectus à Domino. ibid.c.1.n.13

Vitis abundans adeò crescens in filijs, vt vbique ramos extendat. ibid.c.7.n.52

INSTITVTVM *Societatis laudatur.* p.1.c.2.n.1.ibid. c.4.n.57. ibid.c.5.n.2.p.2.c.2. n.14. ibid. c.5. n.9. ibid. c.10. n.26.& n.27.ibid.c.11.n.48.& p.3.c.1.n.1. *Vbi à Christo Domino dicitur, quod ab Æterno suo Patre eiusmodi prodierit Societatis Institutum.*

S. IOAN. EVANGEL. *singularis eius fauor erga Societatem: Cuius nomen aureis notat literis, vt adolescentem ad eam adducat.* p.3. c.4.n.2. *Ioannes, & Ignatius in Spiritu, & Dei amore, quam similes.* p.1. c.7.n.90

IOAN. III. *Lusitaniæ Rex se totam Societatem (si ad Lusitaniam veniret) suis expensis sustentaturum, dicebat. Illam Regijs Magistratibus, & Pontificibus commendabat: & nostrorum curæ totius Orientis conuersionem committit, quos Apostolorum glorioso nomine condecorat: (quod hactenus in toto illo Lusitano Regno perseuerat.) Quantum Regi pientissimo debeat Societas tum in Lusitania, tum in India.* p.2.c.2.n.11.per totum.

IVLIVS III. *Societatem contra Archiepiscopum Toletanum defendit: Cuius contra Societatem decreta iubet reuocari; & eam amari à toto orbe testatur: sed falsa suspicione irascitur: & tandem Regis Romanorum placatur literis. Ignatium Parentem accersit, & benigne alloquitur: suumque patrocinium Societati promittit: & annuos redditus Romano Collegio; etiam Salmantino. Cæsaraugustæ nobis domicilium donat: & Ignatium ad se iubet accurrere, quoties Professa domus in egestate sit. Tria Collegia apud Turcas collocari statuit: & necessariam ad conuersionem Hæreticorum reputat Societatem quam Bullis præclaris in eius commendatio-*

dationem illustrat. p.1.c.1.n.2. per totum: *& plura ibi.*

LAINES *Creatur Generalis Societatis: & laudat Pius IV. Comitiorum exitum, eius creationem, & Societatem.* p.1. c.1. n.5. *Eum Cardinalis Augustanus exequijs honorificis honestauit Dilinga, celebrauit emortuum: de quo Pontifice creando actum in Conclaui, dixit: & crearetur, nisi fugam arriperet.* ibid.c.4.n.5. *In Tridentino Concilio pro sapientiæ Oraculo habitus.* p.2.c.10.n.31

LITERÆ *In commendationem Societatis.* p.1.c.1.n.5.& 6. & 15. ibid. c. 3. n. 11. & 17. ibid. c.4. n.17. & 23. & 26. & 74. & 78. ibid.c.5.n.8. ibid.c.6. n.1. ibid. c.7.n.2.& 18.& 53. & 89. & 125. p. 2. c.1. n.3. & 4. ibid. c.2. n.1. & 2. & 4. & 9.& 11. & 13. & 14. & 15. & 17. & 18. & 19. & 21. & 27. ibid.c.8. n.4. ibid.c.4.n.2.& 3 ibid.c.5. n.1. & 2. & 4. & 13.& 17. ibid. c.7.n.5. & 7. & 9. ibid.c.8.n.6. & 11. & 12. ibid. c.9.n.1.& 5. ibid.c.10.n.1.& 17.& 27.

LITERÆ *In defensionem Societatis.* p. 1. c.1. n.5. ibid. c.4. n.4.& 5.& 21.&.27.& 59. ibid. c.5. n.1. ibid.c.6.n.2. ibid.c.7. n.5. &9. & 10. & 27. & 40.& 43. & 44. p.2.c.1.n.6. ibid.c.2. n. 17. ibid. c.4. n.7. ibid. c.6. n.1. & 5. & 7. & 13. & 20. ibid. c.8.n.1.& 2. ibid.c.10.n.10.& 15. & 42. & 79. *Vide etiam supra verb.* Apologia.

LVDOV. XIII. *Rex Galliæ Patris sui decretum de restituenda in Gallias Societate, confirmat.* p.2.c.2.n.9. *& S.P. Ignatij Canonizationem enixe petit: Cui per honorificam in Monte Martyrum inscriptionem ponit: & Societatem hæresum destructricem, & fidei Catholicæ amplificatricem appellat.* ibid.

LVDOV. XIV. *eius filius vniuersitatem ab Hæreticis ablatam Societati tradit.* ibid.n.10

LVDOV. *Princeps Lusitanus, & Joannis III. Regis frater socijs adnumerari expetit, perfecturus haud dubio nisi Ignatius restitisset.* p.2.c.4.n.6

M.

B. MAGDALEN. DE PAZZIS *Carmeli gloria, insignem de S.P. Ignatio visionem habet.* p.1. c.7. n.90. *Et à Sereniss. Maria Regi Galliæ Henrico IV. desponsata reditum Societatis in Gallias ardenter precatur, tanquam vnum ex*

ex magnis obsequijs in illius Regni beneficium: ob idque promittit prolem masculam. ibid.

MARCEL. II. *Societatis homines, milites suos, ac bellatores nominat: ac duos Theologos apud se habendos postulat: eos ad dignitates Ecclesiasticas expetebat, nisi Ignatius oppositum sentiret. Hunc, & Societatem miris laudibus extollebat: qua recreabatur, & opus eximium appellabat.* p.1.c.1.n.3

MARGARITA *Hispaniæ Regina, & vera Societatis mater in Salmantini Collegij fundatione.* p.2.c.2.n.2. *Tantus erat eius erga Societatem amor, vt pro ea mercenaria fieret apud Indos:* ibid. *quam Proregibus, ac Prætoribus commendabat.* ib.n.3 *& vt conseruatricem in Germania Catholicæ Religionis testamento commendatam reliquit.* ib.

MARIANA *Hispaniæ etiam Reginæ, ac Margaritæ auiæ in amore Societatis æmula, duas illi Cathedras Theologiæ in vniuersitate Complutensi, ac Salmantina fundat: & quam bene de toto Ordine loquatur, ac sentiat.* ib.n.4

MARTYRES *Societatis laudantur.* p.1.c.7.n.78. & 107. & 116. & p.2.c.6.n.21. ibid.c.10. n.31. & alibi.

S. MICHAEL *Sociorum aduentum in Regnum Mexicanum prædixit.* p.3.c.3.n.2

MISSIONES *Societatis commendantur.* p.1.c.1.n.14. ib.c.4. n.44. & 73. & 74. ib.c.7.n.1. & 7. & 11. & 28. & 83. p.2.c.5.n.12. ib.c.6.n.15. ib.c.10.n.69. p.3. c.3.n.8. *vbi mira describitur Angelorum visio, Missiones, ac Missionarios Societatis laudantium, & canentium gloriam.*

N.

NOMEN. Vide supra IESVS.

O.

ORDO: *Benedictinus in suâ Congregatione Cassinensi, decretum dedit contra Constantinum Caietanum in Societatis fauorem.* p.1.c.7.n.9. *& in Congregatione Lusitana alterum contra eumdem Constantinum, & asseclam Ioannē à S.Thoma.* ib.n.10

Carthusianus: in suo Capitulo Generali, peculiarem cum Societate vix nata germanitatem constituit. ib.n.18. *& Joanni Pinetæ filio Bætico, & scriptori celeberrimo, Anniuersarium perpetuū per totum Ordinem persoluendū assignat, & in Kalendarijs domorum singulariter scribendum.* ib.n.23

Dominicanus, in tribus Capitulis Generalibus: Valentino an. 1596. & an. 1644 & 1656. Romæ celebratis Societatem, eiusque ministeria, miris laudat encomijs, & vnionem inter vtrumque Ordinem stricte commendat. p.1.c. 7.n.53. per totum.

Franciscanus: in suo Capitulo Generali etiam Valentino an. 1565. celebrato, Societatem colit, & vinculis suæ charitatis constringit. ibid.n.54

Carmelitanus: Discalciatus in suo etiam Capitulo Generali Romæ habito, decreto in Societatis fauorem super scripta B.M. Teresiæ perhonorifico. ibid.n.99

P.

PARAQVARIA *Terra est, quã Societatis filij suo sanguine irrigarunt: ex quo mira fœcunditas, & fructus subsecuti.* p.2.c.6. n.20. *Societatem ex ea propulsasse fuit, virtutem, modestiam, religionem, & effrænis licentiæ frænum ablegasse.* ibid. *Prouincia Paraquaria Societatis plus omnibus laborauit.* p.1.c.4.n.71. *Eius zelus, & egregia opera commendantur.* ibid.n.74

PATER ÆTERN. *Filio suo commendat Societatem.* p.3.c.1.n. 1. *Et eius Instituti Auctor.* ibid.

PAVL.III. *Bullis præclaris Societatem confirmat, & extollit.* p. 1.c.1.n.1. *& Socios in Siciliam, destinat: suumque fauorem in perpetuum pollicetur: & se Societatis defensorem constituit, in fundatione præcipuè Collegij Salmantini: & contra Canum: exercitiorum libellum commendat: Collegium Germanicum contra hæreses instituit, & tradit Societati, quam digitum Dei vocat.* ibid.

PAVL.IV. *Quantus eius amor, & beneuolentia in Ignatium.* p.1 c.1.n.4. *Eius egregia verba ad Patres Congregationis in Societatis laudem: quam supra Christi Petrã fundatam ait: ad laborum constantiam, & ad mundi odia pro Ecclesia subeunda hortatur Socios: quos non ad delitias, sed ad laborem, & Crucem vocatos dicit: & multiplici benedictione replet. Eos ad se tanquam filij ad Patrem iubet accurrere, & tres Cardinales in Societatis curam intendere: sed ipse pro singulari eius Patrono, ac proprio Parente vult haberi.* ibid.

PAVL.V. *Societatem multipliciter laudat, & Religionem nunquam satis laudatam ait: & se illius vindicem futurum spondet: Adiutricem Antistitum, & ardentem*

tem in obsequio sacræ Tiaræ plane fatetur: & eius filios fortissimos, ac robustissimos virtutibus viros appellat. p.1.c.1.n.11.

S. PETRVS. *Ignatium è muro cadentem, & cruri fractum sanat, vt surgat Societas.* p.3.c.4.n.1. *Et Ioanni Fernandez filio cæli valuas aperit, cuius paupertatem cælestibus hominibus dignam asserit.* ibid.

PETRVS CANISIVS, *Tanti à Pontifice Pio IV. æstimatus, vt diceret, quod ille peteret, se gratissimo animo concessurum.* p.1.c.1. n.5. *Illum iubet Pius V. demandatam à Pio IV. legationem prosequi.* ibid. *Hæresis ictus Ecclesiæ Capiti in Germania imminentes, Societas (quæ Brachium Dextrum Ecclesiæ est) cum suo Canisio auertit.* ibid.c.7.n.92. *Ad eius sapientiam stupebat Germania.* p.2. c.10.n.31. *A Raynolda vidua sanctissima per visum ostensus est Canisius Socijs adiungi, antequam Societas Neomagum veniret.* ib.n. 59. *Eius fama in Vniuersitate Ingolstadiensi.* ibid.c.9.n.3

PHILIP. II. *Societatem in Belgium admittit, multiplici Collegiorum fundatione; quam ad extirpandas hæreses imprimis vtilem testabatur: & literis à Generali Societatis expetit ad Indicam expeditionem, ad Peruanam, & Mexicanam. Illam præsidium Belgicarum Ciuitatum vocabat, præ ipsis armis maxime idoneam: ab accusatoribus defendit, & ad morum reformationem eligit.* p.2. c.2.n.1. per totum.

PHILIP. III. *Societatem ad Gorgadas, & ad Sinas postulauit: & auctographas literas dedit pro fundandis per illud Regnum domicilijs quindecim, & victu Sociorum ter centum: Non minor eius liberalitas in Salmantini Collegij fundatione.* ibid. n.2

PHILIP. IV. *Pro Societate, & ardentissimo S. Xauerij Indiarum Apostoli amore, in lege Lusitanâ dispensat: & Academiam Imperialem Matriti erigit: & in Missione Castrensi Societatem defendit, quam anteponit militum armis; & commendat Proregi Peruano: & in Indorum spirituali administratione conseruari iubet.* ibid.n.4

PIVS IV. *Maioribus fauoribus præ cæteris Ordinibus prosequendam Societatem, dicit; & quare? & se vsque ad sanguinem fauturum aiebat. Literas in Societatis commendationem accipiens ab Hispano Rege, illis se*

neutiquam indigere, testatur. In Germania plurima Collegia desiderat: Et Romanum Hispano Regi commendat: & se Societatis Patronum, ac Protectorem declarat. Literæ Pontificis ad Imperatorem pro tuenda contra libellarios Societatis fama: Aliæ Eiusdem ad Archiepiscopum Moguntinum contra eosdem: Cui Moguntinum Collegium etiam commendat: Aliæ Pij literæ ad Galliæ Regem in vexatione Collegij Parisiensis p.1.c.1. n.5. per totum: *& plura ibi.*

PIVS V. *Ample commendat Societatem, iam Bullis Apostolicis, iam literis ad Archiepiscopum Colonienſem pro Colonienſi Collegio: & alijs peregregijs pro Duaceno. Benignum se Borgiæ, & Societati præbet: multumque eâ vtitur. Confirmat eius Priuilegia, & Missiones instituit. Sermones varij de Pontificis animo erga Societatem: sed verus erat: & plurimum eius opera rursus vtitur, & concionatorem sibi ex eâ eligit & tres alios in Vaticano iubet concionari; & in sacello Pontificio latine dicere. Eius in Societatem beneuolentia: quam Episcopo Canarienſi commendat: restituit, & laudat Societatis Priuilegium Cœnobia Monialium non curandi.* ibid. n. 6. *& ibi plura.*

R.

REDVCTIONES *Societatis laudatæ.* p.1.c.4.n.71. & p.2.c.6.n.17. ibid.c.7.n.9. *vbi huius nostræ Prouinciæ Paraquariæ Reductiones (seu Doctrinæ) mire commendantur, ex laboribus prope immensis, Templorum ornatu, Musicorum cantu, Indorumque subiectione Deo, & Regi. Illæ sunt veluti Elisij Campi, & gloria Paradisi.* ibid. *Vide etiam supra verb.* Paraquaria.

S.

SALMERON *Italiæ Magister conclamatur.* p.2.c.10.n.31. *Eius fama in Vniuersitate Ingolstadiensi.* ibid.c.9.n.3

SCHOLÆ *Societatis sunt Religionum Seminarium.* p.1.c.4. n.33. *Quam vtiles & necessariæ Reip.* ibid.n.58. *Antidotum contra hæreses efficacissimum.* p.2.c. 1.n.2. *Veram fidem instillant.* ibid.c.5.n.6. *sunt magnum præsidium ad auitam religionem restaurandam.* ibid.c.10.n.3. *A Societatis Scholis omnes scientiæ suam originem agnoscunt.* ib.n.50. *Vt quæ habent sapientiæ clauem.* ibid.

ib. n. 49. *Et à quibus studia humi depressa, excitata sunt.* ibid. n. 80 *Vide supra verb.* Gymnasia. *Et passim alibi commendantur Scholæ Societatis ex necessaria iuuentutis educatione: vt* p. 1. c. 6. n. 8. &c.

SCIENTIA MEDIA *Societatis commendatur à sapientiss. Magistris Benedictinis Salmant. Collegij Procuratori suo Gener. Romæ existenti.* p. 1. c. 7. n. 5. *& à clariss. Cistercienſium Familia.* ibid. n. 33 *Et Pontifici Clementi VIII. literis peregregijs à Maria Augusta Maximiliani Cæsaris coniuge meritissima.* p. 2. c. 1. n. 3

SEBASTIANVS *Rex Lusitanus quantam de Societate opinionem habuerit? & quanta eius liberalitas in fundandis Collegijs: Societatis Cauillatores impudentiæ mancipia appellabat.* p. 2. c. 2. n. 12

SEDES APOST. *Quantum venerata, ac propugnata sit à Societate.* p. 1. c. 1. n. 1. & 7. & 11. & 13 & p. 2. c. 3. n. 1. c. 11. n. 36. & 40. *Et passim alibi. Ideo Pontifex Summus se Societatis Protectorem constituit.* p. 1. c. 1. n. 5. *Et iniuriarum vindicem.* ibid. n. 11

SIGISMVND. *Princeps Transyluanus sub Societatis educatus disciplina: quam contra tumultuantem plebem defendit: eiusque constantia in Magistro Iesuita retinendo: & in Societate Lituaniæ conseruanda, etiam Regni, & vitæ discrimine: sed tandem Hæreticorũ de nostro exilio decretis inuitus subscribit: Viaticum vero Patribus exulantibus dat, cum perhonorifico de eorum virtute, & innocentia testimonio.* p. 2. c. 4. n. 7

SIMON RODERICIVS *Instituendo Lusitani Principi præficitur: in eiusq; aduentu Ioannis III. Regis Societatis studiosissimi quãta alacritas?* ibid. c. 2. n. 11

SIXTVS V. *Vani rumores de alienato à nobis huius Põtificis animo: sed eius benignus sermo ad Claud. General. oppositum suadet: & Societatis Institutum laudabile, & Ecclesiæ vtile fatetur.* p. 1. c. 1. n. 8

SOCIETAS IESV.

Abisac Sunamitis est Mundum frigidũ calefaciens. p. 2. c. 10. n. 66

Abyssus doctrinæ profundissima. p. 1. c. 7. n. 45

Aceruus tritici liliis puritatis vallatus. ibid. n. 62

Acies verè ignea contra Lutherum. ibid. c. 3. n. 20. *& suorum bellatorum sanguine purpurata.* ibid. *& Ecclesiæ pedestris bombardis armata charitatis.* p. 2. c. 10. n. 66

Ædificium sublime, cui celsa Ecclesiæ domus innititur. p.1. c.7.n.45. *& pretioso lapide varium, & ad perpetuitatem firmum.* ibid.n.83
Æmula solis. p.2.c.10.n.56
Ærarium publicum doctrinæ, & sanctitatis. p.1.c.4.n.18
Afferens plus vtilitatis Ecclesiæ, quàm damni Hæretici. ibid. c.7.n.116
Afflata Spiritu sancto in sua fundatione. ibid.c.1.n.1
Ager fertilis multiplici animarum fructu. ibid.
Agmen egregium Crucis vexilla in remotissimas nationes inducens. p.2.c.10.n.78
Amplificatrix fidei Catholicæ. ibid.c.2.n.9
Ancillata diuinæ gloriæ, & animarum saluti. ibid.c.10.n.56
Aquila inclyta sustinens sapientiæ solem. ibid.c.4.n.54
Arbor iuxta persecutionum aquas plantata. ibid.c.7.n.110
Arca scientiarum. ibid.c.10.n.56
Ardens in obsequio Pontificiæ Tiaræ. p.1.c.1.n.1
Arietans virtutum bombardis vitiorum arcem. ibid.c.7.n.8
Armarium sacrarum scientiarum p.2.c.10.n.31
Armata IESV *clypeo vel gigantes aduersarios prosternit.* ib.n.77
Arx firmissima Religionis. p.1. c.4.n.53
Asylum virtutis tutissimum. p.2. c.10.n.56
Athenæ diuinæ virtute, nobilitate, & sapientiâ. p.1.c.7.n.45. *& Euangelicæ.* ibid.n.111
Atlas Ecclesiæ. ibid.n.62
Aureus annulus, cuius gemma, Iosephus Anchieta. ib.c.4.n.55
Auxilium Antistitum. ibid.n.1
Basis supremæ sedis. ib.c.7.n.120
Bellatrix generosa pro Christiana fide. ibid.c.4.n.20
Bellatrix Legio tot insignita ducibus, quot militib. p.2.c.10.n.56
Beniamin Ecclesiæ. ibid.n.65
Brachium Dextrum Ecclesiæ. p.1. c.1. n. 10. *& Hæresis ictus Ecclesiæ Capiti imminentes auertens.* ibid.c.7.n.92
Buccinatrix Christianæ fidei preclarissima. p.2.c.10.n.29
Calcar æmulationis. ibid.n.31
Candelabrum aureum filijs velut lampadibus præfulgens. p.1. c.7.n.62. *& habens pro lampade* IESVM. ibid. *& diuina manu elaboratum.* p.2.c.10. n.65
Cinosura sapientiæ fulgentissima. ibid.n.56
Ciuitas lucis contra ignorantiæ tene-

tenebras.p.1.c.7.n.45. *& literarum ſuprema*. ibid.n.107
Claſſis contra ſatanam, quâ nulla maior inſtructa.p.2.c.10.n.3
Clima felix intellectuum. ib.n.31
Cœlum totum terrarum orbẽ complectens.p.1.c.7.n.66.*& cuius filij ſtellæ ſunt charitatis igne Eccleſiam illuſtrantes*.ib.n.111
Cœnaculum Domini. ibid.
Cœtus Apoſtolicus.ib.n.43.*& ex floridioribus Eccleſiæ*. ib.n.74
Cohors Pontificis contra Hæreticos.ibid.c.1.n.5. *& Eccleſiaſtici exercitus ſtrenuiſſima*: ib. c.7. n.8. *& Prætoria ſacræ Bellonæ*. p.2.c.10.n.56
Collegium Apoſtolicũ.p.1.c.7.n.111
Columen veritatis. ibid.n.120. *& labentis Chriſtianæ Reipublicæ*. p.2.c.10.n.56
Columna nubis, & ignis. p.1. c.7.n.45.*& Eccleſiæ firmiſſima*. ibid.n.91
Compendium omnium Religionum. ibid.n.84
Conſeruatrix Catholicæ Religionis. p.2.c.2.n.3
Conſtantiſſima in ſuo primitiuo feruore. p.1.c.1.n.13
Cor Eccleſiæ. ibi.c.7.n.62
Corona da Ciuica corona.ib.n.77
Coronata Martyribus Anglicanis. ibid.c.1.n.18
Debellatrix errorum.ib.c.7.n.86
Decus Italiæ. ibid..n.121
Defectura non prius, quam omnes hæreſes ſint extinctæ.p.2.c.10 n.12
Defenſa ſidereo clypeo, armiſque cæleſtibus. p.1.c.7.n.45
Defenſatrix auctoritatis Apoſtolicæ ſedis effuſo ſanguine. p.2. c.3.n.1. *& iuris Regum*. ib. c.1.n.6
Depellens ab ouili Chriſti graſſantes Hæreticorum peſtes. p. 1. c.4.n.26
Deſignata in Angelo Philadelphiæ. p.2.c.10.n.49
Deſtructrix hæreſum.ibi.c.2.n.9
Diadema Benedictinæ Familiæ. p.1.c.7.n.8
Digitus Dei. ibid.c.1.n.1. fin.
Diſciplina totius virtutis. p.2. c.10.n.56.
Ditiſſima Martyribus, & ſcriptoribus. ibid.
Dolor inuidiæ. ibid.n.31
Domicilium Sanctitatis cælo gratiſſimum. ibid.c.5.n.10
Domitrix Hæreticorum.p.1.c.4. n.59
Domus excelſa nobilitatis. ibi.c. 7.n 45. *& amicorum Dei*.ib. n.107.& IESVS. ibid.n.113
Donum Dei Eccleſiæ præſtitum. p.2.c.10.n.1

Eccle-

Ecclesia noua primæ Apostolicæ æmula. p.1.c.7.n.125
Educta vt Moyses è tribulationum aquis. ibid.n.37
Electa vt sol. ibid.n.78
Elogium sui ipsius. ibid.n.69
Emporium virtutum, ac scientiarum. ibid.c.4.n.53
Energia ardens decursuum. p.2.c.10.n.31
Equus Troianus ex quo viri insignes prodiere. p.1.c.7.n.74
Excitata Auctore IESV. ibid.c.1 n.5. *& nouissimè à diuina prouidentia* ibid.n.9. *& cum refrixisse charitas videbatur.* ibid. c.4.n.3. *& iugulandis Hæreticis.* p.2.c.10.n.2
Exemplar doctrinæ, & eruditionis. p.1.c.7.n.69
Exemplum orbis. ib.n.112
Exercitus hostibus formidabilis. ibid.c.4.n.73. *& Hominum accinctorum Ecclesiam triumphis locupletantium.* p.2.c.10 n.78
Exonerans Regum, & Episcoporum conscientias. p.1.c.4.n.74
Fabrica fælix, ac fortunata supra IESVM *fundata.* ib.c.7.n.83
Fasciculus Doctorum, Apostolorum, Virginum, ac Martyrum. ibid.n.45
Ferax Sanctorum. ibid.n.120
Firmamentum stellarum. ib.n.111
Flabellum refrigerans hominum corda. p.2.c.2.n.21
Fodina Doctorum. p.1.c.7.n.120
Fons amoris, ac pietatis. ib.n.30. *& sapientiæ.* ibid.n.45
Fons paruus crescens in fluuium. p.2.c.10.n.65. *& Doctorum sacratissimus.* p.1.c.7.n.61
Formidolosa hostibus. p.2.c.10. n. 68
Frænum morum, & effrænis libertatis. ibid.c. 6.n.20
Fructuosa in vinea Domini, verbo, & exemplo. p.1.c.1.n.7
Fulcrum surgentis Ecclesiæ. p.2. c.10.n.56
Fundata supra Christi Petram. p.1.c.1.n.4
Genitrix cunctarum Nationum. ibid.c.7.n.81.& 116
Gigas ad currendam viam virtutis & literarum. ibid.n.78
Gladius spiritus. p.2.c.10.n.56
Gloria Ecclesiæ. p.1.c.7.n.121 *& disciplinarum.* p.2.c.10.n.22
Gloriosa & scriptorum calamis, & Martyrum sanguine. p.1. c.7.n.96
Granum frumenti ex triticeo IESV *grano in Ecclesia natum.* ibid.n.62
Grex lectissimus. ibid. c.3.n.17
Habens Procuratorem spiritum S. ibid.

ibid. c.7. n.21. *& pro scopo præcipuo salutem animarum.* ibid.n.7. *Et sapientiæ clauem.* p.2. c.10. n.49. *Et hostem cum Ecclesiæ Capite communem.* ibid. n.81. *Et Crucem pro baculo, pro Socio* IESVM. p.1.c.7.n.28.

Hercules Atlantis in Romano cælo. ibid.n.120

Heua noua in Ecclesiæ Paradiso veterem superans. ibid.n.30

Honos Hispaniæ. ibid.n.121

Hortus amœnissimus virtutum incrementis. ibid.c.4.n.72. *& delitiarum Christi Domini,* ibid. c.7.n.17

Hostis idololatriæ. ibid.n.120

Humerus Ecclesiæ fidem sustentans. ibid.n.61

Idæa Sanctitatis. ibid.n.69

Ierusalem noua de cælo ad Ecclesiæ reparationem descendens. ibid.n.111

Illicium Musarum. p.2.c.2.n.8

Illustrans Ecclesiam suæ doctrinæ radijs. ibid.c.10.n.58

Illustrata nunquam dignis encomijs. p.1.c.7.n.69

Illustris literarum eruditione. ibi. c.5.n.7

Imago gloriosa dotum. p.2.c.10. n.31

Implens viris selectissimis Religiones. p.1.c.7.n.77. *& orbem hominibus Ecclesiam propugnantibus.* p.2.c.10.n.43

Inimica erroris. p.1.c.7.n.96

Instituta diuinitus Hæreticis iugulandis. p.2.c.10.n.2

Instrumentum Musicum exorientis fidei. p.1.c.7.n.11. *& præcipuum postremi triumphi à Luthero reportandi.* ibid.n.94

Inuincibilis suorum calamis perfidum Hæreticorum vulgus explodens. ibid. n.15

Iurans in verba Romani Pontificis. ibid.c.1.n.12

Laborans præ cæteris in plantanda vbique Cathol. Religione. p.2.c.1.n.6

Lapidicina cælestis. ibid.c.10. n.56

Laudata nunquam satis. p.1.c.1. n.11

Legio in Ecclesia Dei fortissima. ibid.n.12

Lingua salutaris. ibid.c.7.n.37

Locupletans spiritualibus incrementis Ecclesiæ horreum. p.2. c.10.n.68

Lumen Ecclesiæ. ibid.n.36

Luna perpetuo crescens. ibid.c.5. n.10

Lux magna ingruentibus persecutionum Aquilonibus magis accensa. ibid.c.10.n.65

Machina ad maiorem Dei gloriam affabre expolita. ibid.n.77
Malleus Hæreticorum. ibid.n.120
Manus præsidiaria contra Hæreticorum tela à Deo submissa. p.1.c.7.n.40. *& auxiliaris contra nouum Sennacherib.* p.2.c.10.n.12
Mare immensum doctrinæ cælestis. p.1.c.7.n.30
Margarita pretiosa. p.2.c.10.n.51
Martyr voluntaria p.1.c.1.n.6
Mater Martyrum. ibid.c.7.n.79. & 119
Microcosmus Religionum omnium. ibid.n.94
Militans sub Nominis IESV *vexillo.* ibid.c.1.n.7. *& strenuissime pro immaculata Virginis Conceptione.* ibid.c.7.n.100
Militia sacra Catholici nominis defensione, & Hæreticorum excidijs clarissima. ibid.c.1.n.12. *& vel ipsis Inferorum copijs formidanda.* p.2.c.10.n.21
Minerua scientiarũ. p.1.c.7.n.92
Miraculum Ignatij maius. p.2.c.10.n.65
Mulier Apocalyptica Iesu Sole vestita. ibid.c.4.n.81
Murus firmior pro Domo Dei. p.1.c.1.n.10
Nata ad Ecclesiæ bonum. ibid.c.3.n.16. *Et ad Imperium Hispanorum promouendum.* p.2.c.11.n.9
Nauis Christianæ Religionis bellicum apparatum comportans. p.1.c.7.n.11
Nidus numerosa prole fœtosus. ibid.n.107
Nitens Angelica puritate. ibid.n.17
Nubes limpidissima omnes irrigans. ibid.n.45
Obarmata literarum peritia velut septemplici clypeo. ibid.n.8
Obiectum famæ. p.2.c.10.n.31
Occasus Diaboli. p.1.c.7.n.37
Officina sanctitatis. ibid.n.45. *& Euangelij maxima.* ib.n.106. *& spiritualium apum.* ibid.n.111. *& splendida literarum.* p.2.c.10.n.17
Oleum cæterarum Religionum lumina conseruans. ibid.n.77
Olympus eminentissimus veritatum. ibid.n.31
Opus diuinæ sapientiæ. ibid.n.1. *& eximium.* p.1.c.1.n.3
Ordo Apostolicus. ibid.c.7.n.28. & 43. *& cuius claritas obnubi nequit sine Catholicæ Ecclesiæ detrimento.* ibid.c.5.n.1
Ornamentum ex præcipuis Ecclesiæ. ibid.c.4.n.77. *& cæterorum Ordinum.* ibid.c.7.n.69. *& fidei.* ibid.n.106

Palma

Palma sublimis Ecclesiæ. ib.n.75
Paradisus delitiarum Christi. ibid.c.4.n.72
Parens totius orbis. p.2.c.10.n.56
Pars Ecclesiæ nobilissima. p.1.c.7.n.62
Parta ab Ecclesia Lutheranæ hæresis pressa doloribus. ib.n.94
Pedes Ecclesiæ, quibus illa progreditur, & sustentatur. ib.n.62
Perfectio sæculi. p.2.c.10.n.22
Peruolans Orientem, Occidentemque geminis charitatis alis Dei, & proximi. ibid.n.56
Petra, in qua impingunt Hæretici. p.1.c.7.n.103
Phalanx fortissima contra hæresim. p.2.c.10.n.21
Pharus virtutum. ibid.n.22
Planta generosa, ac cælestis per totum orbem copiosis fructibus excrescens. p.1.c.3.n.77. *Et ab spiritu Sancto consita,* ibid c.7.n.45. *& in agro Dominico diuina dispositione plantata.* ibid.c.1.n.14
Plena voluminibus pro fide, & contra hæresim. ibid.c.4.n.74
Pompa Germaniæ. ibid.c.7.n.121
Præcincta scientiarum omnium insigni toga. ibid.n.106
Prædicta à Ioachimo Abbate Benedictino multis retro sæculis. p.1.c.7.n.1. *Et a S. Vincentio Ferrerio Ord. Præd.* ibid.n.52. fin. *& à S. Ioan. Euang. in quinto Angelo Apocal.* ibid. n.94. *& à Raynolda viduæ sanctissima Neomagi,* p.2.c.10.n.59. *& à Confessore Vasci Gamæ in India.* ibid.n.60. *& ab incola Æthiopiæ.* ibid.n.61. *& à Ioan. Escuder insignis virtutis Heremita in Regno Valentino.* ibid.n.62. *& ab Isaia Propheta.* ibid.n.64. *& à S. Thoma Apost. in India Orientali, & hac nostra Paraquaria.* p.3.c.4.n.3
Præfulgens ardenti, cælestique zelo. p.2.c.1.n.4
Præsidium Belgicarum Ciuitatum. ibid.c.2.n.1. *Et contra hæreticorum pestem.* ibid.c.10 n.12. *Et militantis Ecclesiæ.* ibid.n.56. *Et inexpugnabile contra Tartareas legiones.* p.1.c.3.n.11
Procreans prolem Catholicæ Religioni valde proficuam. ibid. c.1.n.7
Prodigium mundi. ibid.c.7.n.120
Profligans vitiorum phalanges. p.2.c.10.n.56
Proles illustris felicis Parentis. p.1.c.7.n.71
Propagatrix Christianæ fidei. ibid.

ibid.n.120. & *frugiferis laboribus in Paraquaria.* p.2. c.6.n.19

Propago Cælestis Ecclesiæ nemori insita, ipsas libani supereminentes Cedros superans. ibid. c.10.n.78

Propitiatorium, vbi ingeniorum vis perpollita. ibid.n.56

Propugnaculum fidei. ibid.

Pulchra vt luna. p.1.c.7.n.78

Purgans erroribus orbem: hæresum monstris profligatis. p.2. c.10.n.52

*Pupilla oculorum Christi.*p.3.c.1. n.1

Quasi Oliua gloria eius. p.1.c.7. n.83

*Quasi sol nouus obscuratam Dei Domum illustrans.*p.2.c.1.n.4

Radicata in Cælo, & gloria IESV. p.1.c.7.n.69

Referta viris pietate, & doctrina insignibus. ibid.c.1.n.14

*Reformatrix Orbis.*ib.c.7.n.45. & *hominum.* ibid.n.84. & *Bachanalium.* ibid.n.105

Regia Salomonis. ibid.n.45

*Religio insignis, & vtilis Ecclesiæ sanctæ.*ibid.c.4.n.69. & *celeberrima, Nazaræa, electa, ac singularis* ibid.c.7.n.83. & *maxime dilecta Deo.*p.2.c.10. n.35. & *Apostolica.*ibid.n.26

Respublica inter omnes ordinatissima. p.1.c.7.n.47

*Restaurans Ecclesiam in antiquã suam venustatem.*ibid.n.116

Roborata laboribus instar Ecclesiæ. ibid.n.43

Ruina Idololatriæ. ibid.n.120

Sacrarium scientiæ. ibid.n.37

Salus noui Orbis. ibid.n.121

Scala Iacob. ibid.n.1

Schola diues omnium scientiarum. ib.c.4.n.26. & *omnium virtutum.*ib.c.7.n.84. & *Orbis, ac vniuersalis Ecclesiæ.* ibid. n.106. & *Martyrum.* p.2. c.10.n.31

Scutum fidei. ibid.n.56

Seminarium sanctitatis. p.1.c.4. n.73. & *scientiarum.* ib.c.7. n.107. & *fidelium.*ib.n.111. & *eximiorum verbi Dei præconum.*ib.n.120. & *omnium virtutum vniuersale.*p.2.c.10 n.10

Speculum integerrimæ sanctitatis. ibid.n.68

Splendor Galliæ. p.1.c.7.n.121

Spongia Sacra eruditionum. p.2. c.10.n.31

Submissa de cælo senescenti Orbi fulciendo. p.1.c.7.n.71

Subsidium nouum contra Lutheranam hæresim. ibid.n.27. & *Christi humeris dignissimum.*

mum. ibid.n.106
Successio vera Apostolorum. ibid. c.7.n.106
Sustentaculum fidei. p.2.c.11.n.3
Templum sapientiæ. p.1.c.7.n.37 *& fide, Religione, modestia, ac scientia, velut pretiosis lapidibus constructum.* ibid.n.30
Terribilis vt castrorum acies ordinata. ibid.c.4n.78
Territans IESV *Nomine hostium cuneos.* ibid.n.73
Terror Dæmonum. p.2.c.10.n.56
Thesaurus virtutum. p.1.c.7. n.86. *& discretionis inexhaustus.* p.2.c.10.n 56
Topiarium Dei placidissimum. p.1.c.7.n.45
Triumphatrix populorum. ibid. c.4.n.59
Trophæum Christianæ Reip. ib. c.7.n.120
Turris Dauidica. ib.c.4.n.60. *& quæ tot instructa clypeis, quot filijs.* p.2.c.10.n.56
Tutela veritatis. ibid.
Velum Apostolicæ nauiculæ. p.1. c.7.n.120
Vexillum Christianæ militiæ. ib.
Victrix hæresum. p.1.c.10.n.22
Vigens incorruptione morum. ib. n.68
Vinea Domini electa. ibid. c.4. n.75. *& Martyrum irrigata sanguine.* ib.c.7.n.28. *& florentis odoris.* p.2.c.10.n.68
Viridarium cæleste. p.1.c.7.n.45. *& omni florum, ac fructuum vbertate conspicuum.* ibid.c. 4.n.72
Vitis filiorum aucta palmitibus. ibid.c.7.n.86
Vorax librorum. ibid.n.45
Vtilissima Ecclesiæ. ibid.c.5.n.7
Zelatrix Christianæ Religionis. ibid.c.1.n.14

SODALITATES. B.V. *Commendantur.* p.2.c.7.n.2. ibid. c.8.n.6. *Illis inscribi Insula ipsa glorioſius.* p.1.c.4.n.34. *Vide supra verb.* Congregationes.

STEPHAN. BATHOR. *Poloniæ Rex literas dedit de Societate perhonorificas.* p.2.c.2.n.14 *& vouit se Collegium fundaturum, si victoriam contra Hæreticos consequatur : eius in Societatem amor, & munificentia: & pro Collegio Polonienſi cura: Claudiopolitanum tuetur, & auget. Societatis Collegia pene plorans expetit : Grodnenſe admissum instante ipso Stephano : eius lacrymæ in casu nostrorum peste ingruente. Collegia Transyluaniæ Sigismundo Principi fratris filio testamento commendat.* ibid.

TEMPLA *Ieſuitarum Anaſtaſia*

ſtaſia dicuntur: ideſt Sacramentorum Reſurrectio. p.2.c.3.n.18. *Sunt etiam Paradiſi Imagines.* ibid.c.7.n.11

S. TERESIA. *Hiſpaniæ decus, & Carmeli gloria, Societatis Magiſterio ſe ſpiritualem profectum debere fatetur: & quanta de Confeſſariorum ſuorum æſtimatio? quorum ſe filiam paſſim nominat: & eorum regimini ſua Monaſteria tradere deſiderat: & conſtat ex Epiſtola peregregia. Socios in cælo vexillis albis ornatos vidit: Et* IESVM *cuidam è noſtris vita functo obuiam euntem; pretioſamque veſtem noſtrorum capitibus impoſitam, dum communicant corpus Chriſti: & Societatem magnos fructus vltimis temporibus facientem. Vidit etiam quadraginta ſocios in Braſiliam euntes ab Hæreticis pro fide occiſos: & Martinum Gutierrez Martyrij laurea in cælum è carcere euntem: & Balthaſarem Aluarez eius Confeſſarium ſplendenti diademate coronatum: quem in cælo veneratur vt Patrem.* p.1.c.7.n.89. per totum: *& plura ibi de Societate ſcribit Tereſia ſanctiſſima.*

THEATINI, *vnde dicti? & à Societatis* IESV *Patribus quàm diuerſi?* ibid.n.57. *&* 88. *Hæc Theatini vox à Græco deſumpta, quaſi diuini, ac contemplatores ſunt.* ibid.n.124

S. THOMAS APOST. *Societatem in Paraquaria noſtra, & in Orientali India prædicit.* p.3. c.4.n.3

V.

VRBAN. VIII. *Laudat Ignatium, & Societatem: cuius regimini Collegium illiricum Lauretanæ Domus commendat. Et Pariſiacam Columnam Societati iniurioſam, & Hæreticorum aſtutijs conſtructam, deijciendam curat.* p.1.c.1.n.13

X.

S. XAVERIVS *Chriſtiani Imperij Propugnator.* ibi.n.12. *Et Indiarum Apoſtolus factis & ſanctitate acclamatus.* ibid.c.3. n.6. *Hiſpaniæ, & ſui æui coruſcum iubar: flos primæuus Societatis: Solque nouus Orientis fidei facem præferens* ibid.c.6.n.1. *& plura ibi. Xauerius luminare minus Societatis (ſcilicet Luna) nocti Gentilitatis aſſiſtens, qui ab Ignatiano Sole, ac maiori luminari lucem mutuatur.* ibid.c.7. n.103. *Plures vnus Xauerius annis*

annis vndecim ad fidem conuertit, quàm Vniuersi Hæretici per annos mille quingentos peruerterunt. ibid.n.127. Pro Xauerio Rex Hispaniæ in lege Lusitana in fauorem Collegij Societatis dispensat. p.2.c.2.n.4. Cui vni Hispaniam plura Regna sibi debere, quam suis armis aliquando dixit. ibid. Mira Angelorum visio canentium gloriam Xauerio. p. 3. n.8. vbi alia multa, & passim alibi.

Z.

ZELVS Societatis iam Gentilibus conuertendis; iam prædicatione inter Catholicos: iam Scriptis contra Hæreticos: iam puerorum educatione &c. in toto hoc Opere passim cernitur: præcipuè verb. Societas, Collegia, Iesuitæ. Consule ibi, & alibi dicta.

FINIS.

SIVE

OPERIS VNIVERSI

CONCLVSIO.

HÆc modica de maximis, pauca de innumeris, guttas de Oceano, radios de Sole, folia de Arbore, spicas de segete, gemmas de concha, micas de mensa, rosas de floribus prælibasse sufficiat: quibus augustissimam Societatis imaginem Encomiastes noster, quo potuit penicillo depinxit. Iam littus aspeximus: & si tot inter syrtes ac breuia exaratum alicubi à cinosura sit, lubricum Lector cogitet, atque immensum pelagi, quod tranauimus æquor, cuius portum vel salua rate tenuisse, superasse est.

AD MAIOREM DEI


GLORIAM.

Collegii Soc. Jesu Paderborna

1697

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
1566a